

Sala R  
Gab.  
Est.  
Tab. 21  
N.º 9

R  
21  
9

# PRAELECTIONVM,

SIVE ENARRATIONVM ADMIRABILIS  
DIVINI VERBI INCARNATIONIS.

LIBRI SEX.

In quibus omnia, quæ ab scholasticis authoribus de hoc abditissimo mysterio subtilius, tertio sententiarum libro, differuntur, accuratissime tractantur, & lucidissime explicantur,



*Authore fratre Francisco à Christo Eremita, Lusitano, Sacrae Theologiae Doctore, eiusdemque publico, in clarissima Conimbricensi academia, professore.*

Rerum & verborum memorabiliū index.

*Co. Real de v. Joub.*

CVM PRIVILEGIO.

Conimbricæ ex officina Ioannis Aluares Typographi Regij.

M.D.LXIII.

*PRÆLECTIONUM*  
*SIVE ENARRATIONUM*  
*LIS DIVINIS*  
*NATIONIS*


**E**xpendi quæ hisce Prælectionum, siue enarrationum admirabilis diuini Verbi incarnationis, libris, continentur omnia, & nihil in ipsis inueni, quod pias aures possit offendere, sed dignissimum opus esse iudicavi, quod in publicum ad communem Christianæ Reipub. utilitatem, prodiret.

*M. frater Emanuel Daueiga, inquisitor,*

*Frater Ludouicus à Montoya, vicarius Generalis Augustiniane familie, huius provincie Lusitaniae, Reuerendo Magistro. F. Francisco à Christo, eiusdem ordinis, & voti. S. in domino.*

**S**ignificasti nobis, edidisse te quedam commentaria de Verbi incarnati Mysterio, pro gloria filij hominis, & filij Dei, Domini nostri IESU Christi, quæ res multis nobis nominibus placuit, ac pijs omnibus, & doctis, eam credimus placituram. Quocirca si habeto, summe nobis futurum voluptati, tuas in re tanti momenti lucubrationes typis mandatas videre, sicut iam alias vidimus, quæ nobis fuerunt magnopere probate (ea est tua in Theologicis, ac diuinis rebus sapientia, & in humanioribus literis eruditio non vulgaris) & plures quoti die, multum Ecclesie Dei, & nostræ Augustinæ familie profuturas, expectamus. Optarim ego, commentationes tuas omnes in lucem prodire, id quod ut facias hortor, & obsecro. Feceris enim rem & nobis gratissimam, & omnibus utilissimam. Vale in domino. In cõuētū nostro olyssipponēsi, 1 diebus Maijs. 1564.

SERENISSIMO PRINCIPI HENRRICO,  
Portugalliae Infanti, ac S. R. E. Cardinali amplissimo  
Frater Franciscus à Christo, S. D.

 Vm docendarum artium earum, quas liberales  
vocant, munere, & labore perfunctus, ad sacra-  
rum literarum studium me contulissim, Henrri-  
ce Princeps maxime: ac iussu, & hortatu Pa-  
trum vitae nostrae moderatorum, Sacram The-  
ologiam tradere, & enarrare coepisse iis, quos diuinis literis in-  
stituendos susceperam, eam Theologiae partem, quam interpreta-  
rer potissimum delegi, quae de Verbo incarnato est, cum quod  
haec de Verbo incarnato quaestio vniuersa, rerum magnitudine,  
splendore, & grauitate caeteris omnibus Theologicis quaesti-  
onibus antecelleret, tum quod nostram, in ea re tanta explican-  
da, operam auditores nostri magnopere requirerent. Ad expli-  
cationem igitur tanti: tamque abditum mysterij ingressus, Diuini-  
Thomani Aquinatensis) Theologorum, citra inuidiam, princi-  
pem) ducem, ac praecceptorem secutus, eo tota animi contentione  
incubui, vt collectis hinc inde, & expositis patrum sententiis, re-  
conditum mysterium, sin minus patefacere, certe quam posse  
accurate, & dilucide explanarem. Quocirca explanationes  
nostras, & quotidianas praelectiones literis mandatas, sex li-  
bris inclusimus, quibus ea complexi sumus omnia, quae par-  
tim a viris doctissimis, qui ad nostram usque memoriam res diui-  
nas ac Theologicas tractauerunt, tertio sententiarum libro, es-  
sent tradita, & literarum monumentis consignata, partim a no-  
bis, summo labore, & diuturna animi commutatione, exco-  
gitata, reperta, & inuenta. Verum cum enarrationes nostrae  
illae multorum manibus tererentur: & a quamplurimis expete-

rentur, visum est mihi esse faciendum, eas vt in lucē ederē, vt  
ad multos cōmentationū nostrarum qualiūcunq; & vigilia-  
rum vtilitas perueniret. Has porro nostras prælectiones tibi  
Princeps serenissime dicandas duxi, in eamq; me sententiā, &  
voluntatē multæ, eaq; iustissimæ causæ impulerūt. Principio  
multum authoritatis, splēdoris: & ornamenti, meæ huic com-  
mentationi accessurū putauī, si publice in tuo nomine appa-  
reret, cum quia Princeps sis, Regio satū editus, tum quia sum-  
ma apud nostros, vt qui clauū regni teneas, authoritate vale-  
as. Deinde nulli alteri, sacras diuinarū rerum cōmētationes  
deberi putauī, nisi sacro Principi & Pontifici, diuinarū rerum,  
& literarū, atq; adeo vniuersæ Christianæ religionis tuendæ,  
& amplificandæ studiosissimo. Accessit, quia cū me olim ado-  
lescētē in familiā tuam humanissime asciueris, & omnibus  
bonis literis instituēdum curaueris, æquissimū esse iudicauī,  
vt quem primum seueriorū literarum protulisses fructum,  
tuæ Celsitudinī cōsecrarē, ac veluti acceptū referrem. Postre-  
mo singularem meam in tuam Celsitudinem obseruantiam,  
quam testatā semper esse volui, hoc maxime officij genere  
declaratam, ac testificatā omnibus iri existimaui. Accipe igitur  
Princeps sacratissimè literariū hoc Francisci tui munus,  
quem eundem cupiditate, eius generis multa cōmentandi, &  
scribendi incenderis, si hoc quicquid est, quod tibi dicauit, &  
humaniter amplexatus fueris, & disertissimo tuo iudicio cō-  
probaueris. Vale, Conimbricæ. xij. Kalendas Decembris.  
M. D. LXIII.

Autho.



Niuersa Christiana Theologia duobus potissimū capitibus  
 continetur, quorū prius in Dei summi, ac præpotentis agniti-  
 one, posterius uero in beate uita, quæ est extremū rerum om-  
 nium expetendarū, cognitione positū est. Porro Dei cognitio  
 tum demū perfecta comparatur, cū non solū id quod est cog-  
 noscitur, uerum etiā quæ est rerum omniū effector, et finis  
 ipsarū, creaturæ præsertim eius, quæ mētis, cōsiliij, et rationis est particeps. Poste-  
 rioris itidē caput tractatio bipartita est, cōtinet siquidē cum finis ipsius extremi,  
 tum rerum, ad finē illum assequendū accomodatarū, explicationē. Neq̄ enim sa-  
 tis est, ut finē cognitū, ac perspectū habeas, nisi illa etiā noueris, quibus peruenire  
 ad illum finē possis. Hæc duo summa Christianæ Theologiæ capita, doctissimus  
 Magister quatuor collectaneorū libris, cum persecutus est accuratissime, tum di-  
 sertissime explicauit. Namq̄ primo libro, qui uulgo primus sententiarū dicitur,  
 de Deo Optimo, et Max. de diuina. s. Essentia, deq̄ iis, quæ illi sunt attributa,  
 deq̄ sacrosancta, et ineffabili triade Personarū, summo ingenio, et eruditione  
 disputauit. Deinde secundo libro ea exposuit, quæ ad emanationē creaturarum à  
 Deo pertinerēt, triple xq̄ nobis creaturæ genus proposuit, unū quod omnino corpo-  
 ris et materie expers est, quod genus nostri Angelū, philosophi uero substantiā à  
 materia seiunctā appellāt. Alterū quod omnino corporis est particeps, ut cælū,  
 elemētū, tertiu inter hæc interiectū, ut hominē, qui ipse partī corporatus est, par-  
 tim uero corporis expers, quæ uidelicet est animi particeps. Animus siquidem  
 hominis substātia quedā est expers materie, immortalis, et impatibilis, quæ Deus  
 in corpore, ceu in domicilio, admirabili ratione, et artificio collocauit, dixerim ue-  
 rius, tanquā in carcere inclusit. Reliquis uero duobus libris, tertio uidelicet et  
 quarto, ea cōplexus est, quæ ualēt ad beatā uitā cōsequendā. Duo aut sunt, quæ  
 hominē ad beatā uitā perducūt, cultus animi, et Christi meritū. Animus uir-  
 tutibus excolitur, Christi uero domini nostri merito, aditus uiris sanctis patet in  
 cælū. I senim noscū de seruitute demonis, sanguinis sui effusione, redemit. tū aditū  
 nobis ad cælestia regna patefecit. Quocirca illud est a Petro, apostolorū prīcipe, gra-  
 uissime dictū, nō est aliud nomen datū hominibus, in quo nos oporteat saluos fieri.  
 De Christo igitur hominū saluatore, uniuersa hæc nostra institutio, et disputatio  
 suscip: a est, cuius certe institutionis latissime patet utilitas. Etenim mysterij eius,  
 quo Verbi incarnati arcanū cōtinetur, explicatione cōmētatione, et lectione illu-  
 minamur, et incēdimur. Præstat enī nobis hæc lectio, et institutio, diuinæ ingenus  
 hominū charitatis, miæ et sapiētiae incōprehensibilis cognitionē. Ac diuina quidē  
 charitas, hoc nobis est argumēto declarata, quia nobis filiū suū unigenitum de-  
 derit.

A. 4.

Ioan. 3.

derit, à quo, & à misera peccati seruitute, quā oppressi tenebamur, in libertatem vindicaremur, & ad omne munus officij, sanctissimis preceptis instrueremur. Hic est illud à Christo Opt. et Max. Ioā. 3. dictū, sic Deus dilexit mundū: ut filiū suū unigenitū daret, ut oīs qui credit in illū nō pereat, sed habeat vitā eternā. Diuina veromē signū illud fuit quā euidentissimū, quia cū homo è diuina gratia (qua summa apud Deū valuit) per caco demonis inuidiā excidisset: oībus q̄ et gratia, & natura ornāmētis spoliatus, in summā calamitatē, & miserā incidisset, ut cui nō tēporaria modo, verū etiā eterna mors foret subcūda, nō est passus clemētissimus, & cōditor hominis sapiētissimus Deus, hominē quē ex nihilo p̄creauerat, quē tot dotibus exornauerat, quē deniq̄ fruēdo euo sempiterno destinauerat, interire, omniq̄ spe vitæ immortalis destitui, sed prolapsō, ac misere in luto iacētī,

Rhom. 5.

manū porrexit, ipsumq̄ in veterē dignitatis gradū restituit. Quæ nā potuerūt illustriora dari diuina in genus hominū charitatis, & mīa signa? Cōmendat autem Deus charitatē suā in nobis, quia cū inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est. Diuina vero sapiētia, hac Verbi Dei cū humana natura cōiunctione, ob id maxime eluxit, quia via, & ratio sit diuinitus excogitata, qua homo qui interierat, hominis quoq̄ interuētū, vitæ restitueretur: & infestissimus humani generis hostis, qui hominē, nō tā viribus, quā astu, & dolo prostrauerat, ab homine ille rursus, nō viribus, & armis, sed sapiētia, & consilio, & quod admirabilius est, imbecillitate vinceretur. Hæc docēt nostri hī prælectionū libri, simulq̄ in cōprehensibile illā, et inexplicabile Verbi incarnati unionē, quæq̄ illi sunt adiuncta, quæ ue illius cōsequētia, cōsentance fidei nostræ decretis, & sanctorū patrum sentētiis, exponit. Quo efficitur ut huius nostræ institutionis utilitas pateat quā latissime, ut que hominē omni errore liberet, & catholice veritatis clarissimo lumine afficiat, ac postremo Christi amore, & studio admirabiliter incēdat. Nihil est enim quod nos vehemētius accēdat, ac totos, ad Deū diligendū rapiat, quā sacratissimæ huius unionis cōmentatio intētissima, & explicatio diligentissima. Quos fructus spero omnes sacræ Theologie studiosos, ex huius libri lectione (si modo animi castimoniam, modestiam, & humilitatē attulerint) esse percepturos. Diuina enī sapiētia, ut est sacris literis proditū, castis, & summissis, nō impuris, & ad superbiam elatis animis illabitur. Tribuitur aut̄ hæc vniuersa de Verbi incarnato institutio in sex libros, quibus oīa cōplexisum, quæ ad explicationē sacratissimæ huius, et admirabilis unionis attinerēt, id quod tibi pie & Christiane lector sequēs quæstionū index indicabit, & ante oculos subiciet. Fraere igitur pie, ac diuinarū rerū studioso lector, hoc nostro labore, ac patriluminū ascribitō (à quo est omne datū optimū, & donū perfectū siquid aut̄ à nobis recte, et ad normā catholice veritatis, quā nobis cœu lucē proposuimus, dictū, aut tibi dēretā, tāq̄ recōditā, nostrā opera fieri cognitū, atq̄ comperitū.

Sap. 1.

p. 05A

Iacob. 1.

Index



## INDEX QVÆSTIONVM, QVÆ SINGVLIS

libris tractantur.

Primo prælectionum libro, quo de iis agitur quæ sunt huic sacratissime vni-  
oni præposita, ac quasi præambula, sequentes quæstiones explicantur.

**N**ne incarnatio fuerit possibilis?

**V**trū uniuersa dominicæ incarnationis causa posita sit in de-  
lezione peccati?

**V**trum decuerit, diuinum Verbum humanam carnem assu-  
mere?

**V**trum fuerit necessarium Deum incarnari?

**V**trum purus homo potuerit pro peccato, ad equalitatem Deo satisfacere?

**V**trum Christus ad equalitatem Deo patri pro peccatis hominum satisfecerit?

**V**trum uniuersa humane satisfactionis efficacia posita sit in satisfactione  
Christi?

**V**trum decuerit genus hominum satisfactione reparare?

**V**trum Christus delecturus potius uenerit peccatū originale, quam actuale?

**V**trum Christus optissimo tempore in mundum uenerit?

SECUNDO prælectionum libro, quo de ipsa unione secundum se disse-  
ritur, hæ quæstiones tractantur.

**V**trum unio Verbi & humane nature assumpta effecta sit in natura?

**V**trum diuina natura uniatur humane uel actus, & forma?

**V**trum in Christo sit unitas persone?

**V**trū si illa sit illa consequentia, non est facta unio in natura, igitur in persona?

**V**trum duarum naturarum in Verbo Dei coniunctio, aliquam eidem compo-  
sitionem attulerit?

**V**trum Christus ex duabus naturis subsistat?

**V**trum illa unio sit substantialis, aut accidentaria?

**V**trum in rebus creatis reperiatur unio, cui hæc qua de agitur sit similis?

**V**trum hæc unio sit aliquid relatum? utrum uel sit in relatis?

**V**trum relatio unionis sit relatio equiparantie?

**V**trum differat unio ab assumptione?

Quod nom sit unionis in mediatum extremum?

**V**trum hæc unio fuerit per gratiam effecta?

**V**trum unio hypostatica sit maior, quam unio per amorem?

**V**trum unio incarnationis cadat sub meritum?

**V**trum gratia unionis fuerit homini Christo naturalis?

- Vtrum unio incarnationis sit aliquid creatum?*
- Vtrum unio incarnationis sit omnium unionum maximā?*
- TER TIO libro, quo de persona assumente, deque natura assumpta, & ordine assumptionis agitur: hæc quæstionis tractantur.
- Vtrum natura primo conueniat assumere, an personæ?*
- Vtrum abstracta personalitate per intellectum, natura possit assumere?*
- Vtrum tres personæ possint assumere eandem numero naturam?*
- Vtrum una diuina personæ possit assumere multas naturas?*
- Vtrum suppositum creatum possit multas naturas sustentare?*
- Vtrum sola humana natura fuerit assumptibilis?*
- Vtrum diuinum uerbum hominis personam assumpsit?*
- Vtrum suppositum & natura distinguantur?*
- Vtrum natura existens in persona Verbi habeat ad propriam personalitatem inclinationem?*
- Vtrum assumpta natura sit ab omnibus indiuiduis abiuncta?*
- Vtrum humana natura fuerit in omnibus indiuiduis assumpta?*
- Vtrum diuinum uerbum naturam assumpsit ex omnibus suis partibus constantem?*
- Vtrum Christi sanguini fuerit diuinitas hypostatice unita?*
- Anne ordine quodam facta sit assumptio?*
- Q V A R T O libro, quo de coassumptis agitur, hæc quæstiones explicantur.
- Vtrum in Christo fuerint gratia, donæ, & virtutes?*
- Vtrum gratia Christi fuerit plenissima?*
- Vtrum gratia Christi capitalis distinguatur à gratia habituali eiusdem?*
- Vtrum in Christo præter increatam scientiam, fuerit ne creata aliqua scientia?*
- Vtrum in Christo fuerit scientia acquisita?*
- Vtrum in Christo fuerit scientia infusa?*
- Vtrum in Christo fuerit scientia beata?*
- Vtrum animam Christi fuerit omnipotens?*
- Vtrum Christus naturalis humane nature imbecillitates suscepit?*
- Verum Christus animi imbecillitates suscepit?*
- Vtrum si à iudeis Christus non fuisset occisus, necessitate nature mortem obisset?*
- Vtrum in Christo fuerit ignorantia?*
- Vtrum in Christo fuerit, aut esse potuerit peccatum?*
- Anne Christus simpliciter fuerit uiator, an comprehensor?*
- Q V I N T V S Prælectionum liber explicationem continet eorum, quæ admirabilem hæc unionem sunt consecuta, quo eodem hæc quæstiones tractantur.

- Vera ne sint, & essentialia he propositiones, Deus est homo, & Homo est Deus?*  
*Vera ne sint he propositiones, Deus factus est homo, & Homo factus est Deus?*  
*Vtrum Christus inceperit esse?*  
*Vtrum in Christo fiat idiomatum cōmunicatio?*  
*Vtrum Christus vnus sit, vel duo?*  
*Vtrum in Christo sint duo esse, an vnum esse?*  
*Vtrum in Christo fuerit repugnantia voluntatum?*  
*Vtrum Christus potuerit mereri?*  
*Vtrum Christus fuerit seruus Dei?*  
*Vtrum Christi precatio semper fuerit exaudita?*  
*Vtrum Christus fuerit sacerdos?*  
*Vtrum Christus à patre Deo fuerit predestinatus?*  
*Vtrum humana Christi natura sit patrie cultu prosequenda?*  
*Vtrum sanctissime matri Christi sit honor patrie tribuendus?*

**S E X T V S** Prælectio nū liber ea cōplectitur, quæ ad virginē Dei genitricem pertinent, & quinque insignium quæstionum explicatione absoluitur. Sunt autem hæ, quæ sequuntur.

- Vtrum virgo Dei Verbimater fuerit ab omni peccati labe preseruata. Hæc quæstio explicationē continet puritatis, & impeccabilitatis ipsius virginis.*  
*Vtrum verum intercesserit inter Iosephū, & beatā virginem matrimonium?*  
*Vtrū beata virgo actiue aliquid egerit in conceptu, et generatione diuinæ proli?*  
*Vtrum beata virgo, vera & naturalis fuerit mater Dei?*  
*Vtrum beata virgo ad Dauidem interuentu Solomonis, referat originem. & ibi de genealogia saluatoris, & de regno Christi.*

*Has omnes quæstiones, Deo iuuante, & illuminante tractaturus, illud premonitum, ac predictū esse volo, nō esse mei instituti quippiā dicere, aut affirmare, quod sacrosanctæ fidei Christianæ decretis, almæ matris ecclesie sanctionibus repugnet. Quocirca si aliquid huiusmodi in hisse prælectionū mearū libris, vel in quocunq; alio à me edito, vel edendo, deprehensum fuerit, id prō non dicto haberi volo: illudque ipsum & quicquid aut dixero, aut scripsero, sacrosanctæ matris ecclesie correctioni subicio.*

# RERVM INSIGNIVM, ET MEMORABILIVM INDEX.



**A**bstractum numerositate forme, concretum vero numerositate suppositi numeratur, libro quinto q. 6. fol. 158. pagina. 2.

Accidentario convenire quid dicatur. lib. 1. q. 2. fo. 2. pagin. 1. Item lib. 2. q. 8. fol. 38. pag. 1.

Actio hominis nulla est satisfactoria de lege, nisi coniuncta merito passionis Christi, lib. 1. q. 7. fol. 15. pag. 1. 2.

Actio humana est a supposito incarnato, non solum ut a causa prima mouente, sed etiam ut a principio proximo actionis elicitiuo, lib. 4. q. 13. fol. 139. pag. 2.

Actio Mariæ virginis in bono confirmatæ, erat meritoria, lib. 6. q. 1. fol. 186. pag. 2.

Ad terminandam naturæ creatæ hypostaticam dependentiam, requiritur assumptis independentia, & subsistentia, lib. 3. q. 5. fol. 73. pag. 1. Item q. 6. fol. 73. pag. 2.

Adoratio latræ ane humanæ Christi naturæ, imagini ipsius, & cruci, ac cæteris omnibus ad Christum attinentibus debeat, lib. 5. q. 13. fol. 177. per totum.

Adoratio latræ an sit virgini matri ipsius Christi tribuenda, lib. 5. q. 14. fol. 181.

Amoris unio cum Deo, unione hypostatica est simpliciter inferior, lib. 2. q. 15. fol. 50. pag. 1. 2.

Angelica natura, an nefuerit a Verbo Dei assumptibilis, lib. 3. q. 6. fol. 74. pag. 2.

Anima Christi an potuerit intelligere formaliter actu intelligendi increato, lib. 4. q. 4. fol. 114. pag. 1. 2.

Anima beata res creatas cernit in Verbo, lib. 4. q. 7. fol. 113. pag. 2. Item fol. 114.

Anima Christi infinita cernit in Verbo, lib. 4. q. 7. fol. 124. 125. 126. 127. 128.

Anima Christi simul, & unico intuitu cernit in Verbo, quæcunq; cernit, lib. 4. q. 7. fol. 126.

Anima Christi non cognoscit in Verbo omnia, quæ Verbum ipsum cognoscit, ibidem.

Anima Christi distincte cernit omnia in verbo, ibidem.

Anima Christi non fuit omnipotens per potentiam sibi formaliter inhaerentem, lib. 4. q. 8. fo. 119.

Anima Christi an potuerit creare instrumentarie, ibidem fol. 131. pag. 1.

Anima Christi per nullam potentiam sibi formaliter inhaerentem, aut naturalem, aut supernaturalem miracula efficiebat, ibidem fol. 129. pag. 2.

Anima Christi quo pacto potentiam habuerit ad mutationes miraculosas, ibidem fol. 130.

Anima Christi in naturæ non valuit ad immutationem proprii corporis, secus ut instrumentum Verbi, ibidem fol. 132. pag. 1. 2.

Anima Christi quicquid per se expletum esse voluit, vi naturæ potuit explere, secus id quod per alium voluit expleri, ibidem fol. 132. pag. 1.

Anima Christi quatenus beata potuit efficere, ne homo Christus moreretur, lib. 4. q. 10. folio. 134. pagin. 2.

Assumere effectiue, itemq; terminatiue, cui primo conueniat, personæ an naturæ, lib. 3. q. 1. fol. 57. pag. 1. 2.

Assumere terminatiue de facto quid requirat, & quid de possibili, lib. 3. q. 1. fol. 58. pag. 1. 2.

Assumere vnam naturam numero an possint tres diuinæ personæ, lib. 3. q. 3. fol. 64.

Assumere ne possit vna persona multas naturas, lib. 3. q. 4. fol. 69. pag. 2.

Assumptio qui differat ab vnione, lib. 2. q. 12. fol. 46. pag. 1. 2.

Assumptionis, quod nam sit immediatum extremum, lib. 2. q. 13. fol. 47. pag. 1. 2.

Assumptio humanæ naturæ fuit diuinæ personæ Verbi conuenientior, quam personæ patris, aut Spiritus sancti, lib. 3. q. 2. fol. 63. pag. 2.

Assumpta natura non adæquat personam diuinam ad quam assumitur, adæquat tamen propriam personam, lib. 3. q. 3. fol. 67. pag. 1.

Assumptæ naturæ dependentiam suppositalem, quælibet diuina persona terminat totaliter sufficienter, non tamen totaliter adæquate, ibidem.

## B

**B**onum an sit diffusiuum sui, lib. 1. q. 3. fol. 8. pag. 2.

Boni vis & natura in eo posita est, ut se cum aliis communicet absolute, in quoq; tamen genere bonum se se diffundit accomodate ad suam naturam, ibidem.

Boni definitio explicatur, ibidem.

## C

**C**aietani refutatio, ut qui videatur in diuinis ponere quaternitatem, adiungendo diuinis personis, hunc Deum, in quo potuit fieri unio in carnationis, lib. 2. q. 5. fol. 31. 32. pag. 1. 2.

Christi actio omnis & passio hypostaticæ, & quo ad valorem fuit infinitum quiddam, lib. 1. q. 6. fo. 14. pag. 2.

Christus venit deleturus hominum peccata, tempore comodissimo, lib. 1. q. 10. fol. 17. pag. 1. 2.

Christum esse hominem quid significet, lib. 2. q. 4. fol. 3. pag. 2.

Christus an assumpserit hominem, lib. 2. q. 4. fol. 130. pag. 2.

Christus est homo absolute, non relative, lib. 2. q. 10. fol. 42. pag. 2.

Christus

Christus habuit dona spiritus sancti, & virtutes, lib. 4. q. 1. fol. 99.

Christus habuit omnes virtutes, tam Theologicas, quam morales non quidem in effectu, sed in animi præparatione, ibidem, fol. 101.

Christus caput ecclesie, lib. 4. q. 3. fol. 108.

Christus qua homo est, quomodo influat in membra, & quomodo instrumentarie causet gratiam ibidem.

Christi actiones fuerunt nobis salutiferæ, non solum meritorie sed etiam efficienter, ibidem.

Christus caput omnium, non hominum solum, verum etiam Angelorum, ibidem, fol. 111. pag. 1.

Christus humanæ naturæ imbecillitates suscepit, non contraxit, lib. 4. q. 9. fol. 133. pag. 2.

Christus imbecillitates animi suscepit, quæ in ipso fuerunt pro passionibus quædam, lib. 4. q. 11. fol. 136. pag. 1.

Christus an ne inceperit esse, & utrum sit creatura, lib. 5. q. 3. fol. 149. 153.

Christus non est duo, sed vnus, lib. 5. q. 5. fol. 155. pag. 1. 2.

Christus non est alius, & alius masculinè, aut aliud & aliud neutraliter, lib. 5. q. 5. fol. 156. pag. 2.

Christus sacerdos, & de sacerdotio Christi, lib. 5. q. 10. fol. 171. pag. 2.

Christus rex, lib. 6. q. 5. fol. 213. 214.

Coactum nihil fuit in Christo, lib. 4. q. 10. fol. 135. pag. 1.

Communicatur Deus cum creatura, trifariam, naturaliter s. supernaturaliter, & hypostatice, lib. 1. q. 3. fol. 5. 6. pag. 2.

Communicatio idiomatum fit in mysterio incarnationis, lib. 5. q. 4. fol. 154.

Compositio quomodo fit attributa personæ diuinæ post incarnationem, lib. 2. q. 6. fol. 34. pag. 1. 2.

Conceptus diuini Verbi in utero virgineo partim naturalis, partim miraculosus fuit, simpliciter tamē supernaturalis, lib. 6. q. 3. fol. 206. pag. 1.

Corpus Christi verum fuit, elementare, & non celeste, lib. 3. q. 13. fol. 90. pag. 2.

Corporis Christi proxima, & immediata materia à virgine subministrata quæ nam fuerit, lib. 6. q. 3. fol. 199. pag. 2. Item fol. 100. 101.

Corpus, siue caro Christi non fuit in patribus secundum aliquid signatum, lib. 6. q. 3. fol. 198. pag. 1. 2.

Corpus, siue caro Christi in Adamo an fuerit peccato, obnoxia, lib. 6. q. 3. fol. 199. pag. 1.

Corpus Christi fuit in patribus secundum corpus, sicut substantiā, non secundum seminalem rationem, lib. 6. q. 3. fol. 199. pag. 1.

Corpus Christi momento temporis formatum est in utero virgineo, lib. 6. q. 3. fol. 102. pag. 2.

## D

Decentissimum fuit, satisfactione Dei & hominis, genus hominum liberari, lib. 1. q. 8. fol. 17. pag. 1.

Desponsata esse decuit virginem, ex qua Christus nasceretur, lib. 6. q. 2. fol. 196. pag. 2.

Decuit ut Dei filius naturam ex Adamo alioquin se ad, propagatam assumeret, lib. 3. q. 12. fol. 89.

Deus summo modo per incarnationem in se se creaturæ communicauit, lib. 1. q. 3. fol. 7. pag. 1. 2.

Deus, siue concretum diuinæ naturæ, formaliter significat diuinam ipsam naturam, personas vero ipsas, quadam conotatione, significat enim naturam Deitatis, interim connotando, quod sit in persona, lib. 2. q. 5. fol. 32. pag. 1.

Deum incarnari fuit decentissimum, & ipsius bonitati conuenientissimum, libro, 1. quæst. 3. fol. 7. 8. 9.

Deo conuenit quicquid ad rationem boni simpliciter pertinet, lib. 1. q. 3. fol. 9. pag. 2.

Deus, & hic Deus idem significant, modo tamen aliquo differunt, lib. 2. q. 3. fol. 32. pag. 2.

Deus est homo, per se, & essentialis propositio est, lib. 5. q. 1. fol. 143.

Deus factus est homo, vera propositio est, lib. 5. q. 2. fol. 144. per totum.

Deus acquirens esse humanum non est mutatus, lib. 5. q. 2. fol. 148.

Dependentia humanæ naturæ ad Verbum duplex, suppositalis vna, & relatiua altera, illius consequens, lib. 2. q. 10. fol. 42. pag. 1.

Diuina natura non est vnita humanæ naturæ, in esse formæ perficientis, & actuantis, lib. 2. q. 2. fol. 22. pag. 2.

Diuinum esse non potest sic communicari creaturæ, ut sit eius forma, & actus, ibidem, fol. 23.

Diuinæ naturæ indiuiduum non coincidit cum supposito, indiuiduum tamen naturæ creatæ coincidit, lib. 2. q. 5. fol. 31. pag. 2.

Diuina in natura duo duntaxat spectantur, suppositum, s. natura, nempe hæc deitas, lib. 2. q. 5. fol. 32. pag. 1.

Diuina natura non potest esse forma rei creatæ, tribuens illi esse, lib. 2. q. 2. fol. 21. pag. 2.

Dominus orbis Christus, lib. 6. q. 5. fol. 214. pag. 1.

Donum timoris quomodo habuerit Christus, lib. 4. q. 1. fol. 100. pag. 1. 2.

## E

Eadem existentia existit suppositum, & natura, lib. 5. q. 6. fol. 158. pag. 2.

Errores varij de Christi voluntate, lib. 5. q. 7. fol. 160.

Essentiæ nomen nouum est apud Latinos, lib. 2. q. 4. fol. 26. pag. 2.

Essentia

INDEX.

Essentia quid, ibidem.

Esse essentiae in Christo multiplex reperitur, li. 5. q. 6. fol. 157. pag. 1.

Esse actualis existentiae in Christo duplex, diuinum. s. & humanum, ibidem.

Esse caput ecclesiae soli Christo conuenire, lib. 4. q. 3. fol. 113. pag. 1.

Esse intermino, quoad partem superiorem, duobus modis contingit, lib. 5. q. 8. fol. 166. pag. 2.

Eutychetis error, & eiusdem refutatio, lib. 2. q. 1. fol. 20. pag. 1. 2.

Existentia quid sit, lib. 5. q. 6. fol. 158. pag. 1.

Existentia non conuenit naturae nisi prout est in supposito, proprio vel alieno, ibidem.

F

Fides, & spes non fuerunt in Christo, lib. 4. q. 1. fo. 100. pa. 2.

Fieri in mysterio incarnationis, conuenit passiuae naturae humanae, terminatiue ipsi Verbo, lib. 5. q. 2. fol. 147. 148.

Fieri hominem duobus modis contingit, subiectiue. s. & terminatiue: ac posteriori modo filius Dei factus est homo, lib. 5. q. 2. fol. 147. pag. 1. 2.

Fieri hominem in mysterio incarnationis, est Verbum Dei esse humanum acquirere, deinde vero habitudinem humanae naturae ad se terminare, lib. 5. q. 2. fol. 147. pag. 1. 2.

Filius adoptiuus non est Christus, lib. 5. q. 12. fol. 174. pag. 1.

Filiatio in Christo vnica, & non duplex reperitur, lib. 6. q. 4. fol. 208.

Finis dominicae incarnationis, li. 1. q. 2. fo. 6. pa. 2.

Forma non potest esse actus alicuius, quin illud informet, & tertium quiddam cum ipso constituat, lib. 2. q. 3. fol. 23. 24. pag. 1. 2.

Forma intensibilis an possit intendi in infinitum, lib. 4. q. 2. per totum.

Formatio corporis Christi perfecta est in instanti, lib. 6. q. 3. fol. 202. pa. 1. 2. Item. fol. 203. pa. 1. 2.

Formatum est corpus Christi ex eadem materia, ex qua caeterorum hominum corpora formantur, lib. 6. q. 3. fol. 201. pag. 1.

G

Geneologia Christi, lib. 6. q. 5. fol. 211.

Gratia fuit in Christo, lib. 4. q. 1. fol. 99.

Gratiae omnia effecta fuerunt in Christo, ibidem.

Gratiae, quae dicuntur gratis datae fuerunt in Christo, ibidem, fol. 101. pag. 2.

Gratiae plenitudinem habuit Christus, lib. 4. q. 2. fol. 102. pag. 1. 2.

Gratiae Christianae potuerit fieri accessio, lib. 4. q. 2. fol. 102. per totum corpus quaestionis.

Gratia Christi capitalis non distinguitur re ipsa a gratia habituali eiusdem, lib. 4. q. 3. fol. 112. pa. 2.

Gratia vnionis partim est homini Christo natu-

ralis, partim non est naturalis, lib. 2. q. 17. fol. 53. pagina. 2.

Gratia vnionis partim est aliquid creatum, partim increatum, lib. 2. q. 18. fol. 54. pag. 2.

Gloria corporis consequitur gloriam animi secundum congruentiam humanorum meritorum, ex diuina ordinatione, lib. 4. q. 14. fol. 142.

H

Habitus in tria genera diuiditur, lib. 2. q. 8. fol. 35. pag. 1.

Habitu Christum inuentum esse hominem, varie exponitur, ibidem.

Hic Deus, non est aliquid praeter hypostases, aut naturam, sed ipsa et natura diuina significata ut in habente, cum expressione singularitatis. Estque secundarius terminus vnionis, quemadmodum & haec deitas, lib. 2. q. 5. fol. 32. pag. 2.

Homo Christus non proinde est Deus, quia humana natura ipsa deitate ceu forma actuetur, lib. 2. q. 2. fo. 23. pag. 1.

Homo est Deus, vera est propositio, lib. 5. q. 1. fol. 143. pag. 2.

Homofactus est, verane sit propositio, lib. 5. q. 2. fol. 144.

Hominum sex gradus, & status, quibus omnes hominum differentiae, tam in via, quam extra viam, continentur, lib. 4. q. 3. fo. 111. pag. 1.

Humana natura vnita est diuinae personae per se primo, diuinae vero naturae per se secundo, lib. 2. q. 2. fo. 23. pag. 1.

Humana natura Verbo vnita habitui comparatur, licet non quoad, omnia sit similis habitui, lib. 2. q. 8. fo. 35. pag. 2. Item. 38. pag. 2.

Humana natura aliquomodo vnitur Verbo Dei per modum accidentis, lib. 2. q. 8. fo. 35. pag. 2.

Humana natura non est coniuncta Verbo diuino per modum instrumenti, ibidem, fo. 39. pag. 1. 2.

Humana natura fuit caeteris omnibus naturis, etiam Angelica, ad assumptionem aptior, lib. 3. q. 6. fo. 74. pag. 1. 2.

Humana natura vnita diuinae personae, vtrum habeat ad propriam personalitatem inclinationem, lib. 3. q. 8. fo. 86. pag. 1.

Humana natura non est assumpta in omni suo indiuiduo, lib. 3. q. 10. pag. 1.

Hominem esse a verbo assumptum, quo pacto sit intelligendum, lib. 3. q. 9. fo. 88. pag. 1.

Humidum radicale quid sit, lib. 3. q. 14. fo. 93. pag. 2.

Hypostasis varie accipitur, lib. 2. q. 4. fo. 27. 28.

Hypostasi aliquid coniungitur, & vnitur duobus modis, lib. 2. q. 8. fo. 39. pag. 1.

Hypostasis apud graecos idem valet, quod suppositum apud Latinos, lib. 2. q. 4. fo. 28. pa. 1.

I

Imbecillitates animi Christus suscepit, quae in ipso pro passionibus fuerunt, lib. 4. q. 11. fol. 135. pag. 2.

INDEX.

pag. 2. Item, lib. 6. pag. 1.  
 Incarnatum est Dei Verbum propter delendum peccatum, lib. 1. q. 2. fol. 2. per totum.  
 Incarnatio verbi diuini, non hominis solum, verum etiam omnium creaturarum fuit subiectio, lib. 1. q. 3. fol. 7. pag. 2.  
 Incarnari, est dependentiam suppositalem primo humanæ naturæ sustentare, deinde vero dependentiam relatiuam, lib. 2. q. 10. fol. 44. pag. 2.  
 Incarnatio fuit opus meriti gratiæ, lib. 2. q. 16. fol. 52. pag. 2.  
 Individuum quid est, lib. 2. q. 4. fol. 27. pag. 1.  
 Incipere esse, an ne conueniat Christo, lib. 5. q. 3. fol. 149.  
 Ignorantiam nullo modo habuit Christus, lib. 4. q. 12. fol. 147. pag. 2.  
 Iræ quo pacto habuit Christus, lib. 4. q. 31. folio. 137. pag. 1.  
 Instrumenti vis, & ratio in quo consistat, lib. 4. q. 8. fol. 130. pag. 1. 2.  
 Intuitiue aliquid cognoscitur bisariam, lib. 4. q. 7. fol. 124. pag. 1.

M

**M**aria, annemerito de condigno meruerit incarnationem, lib. 2. q. 16. fol. 52. pa. 2.  
 Mariæ virgini non est tribuendus cultus, & venerationis latriæ, sed hyperdulix, libro. 5. q. 14. fol. 181.  
 Maria virgo non ulla vnquam actualis peccati labe est infecta, lib. 6. q. 1. fol. 183. pag. 1. 2.  
 Maria virgo in matris utero est sanctificata, lib. 6. q. 1. fol. 184. pag. 1.  
 Maria virgo non est sanctificata ante animationem, lib. 6. q. 1. fol. 184. pag. 2.  
 Maria virgo vi sanctificationis suæ plenitudinẽ gratiæ est consecuta, lib. 6. q. 1. fol. 184. Item, 185. pag. 1.  
 Maria virgo non solum non peccauit, sed neque peccatum etiam committere vllum potuit, lib. 6. q. 1. fol. 185. pag. 2. Item, fol. 186. 187.  
 Maria virgo originalis peccati labem minime contraxit, lib. 6. q. 1. folio. 187. pag. 2. & deinceps per totum.  
 Maria virginitatem Deo suam, suscepto voto, eoq; absoluto, & non conditionato, dicauit, lib. 6. q. 2. fol. 193. 194. 195. 196.  
 Mariæ cum Iosepho contractum matrimonium non solum verum fuit, verum etiam perfectum, lib. 6. q. 3. fol. 197. pag. 1. 2.  
 Maria purissimum sanguinem conceptui Christi ministravit, lib. 6. q. 3. fol. 199. pag. 2.  
 Maria Christum utero, non corde corporaliter concepit, ibidem.  
 Maria virgo eam conceptui, & generationi diuinæ prolis materiam suppeditauit, quam cæteræ

fœminæ subministrant, lib. 6. q. 3. fol. 200. pag. 2. Item, fol. 201. pag. 1. 2.  
 Maria concepit de Spiritu sancto, ibidem, pag. 2.  
 Maria actiue aliquidegit in conceptu diuini Verbi, non solum materiam præparando, verum etiam ad ipsam diuinæ prolis generationem actiue concurrendo, lib. 6. q. 3. fol. 163. 104. 105. In Mare gene rætrici facultatis plus inest, quam in fœmina, ibidem, fol. 201. 202. 203. 204. 205. 206. 207. 208. 209. 210. 211. 212. 213. 214. 215. 216. 217. 218. 219. 220. 221. 222. 223. 224. 225. 226. 227. 228. 229. 230. 231. 232. 233. 234. 235. 236. 237. 238. 239. 240. 241. 242. 243. 244. 245. 246. 247. 248. 249. 250. 251. 252. 253. 254. 255. 256. 257. 258. 259. 260. 261. 262. 263. 264. 265. 266. 267. 268. 269. 270. 271. 272. 273. 274. 275. 276. 277. 278. 279. 280. 281. 282. 283. 284. 285. 286. 287. 288. 289. 290. 291. 292. 293. 294. 295. 296. 297. 298. 299. 300. 301. 302. 303. 304. 305. 306. 307. 308. 309. 310. 311. 312. 313. 314. 315. 316. 317. 318. 319. 320. 321. 322. 323. 324. 325. 326. 327. 328. 329. 330. 331. 332. 333. 334. 335. 336. 337. 338. 339. 340. 341. 342. 343. 344. 345. 346. 347. 348. 349. 350. 351. 352. 353. 354. 355. 356. 357. 358. 359. 360. 361. 362. 363. 364. 365. 366. 367. 368. 369. 370. 371. 372. 373. 374. 375. 376. 377. 378. 379. 380. 381. 382. 383. 384. 385. 386. 387. 388. 389. 390. 391. 392. 393. 394. 395. 396. 397. 398. 399. 400. 401. 402. 403. 404. 405. 406. 407. 408. 409. 410. 411. 412. 413. 414. 415. 416. 417. 418. 419. 420. 421. 422. 423. 424. 425. 426. 427. 428. 429. 430. 431. 432. 433. 434. 435. 436. 437. 438. 439. 440. 441. 442. 443. 444. 445. 446. 447. 448. 449. 450. 451. 452. 453. 454. 455. 456. 457. 458. 459. 460. 461. 462. 463. 464. 465. 466. 467. 468. 469. 470. 471. 472. 473. 474. 475. 476. 477. 478. 479. 480. 481. 482. 483. 484. 485. 486. 487. 488. 489. 490. 491. 492. 493. 494. 495. 496. 497. 498. 499. 500. 501. 502. 503. 504. 505. 506. 507. 508. 509. 510. 511. 512. 513. 514. 515. 516. 517. 518. 519. 520. 521. 522. 523. 524. 525. 526. 527. 528. 529. 530. 531. 532. 533. 534. 535. 536. 537. 538. 539. 540. 541. 542. 543. 544. 545. 546. 547. 548. 549. 550. 551. 552. 553. 554. 555. 556. 557. 558. 559. 560. 561. 562. 563. 564. 565. 566. 567. 568. 569. 570. 571. 572. 573. 574. 575. 576. 577. 578. 579. 580. 581. 582. 583. 584. 585. 586. 587. 588. 589. 590. 591. 592. 593. 594. 595. 596. 597. 598. 599. 600. 601. 602. 603. 604. 605. 606. 607. 608. 609. 610. 611. 612. 613. 614. 615. 616. 617. 618. 619. 620. 621. 622. 623. 624. 625. 626. 627. 628. 629. 630. 631. 632. 633. 634. 635. 636. 637. 638. 639. 640. 641. 642. 643. 644. 645. 646. 647. 648. 649. 650. 651. 652. 653. 654. 655. 656. 657. 658. 659. 660. 661. 662. 663. 664. 665. 666. 667. 668. 669. 670. 671. 672. 673. 674. 675. 676. 677. 678. 679. 680. 681. 682. 683. 684. 685. 686. 687. 688. 689. 690. 691. 692. 693. 694. 695. 696. 697. 698. 699. 700. 701. 702. 703. 704. 705. 706. 707. 708. 709. 710. 711. 712. 713. 714. 715. 716. 717. 718. 719. 720. 721. 722. 723. 724. 725. 726. 727. 728. 729. 730. 731. 732. 733. 734. 735. 736. 737. 738. 739. 740. 741. 742. 743. 744. 745. 746. 747. 748. 749. 750. 751. 752. 753. 754. 755. 756. 757. 758. 759. 760. 761. 762. 763. 764. 765. 766. 767. 768. 769. 770. 771. 772. 773. 774. 775. 776. 777. 778. 779. 780. 781. 782. 783. 784. 785. 786. 787. 788. 789. 790. 791. 792. 793. 794. 795. 796. 797. 798. 799. 800. 801. 802. 803. 804. 805. 806. 807. 808. 809. 810. 811. 812. 813. 814. 815. 816. 817. 818. 819. 820. 821. 822. 823. 824. 825. 826. 827. 828. 829. 830. 831. 832. 833. 834. 835. 836. 837. 838. 839. 840. 841. 842. 843. 844. 845. 846. 847. 848. 849. 850. 851. 852. 853. 854. 855. 856. 857. 858. 859. 860. 861. 862. 863. 864. 865. 866. 867. 868. 869. 870. 871. 872. 873. 874. 875. 876. 877. 878. 879. 880. 881. 882. 883. 884. 885. 886. 887. 888. 889. 890. 891. 892. 893. 894. 895. 896. 897. 898. 899. 900. 901. 902. 903. 904. 905. 906. 907. 908. 909. 910. 911. 912. 913. 914. 915. 916. 917. 918. 919. 920. 921. 922. 923. 924. 925. 926. 927. 928. 929. 930. 931. 932. 933. 934. 935. 936. 937. 938. 939. 940. 941. 942. 943. 944. 945. 946. 947. 948. 949. 950. 951. 952. 953. 954. 955. 956. 957. 958. 959. 960. 961. 962. 963. 964. 965. 966. 967. 968. 969. 970. 971. 972. 973. 974. 975. 976. 977. 978. 979. 980. 981. 982. 983. 984. 985. 986. 987. 988. 989. 990. 991. 992. 993. 994. 995. 996. 997. 998. 999. 1000.  
 Mariæ conceptus cum naturalis tum miraculofus, lib. 6. q. 3. fol. 206. pag. 1.  
 Maria est vera, ac naturæ mater Christi, lib. 6. q. 4. fol. 106. pag. 2.  
 Maria verior & perfectior mater est Christi, quàm cæuis alia mater sui filij, ibi. fol. 107. pag. 1.  
 Maria vere & realiter mater Dei, ibidẽ, pag. 1. 2.  
 Maria virgo in partu, lib. 6. q. 4. fol. 210.  
 Maria Davidis filia, per Solomonis lineã, non Nathanis, lib. 6. q. 5. fol. 212. 213.  
 Mediator Dei & hominum Christus, lib. 5. q. 11. fol. 170. pag. 2.  
 Mereri Christus potuit, & sibi, & nobis meruit, meritumq; ipsius nobis applicatur, lib. 5. q. 8. per totum.  
 Miracula quomodo edant sancti, lib. 4. q. 8. fol. 130. pag. 2.  
 Morbo ne aliquo potuerit Christus affici, lib. 4. q. 9. fol. 134. pag. 1. 2.  
 N  
**N**aturæ significatio varia, lib. 2. q. 4. fol. 25. pa. 1. 2. Item, fol. 26.  
 Natura omnis est in supposito, aut proprio, aut alieno, lib. 2. q. 4. fol. 30. pag. 1.  
 Natura humana assumpta à Verbo se habet ad verbum, non per modum formæ inhærentis, aut adiacentis sed hypostatice dependentis, lib. 1. q. 1. fol. 2. pag. 1.  
 Natura humana assumpta à Verbo, licet sit indiuidua, non tamẽ est hic homo, lib. 2. q. 4. fol. 30. pa. 2.  
 Natura humana assumpta, ex diuina natura dependet dependentia in existentia, à persona vero Verbi dependentia suppositali, lib. 3. q. 1. fol. 3. 8. pag. 2.  
 Natura multiplicatur multiplicatione suppositi, quod constituit, lib. 3. q. 4. fol. 70. pag. 2.  
 Natura irrationalis an ne fuerit assumptibilis, lib. 3. q. 6. fol. 75. pag. 1. 2.  
 Natura rationalis Deo hypostatice coniuncta, an ne possit non frui Deo, lib. 3. q. 6. fol. 76. pag. 2.  
 Natura, & suppositum quomodo distinguantur, lib. 3. q. 7. fol. 79. pag. 2.  
 Natura assumpta an ne habeat ad propriam personalitatem inclinationem, lib. 3. q. 8. fo. 66. pa. 2.  
 Natura humana non est assumpta separata à singularibus, lib. 3. q. 9. fol. 88.  
 Natura diuina potuerit ne assumere, abstracta per

- per intellectum personalitate, libr. 3. q. 2. fol. 60. pag. 1. 2.
- Natura diuina potuit primo assumptionem terminare, quo posito, hic Deus diceretur incarnatus, non pater, filius, & Spiritus sanctus, libr. 3. q. 2. fol. 62. pag. 1.
- Necessarium ne fuerit Deum incarnari, libr. 1. q. 4. fol. 10. pag. 1.
- Nestorij error refutatur, libr. 2. q. 4. fol. 28. pag. 2.
- O**peratio in Christo duplex, diuina, scilicet & humana, libr. 5. q. 8. fol. 163. pag. 1. 2.
- Operatio principalis, vna & indistincta in Christo fuit, sed Verbi erat vt propria, humane vero nature vt participata, libr. 5. q. 8. fol. 164. pag. 1.
- Ordini gratie preponitur ordo nature, libr. 1. q. 2. fol. 5. pag. 1.
- Ordo quo pacto cadat in assumptionem, libr. 3. q. 15. fol. 96.
- Orare Christum decuit, libr. 5. q. 10. fol. 168. & ibi de oratione Christi.
- P**atibilitas humani corporis causa duplex, libr. 4. q. 9. fol. 133. pag. 1. 2.
- Pars Christi superior in inferiorem minime redudabat, libr. 4. q. 11. fol. 136. pag. 2.
- Passiones anime Christi differre a passionibus ceterorum hominum, libro. 4. q. 11. folio. 136. pagin. 1.
- Peccatum non habuit Christus, neq; habere potuit, libr. 4. q. 13. fol. 138. pag. 2. Item, fo. 139.
- Peccatum originale Maria non habuit, neq; itidem actuale, libr. 6. q. 1. fol. 187.
- Peccatum originale deleturus Christus venit, libr. 1. q. 9. fol. 18.
- Peccare pertinet ad ordinem nature, libr. 1. q. 2. fol. 5. pag. 1.
- Personae varia significatio, libr. 2. q. 4. fol. 27. pag. 2.
- Persona diuina post incarnationem an euaserit composita, libr. 2. q. 6. fol. 34. pag. 1. 2.
- Persona diuina an possit multas naturas, aut numero, aut specie dissidentes hypostatice sustentare, libr. 3. q. 4. fol. 69. pag. 2.
- Persona diuina assumptae nature hypostatice dependentiam terminat totaliter tam intensue quam extensue, libr. 3. q. 3. fol. 69. pag. 2.
- Persona habens duas naturas, an esset vnus homo, an multi homines, libr. 3. q. 4. fol. 70. pag. 1.
- Personae conuenit assumptio terminatiue, nature vero effectiue, libr. 3. q. 1. fol. 57. pag. 1. 2.
- Persona humana non est assumpta, neq; fuit vllomodo assumptibilis, libr. 3. q. 7. fol. 79. pag. 1. 2.
- Possibile fuit Deum incarnari, libr. 1. quest. 1. per totum.
- Potuit Deus velle incarnationem non vt redemptionem, de facto tamen eam sic voluit, libr. 1. q. 2. fol. 6. pag. 1.
- Predestinatio Christi singularis, libr. 5. q. 12. fol. 175. per totum.
- Predestinatio Christi, pre scientiam supposuit peccati ipsius Adami, libr. 1. q. 2. fol. 5. pag. 1. 2.
- Predestinatio supponit pre scientiam futurorum, & naturalem ordinem vniuersi, ibidem.
- Propasio quomodo differat a passione, libr. 4. q. 11. fol. 136. pag. 1.
- R**egnum Christi, quale, libr. 6. q. 5. fol. 214. pag. 1.
- Rex Christus, ibidem.
- Realiter vnitur nature humane Verbum ipsum diuinum, libr. 2. q. 11. fol. 46. pag. 2.
- Relatorum duo genera, libr. 1. q. 1. fol. 1. pag. 2.
- Relationum triplex genus de sententia doctorum, libr. 2. q. 10. fol. 43. pag. 1.
- Relationis vniionis fundamentum immediatum, quod nam sit, libr. 2. q. 10. fol. 43. Item. 44.
- Relatio vniionis est relatio aequiparantiae, ordinis, & dependentiae vnius extremi ad alteram, libr. 2. q. 11. fol. 45. pag. 2.
- Relatio vniionis consequitur nouum aliquod esse absolutum actione vniuita acquisitum, quod est esse substantiale, & proximum fundamentum huius relationis, libr. 2. q. 10. fol. 44. pag. 1.
- Relatio vniionis est ens rationis in Verbo, libr. 2. q. 11. fol. 45. pag. 2.
- Relatio omnis acquiritur ortu alicuius forme absolute, libr. 2. q. 10. fol. 43. pag. 1. 2.
- Relatio non potest immediate actionem, siue motum terminare, ibidem.
- S**acerdos Christus ritu, & ordine Melchisedechi, Aronis non item, libr. 5. q. 11. fol. 171. pag. 2.
- Sacerdotium Christi aeternum, ibidem. Ac de Christi sacerdotio per totum corpus quaestio, Sacrificij effectus proprius, ibidem.
- Sanguini Christi an ne fuerit hypostatice diuinitas coniuncta, libr. 3. q. 13. fol. 92. & ibi de sanguine Christi multa, per vniuersum corpus quaestio.
- Satisfactio est redditio aequivalentis alias non debiti, libr. 1. q. 5. fol. 11. pag. 2.
- Satisfactio aequalis, & simpliciter perfecta, quid requirat in satisfaciente, libr. 1. q. 5. fol. 10. pag. 2.
- Satisfactio sufficiens est duplex, vna ex se sufficiens, altera per acceptationem eius, cui fit satisfactio, libr. 1. q. 5. fol. 13. pag. 1.



- Satisfactionis efficacitas à Deo est, actionem hominis per gratiam dignificante, & per misericordiam acceptante, lib. 1. q. 5. fol. 13. pag. 1.
- Satisfactio nostra, quatenus est satisfactio mysticæ personæ, quæ ex capite Christo, & membris constituitur, est simpliciter æqualis, & sufficiens, lib. 1. q. 7. fol. 16. pag. 1.
- Satisfacere ad æqualitatem pro peccato totius generis humani homo purus non potuit, lib. 1. q. 5. fol. 12. pag. 1. 2.
- Satisfacere homo purus potuit pro peccato totius generis humani, secundum Dei acceptantis misericordiam, lib. 1. q. 6. fol. 14. pag. 2.
- Satisfacere ad æqualitatem Christus potuit pro peccato totius generis humani, lib. 1. q. 6. fol. 14. pag. 2.
- Servus Dei an fuerit Christus, lib. 5. q. 9. fol. 168. pag. 1.
- Si homo non peccasset an ne Deus carnem humanam assumpsisset, lib. 1. q. 2. fol. 4. pag. 1. 2. & per totum corpus quæstionis.
- Scientia creata omnino ponenda est in Christo, lib. 4. q. 4. fol. 113. pag. 2.
- Scientia acquisita an fuerit in Christo, lib. 4. q. 5. fol. 116. per totum.
- Scientiæ acquisitæ, & infusæ per se differentia, lib. 4. q. 5. fol. 120. Item, fol. 121. pag. 2.
- Scientia infusa duplex, per se, & per accidens, lib. 4. q. 5. fol. 118. pag. 2. Item, fol. 121. pag. 1.
- Scientia Christo indita est præstantior scientia indita mentibus Angelicis, lib. 4. q. 6. fol. 122.
- Scientiæ infusæ animæ Christi vis patet quam latissime, lib. 4. q. 6. fol. 123.
- Species indita mentibus Angelicis sunt præstantiores iis, quas Deus animæ Christi indidit, lib. 4. q. 6. fol. 122.
- Species infusæ representant non solum naturas rerum absolute, verum etiam sub quacumque dispositione accidentaria, lib. 4. q. 6. fol. 122. pag. 2.
- Spiritus sanctus cor ecclesiæ, lib. 4. q. 3. fol. 109. pag. 1.
- Spiritus sanctus non est pater Christi, lib. 6. q. 3. fol. 201. pag. 2.
- Spiritus sancto appropriatur mysterium incarnationis, ibidem, fol. 102. pag. 1.
- Subsistere in diuinis duplex, essentialis, & notionale, siue personale, lib. 3. q. 1. fol. 18. pag. 2.
- Subsistentia simpliciter vnica est in Christo, subsistentia tamen, siue subsistendi ratio in tali natura, duplex, lib. 2. q. 7. fol. 39. pag. 2.
- Subsistat ne Christus in & ex duabus naturis, ibi.
- Substantiæ nomine abstinendum cum de Trinitate diuinarum personarum loquimur, lib. 2. q. 4. fol. 27. pag. 1.
- Suppositum quid est, ibidem.
- Suppositum, & natura quomodo distinguantur, lib. 3. q. 7. fol. 79. pag. 2.
- Suppositum quid addat naturæ, ibidem, fol. 83.
- Suppositum creatum an possit multas naturas sustentare, lib. 3. q. 5. fol. 70. pag. 2.
- Suppositalem dependentiam potest vna persona sine altera terminare, dependentiam vero in existentie non item, lib. 3. q. 2. fol. 62. pag. 2.
- T**Imor, & tristitia quo pacto fuerint in Christo, lib. 4. q. 11. fol. 136. pag. 2.
- Timor, qui est donum Spiritus sancti, quo pacto fuerit in Christo, lib. 4. q. 1. fol. 100. pag. 1. 2.
- Tractio sanguinis virginis ad locum generationi accomodatum, facta est in tempore, lib. 6. q. 3. fol. 202. pag. 1. 2.
- V**erbum incarnari, quid sit, lib. 1. q. 1. fol. 2. pag. 1. Item, lib. 2. q. 10. fol. 42.
- Verbum, assumptione carnis, non est mutatum, ibi q. 1. fol. 2. pag. 1.
- Verbum factum est homo, non ad hominem, lib. 5. q. 2. fol. 147. pag. 1. 2.
- Verbum diuinum animam hominis assumpsit, omnibus suis facultatibus præditam, lib. 3. q. 13. fol. 91. pag. 1.
- Viator fuit Christus simul & comprehensor, lib. 4. q. 14. fol. 141. pag. 1. 2.
- Vnio Verbi incarnati, non est facta in natura, lib. 2. q. 1. fol. 20. pag. 1. 2.
- Vnio Verbi incarnati facta est in persona, lib. 2. q. 4. fol. 28. 29.
- Vnio Verbi incarnati substantialis est, & non accidentaria, lib. 2. q. 8. fol. 36. pag. 1. 2.
- Vnio Verbi incarnati singularis, assimilatur tamē præ cæteris, vnioni per insitionem, lib. 2. q. 9. fol. 40. 41.
- Vnio duplex in mysterio incarnationis cernitur, lib. 2. q. 10. fol. 41. pag. 2.
- Vnio fundamentaliter est substantia, & aliquid increatum, vnio vero formaliter est accidens, & aliquid creatum, ibidem, fol. 42. pag. 1.
- Vnio est entitas distincta ab extremis vnitis, lib. 2. q. 10. fol. 44. pag. 2.
- Vnio Verbi incarnati est relatio, ibidem, fol. 45. pag. 1.
- Vnio Verbi incarnati tria declarat, ibidem, fol. 44. pag. 2.
- Vnio distinguitur ab assumptione, lib. 2. q. 12. fol. 46. pag. 2.
- Vnio incarnationis non est facta per gratiam habitualem, lib. 2. q. 14. fol. 48. pag. 2.
- Vnio incarnationis non potuit cadere sub meritum, lib. 2. q. 16. fol. 51. pag. 1. 2.

Vnio hypostatica est præstator simpliciter, quæ vnio cum Deo per cognitionem, & amorem, lib. 2. q. 15 fol. 50. pag. 1. 2.  
 Vnio incarnationis est omnium vnionum maxima, lib. 2. q. 19. fol. 55. pag. 1. 2.  
 Vnio personalis perficitur duplici vnione, s. vnione cum diuina natura, & vnione cum proprietate personali, lib. 3. q. 1. fol. 59. pag. 2.  
 Volitum vnum est propter alterum, in processu diuinæ voluntatis, lib. 1. q. 2. fol. 5. pag. 1.

Voluntas in Christo duplex, libro. 5. q. 7. fol. 159. pag. 2.  
 Voluntas humanam in Christo duplex, naturalis, s. & rationalis, ibidem.  
 Voluntatum in Christo nulla fuit contrarietas, diuersitas tamen fuit, ibidem.  
 Voluntas vt natura abstrahit ab ordine ad finem, ibidem, fol. 162. pag. 2.

Finis ipsius Indicis.

Insigniora errata sic expungito.



**A** se licitam, & perfectam, lege, a se elicitam, & profectam, lib. 5. fol. 156. pag. 2.  
 Aduersatur, lege, auersatur, lib. 3. fol. 89. pag. 2. versu. 10.  
 Alrice, lege, altrice, lib. 3. fol. 93. pa. 2. versu. 13.  
 Compositi, lege, compoti, lib. 2. fol. 50. pag. 1. vers. 7.  
 Conueniente, lege, conuenienter, lib. 4. fol. 120. pag. 2.  
 Enim, lege, scilicet, lib. 3. fol. 79. pag. 1. ad finē.  
 Eo, lege, eodem, lib. 6. fol. 197. pag. 2.  
 Ens, lege, eas, lib. 4. fol. 136. pag. 1.  
 Extracta, lege, extincta, lib. 6. fol. 213. pag. 1.  
 Famam, lege, famem, lib. 4. fol. 135. pag. 1.  
 Hypostasi, lege, hypothesi, lib. 3. fol. 69. pag. 1. Item pag. 2. **Calefacile, lege, calefactibile.**  
 Illa, lege, vlla, lib. 1. fol. 19. pag. 1. ver. 19.  
 Indictionem, lege, inductionem, lib. 4. fol. 116. pag. 2. versu. 9.  
 Inuersa, lege, vniuersa, lib. 4. fol. 137. pag. 1.  
 Naturæ, lege, nostræ, lib. 1. fol. 5. pag. 2. versu. 6.  
 Neque, lege, vt quæ, lib. 1. fol. 14. pag. 1. versu. 15.  
 Natura, lege, mutua, lib. 2. fol. 45. pag. 2. versu. 1.  
 Opponere, lege, apponere, lib. 5. fol. 155. pag. 2.  
 Prior, lege, prima, lib. fol. 141. pag. 1.  
 Quæue, lege, quæue, lib. 2. fol. 23. pag. 1. versu. 8.  
 Quæ iungitur naturæ actu, lege, qua iungitur materię actu, lib. 2. fol. 42. pag. 2. versu. 9.  
 Quæst. 11. lege, q. 10. lib. 4. fol. 107. pag. 2. versu. 9.  
 Quatuor, lege, tria, lib. 6. fol. 196. pag. 1.  
 Rei, lege, res, lib. 1. fol. 9. pag. 1. versu. 14.  
 Re sacramentali, lege, re sacramenti, lib. 2. fol. 33. pag. 2. versu. vltimo.  
 Res, lege, rei, lib. 5. fol. 158. pag. 1.  
 Sacramenti, lege, sacrosanctæ, lib. 1. fol. 19. pag. 1. versu. vltimo.  
 Substantia, lege, subsistentia, lib. 2. fol. 39. pag. 1. Item, lib. 3. fol. 61. pag. 1. versu. 6.  
 Scotus, lege, Soto, lib. 4. fol. 101. pag. 1. ad marginem.  
 Sic, lege, sit, lib. 4. fol. 133. pag. 2. versu. 10.  
 Substantiam, lege, subsistentiam, lib. 5. fol. 159. versu. penultimo.

PRÆLECTIONVM SIVE ENARRA-  
tionum admirabilis diuini Verbi cum huma-  
na natura coniunctionis.

Liber Primus.



RINCIPIO ANTE-

quam ad explicationē admirabilis huiusce  
vnionis ingrediamur: vocāda sunt in que-  
stionem nonnulla vniuersæ huic de Verbo  
incarnato disputationi quasi præposita &  
præambula, in quibus illud est primū, fieri  
ne potuerit hæc tāta tamq; admirabilis Dei  
Verbi cum humana natura cōiunctio? De-  
inde illud est exquirendū quæ nā causa sum-

mum illud ac præpotens Numen impulerit, vt se nostræ carni coniungeret.  
Postremo quam latè pateat huius vnionis vis & efficacitas, &c.

DE POSSIBILITATE INCARNATIONIS.

Quæstio prima.

*Anne incarnatio fuerit possibilis?*

**A**C quoad primum caput attinet: non potuisse fieri hanc diuini Verbi  
cum humana natura coniunctionem his argumentis ostenditur.

Principio ita licet argumentari, Nihil tam fieri non potest quam quod diui-  
na natura mutetur: Etenim Deus est immutabilis omnino, iuxta illam Iaco- Iacob. 1.

bi sententiam, apud quem nulla est mutatio, neq; vicissitudinis obumbratio.  
Item in Psalmis dicitur: Tu autem idem ipse es: atqui si incarnatio esset possi- Psa. cxv.  
bilis: mutatio in Deum, idq; quoad substantiam, posset cadere, non est igitur  
vllō modo hæc qua de agere instituimus, Verbi Dei incarnatio possibi-  
lis. Minor ostenditur. Illud quoad substantiam mutatur quod recens naturā  
substantialē acquirit: si quidem generatio aliud nihil sit, quam formæ sub-  
stantialis acquisitio: at diuinum Verbum hac sui cum humana carne coniū-  
ctione naturam substantialem, ipsam videlicet naturam humanam recens  
acquisiuit, iuxta illud Ioan. 1. Verbum caro factū est, est igitur diuino Verbo

A aliqua

aliqua quoad substantiam allata mutatio

PRÆTEREA hæc coniunctio similis esset ei qua forma accidentaria cum re subiecta coniungitur: nempe cum humana natura accesserit rei quæ actu esset, quæq; perfecta & expleta esset, ceu diuinæ Verbi personæ: cuiusmodi cōiunctio est accidētaria, ita Verbi incarnati vnio esset accidētaria.

ADDE quia in ijs quæ inter se iunguntur proportio quædam reperitur necesse est, at res finita & infinita nulla inter se consensione & proportione continentur, iungi ergo nullo modo poterunt.

POSTREMO res contrariæ ob id conuenire simul non possunt, quoniam pugnant inter se, & dissident: At natura diuina & humana multo inter se magis dissidēt quam contraria, hæc enim vno cōmuni genere continentur, illa non item: non igitur cōuenire in vna eademq; Verbi persona potuerūt. Sūt multæ præterea rationes quæ sumuntur ex natura personæ assumētis, quas eadem. 2. huius institutionis libro exponemus, his modo cōtenti simus.

IOAN. I. Gal. 4. QVONIAM vero diuinæ literæ testantur, diuinum Verbum fuisse humanæ carni coniunctum, sic enim est apud Ioannem c. i. Verbum caro factum est: & habitauit in nobis: in eandem etiam sententiam D. Paulus ait, vbi ergo venit plenitudo temporis misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret, sequitur fuisse possibile Deum humanæ carni coniungi, siquidem id esse factum sanctarū literarum monumentis est proditum.

Thom. con. gen. 1. 4. c. 40. Arist. 5. Meta. phy. ca. 15. SVPEREST vt diluamus rationes catholicæ assertioni contrarias. Primū igitur argumētū diluit D. Thomas negatione minoris propositionis. Nāq; diuinum Verbum recenti humanæ nature acquisitione, & adiunctione nullo modo est mutatum: sed vniuersa, si qua accidit, mutatio ad naturā creatā assumptā pertinet. Hoc vero quo intelligatur melius notandū est de sententia Arist. quinto Metaphy. duo esse relatorū genera: vnū est eorū quæ propterea dicuntur relata, quia ad se mutuo referuntur, cuiusmodi sunt illa relata, quæ cū ex numero & quantitate, tum ex actione & passione existunt.

ALTER VM vero genus est eorum quæ ob id dicuntur relata, quia alia ad ipsa referuntur: non quia ipsa ad alia referantur: vt scientia & scibile: dextrū & sinistrum. Non. n. scibile aliquid dicitur interuentu qualitatis alicuius inherētis: aut quia agat quid aut patiatur: sed eo solum quia est propositū intellectui: & actionem ipsius intelligentis terminet.

EX quo efficitur vt in relatis, in quibus mutua vtrinq; relatio minimè spectatur, dici aliquid possit recens, nulla vtriq; mutatione allata: sed alteri dūta-

xat, ei. f. quod refertur. Scitum enim quippiam dicitur & cognitū nulla sui mutatione, sed scientis duntaxat. Ita fit vt relatio alicui possit recens accedere, citra vllam illius cui accedit mutationem: id quod cum in alijs etiā multis relatorum generibus, ijs. f. quæ dicuntur æquiparantiæ, contingat, Arist. author est ad relationem minimè terminari motū.

CVM igitur omnis inter creaturam & creatorem relatio sit generis posterioris: non enim Deus ad creaturam refertur alicuius naturalis habitudinis interuentu: sed referri dicitur ad creaturam ea relatione, qua creatura refertur ad illum, hinc fit vt Deus recens aliquid dicatur esse: quod prius non dicebatur, veluti creās, saluās, incarnatus, nō vlla sui, sed sola creature mutatione. Ita Deus dicitur recēs humane nature coniūctus: non sui aliqua mutatione, sed mutatione assumptæ naturæ cuius interuentu Verbum Dei natum & generatum esse dicitur in tempore.

OBIICI contra potest, Verbum Dei hac sui cum carne coniunctione non solum acquisiuit relationem nouam: verum etiam esse substantiale ac simpliciter, acquisiuit siquidem esse hominem, quod est esse substantiale & simpliciter, est igitur Dei Verbum per incarnationem vere mutatum. Consecutio firma esset si natura humana acquisita largiens Verbo esse humanum se haberet ad Verbum Dei per modum formæ inhaerentis, aut formæ adiacentis, tū enim acquisitione huiusmodi formæ verè mutatum esset, at humana natura Verbo Dei coniūcta non sic se habet ad Verbū: sed per modū formæ hypostatice dependētis, id quod nullā in sustentate, sed in sustentato declarat mutationē. Etenim Deū incarnari est aliud nihil quā assumptæ naturæ suppositalem dependentiā primū, deinde relatiuam eiusdem dependentiā terminare, sed hac dere post multo vberius disputabimur.

SECUNDVM argumentum diluit D. Thomas negatione maioris probationis, ad probationem vero dicit, non quicquid aduenit rei completæ & perfectæ iam accidentario conuenire, sed quod præterea rei cui adiungitur, largitur esse accidentarium, iam vero natura humana vt accesserit rei completæ, & præexistenti, non tamen eidem largitur esse accidentariū, sed substantiale, nempe esse humanū, quod est in substantijs.

EGO dicerem id quod aduenit rei completæ tanquam forma, vel inhaerens: vel adiacens: accidentario conuenire, secus si illud accedat vt forma hypostatice dependens.

TERTIUM argumentum Ioannes Scotus sic explicat, vt dicat creatorem & creaturam proportionem aliqua contineri, non quidem quantitatis, & mē-

Scot. 35.  
d. 1. q. 1.

fura: sed effectus & causæ, vel rei dependentis, & dependentiam terminantis: iam enim diximus diuinum Verbum terminare dependentiam cum suppositalem, tum relatiuam assumptæ naturæ.

QUARTVM argumentum dissoluitur hoc pacto. Non proinde aliqua conuenire simul ac conspirare non possunt: quia nulla re consentiunt: alioqui ea quæ magis differunt minus simul & in eodem conuenirét: contra quod tamen cernitur. Nam albedo & superficies longe inter se magis differunt, quàm albor & nigror, illa tñcōuenire possunt simul, hæc vero nō itē. Quocirca vniuersa duarū formarū incōpossibilitas in earundē repugnātia posita est: cuiusmodi repugnantia in natura creata & increata, finita & infinita minime cernitur. Potuerūt igitur due illę naturę, creata. s. & increata, finita & infinita tam inter se dissimiles & dissidentes in vna Verbi Dei persona ineffabiliter & admirabiliter cōuenire. Ac de possibilitate incarnationis hætenus.

## DE CAUSA INCARNATIONIS.

## Quæstio. II.

*Vtrum vniuersa dominice incarnationis causa posita sit in deletione peccati?*

CONTROVERSVM esse cōsuevit utrū coniūctionis Verbi dei cū humana natura vniuersa causa fuerit peccati eius, quo se Adamus & vniuersam posteritatē obligauit, deletio? Sunt qui putēt vniuersam admirabilis huius vnionis causam in peccatū primi hominis conferendam, vsq; adeo vt si homo ille non peccasset, Dei filius carni se humanæ minime coniunxisset. Id quod vbiq; sacræ & diuinę literę testantur. Etenim in diuinis literis causa aduentus domini hominum restitutioni & liberationi tribuitur: vnde est illud à Christo dictum. Venit filius hominis quærere: & saluum facere quod perierat. Hunc locum explanans D. August. sic ait: si homo non perisset filius hominis non venisset. D. etiam Paulus venisse dei filium salutem hominibus allaturum apertissime testatur hoc pacto. Fidelis sermo & omni acceptione dignus, Christus IESVS venit in mundum peccatores saluos facere. Quo loco ait Augustinus: Nulla causa veniendi fuit Christo, nisi peccatores saluos facere. Tolle morbos: tolle vulnera, nulla causa est medicinæ.

CVM igitur earum rerum causas quas humana mentis vi reperire & cōsequi non possumus, non aliunde cognoscere & perspicere possimus, quam ex sanctarum literarum monumentis: sanctæ autem literæ incarnationis

filij

filij dei causam peccatis hominum, quę deleturus venit, assignent: sequitur, si homo in officio permanisset, neq; se sponte in peccati seruitutem tradidisset, dei filium venturū nunquam fuisse.

ALIIS tamen contra visum est: in quibus Scotus ita argumētatur. Hominis cuiusq; prædestinatio antecedit nature ordine præuisionē peccati, & dā-  
 nationē hominis cuiusq;: Homo igitur ille Christus IESVS prius natura est beato euo fruendo destinatus: quā sit Adami in peccatum lapsio præuisa: nō igitur ob id quia Deus Adamū peccaturū præuiderat: coniunctionem filij sui cum natura humana eidem curando: & restituēdo destinauit.

Scot. 35.  
d. 1. q. 3.

HOC vero quo intelligatur melius exponenda nobis est Scoti de processu prædestinationis: & reprobationis sentētia. Hoc igitur interest inter reprobationem, & prædestinationē: quoniam prædestinationis nulla causa nulla ve ratio, quod ad prædestinatum attinet, subest, quæ prior sit, & antiquior prædestinatione: sed Deus prius natura vult quempiam beatum efficere, quā illa velit dare: quæ ad bene & beate viuendum conducūt, ceu fidem, gratiā, rectamq; volūtatem, siue bonū vsum liberi arbitrij: ergo prius natura aliquis prædestinatur quam illa præsciantur.

ANTECEDENS hinc intelligitur, quoniā qui decēter et ordinate vult, finē propositū prius expetit, deinde illa requirit et volūtate cōplectitur, quę ad finē illum referūtur: At finis homini propositus est sempiterna beatitudo, quę in contuenda diuinitate cōsistit, relinquitur igitur prius Deū velle homini dare beatitudinem: quam adiuncta eidem esse velit illa quæ ad consequendam beatitudinem pertinent: veluti fidem, gratiam, bonum vsum liberi arbitrij: eaq; etiam prius eidem adiuncta, ac concessa esse vult, quam cernat aut prouideat ipsum horum aliquid habiturum.

PORRO reprobationis est aliqua quod ad reprobatum attinet, causa scilicet malum de deo meritum præuisum: quod ipsum tamen non est reprobationis efficiens causa, etenim actio diuina nullam habet causam: sed in causa est vt talis actio nempe reprobatio in subiectum tale, nempe Iudam terminetur. Nam cum reprobare sit aliud nihil quam velle in quempiam animaduertere, ipsumq; sempiterno supplicio afficere, si ex parte reprobatī nulla extaret suæ reprobationis causa, esset Deus iniustus: vt qui in eum vellet animaduertere, & sempiterno illum supplicio addicere, qui peccatum nullum admisit, aut admisurus est præuisus. Cum vero Deus sit non iustissimus modo, sed etiam clemētissimus omnino fatendū est, esse causam aliquā reprobationi subiectam, nempe peccatū præuisum.

QVOcirca de sententia Scoti in vniuerso diuinę reprobationis progressu datur quatuor naturę momenta siue signa. Primum omnium diuino conspectui sese offert Iudas in naturali sui existentia, circa quem diuina voluntas nullum actum affirmantem profert, quasi illi vellit aliquid aut dare, aut irrogare, sed negantem duntaxat, idest, non vult illi sempiternam beatitudinem dare, vt pote cui nihil debeat. Deinde momento secundo eidem denegat ea quę ad beatitudinem conducunt, vt rectam, æquie amantem voluntatem, & gratiam. Tertio momento affirmantem diuina voluntas circa Iudam profert actionem: vult enim permittere ipsum esse mortis & interitus filium. Ex quo necessario consequitur Iudam fore ad extremum peccatorem. Quarto demum instante offert sese Iudas diuino conspectui vt flagitio inquinatus, itaq; fit vt velit ipsum damnare, & supplicio afficere sempiterno.

SECUNDO ita argumentatur Scotus, ordinate volens prius expetit finem, deinde ea quę ad finem illum assequendum valent: & in ijs illud prius cum expetit: tum diligit quod propius ad finem accedit. Ex quo iã efficitur, vt prius Deus homini velit dare beatitudinem quam gratiam: & prius gratiam quã cætera omnia quę beatitudinẽ antecediunt, vt esse naturę, & cetera quę nature sunt adiuncta. Igitur quod ad prædestinatos attinet, prius illi animo vult Deus beatitudinẽ dare, quem vult esse fini propinquiorẽ: at animus Christi est huiusmodi, prius igitur vult animo Christi beatitudinẽ tribuere quam alicui alteri: at prius vult alicui tum beatitudinẽ, tum gratiã dare: quã præuideat quę his sunt cõtraria: prius igitur vult animo Christi beatitudinẽ dare: quã Adamum per incontinentiã lapsurum præsentiat.

ADDE quia non videtur verosimile summũ & præstantissimum bonum: nempe admirabilem Verbi Dei incarnationem, per occasionem, hoc est propter peccati expiationem extitisse, quę ipsa est minus quiddam bonum quam illa tanta coniunctio.

ACCEDIT ad confirmationẽ quia hominum redimendorũ salus non est tantum bonum: quantũ est prædestinatio animæ Christi, non videtur igitur anima Christi ob solum istud bonum fuisse prædestinata.

ADDE quia illud est consequens prius natura fuisse Adamum ipsum beato euo fruendo diuinitus destinatum, quam dominũ Iesum Christum: siquidẽ Deus prius natura velit alicui beatitudinẽ dare: quam illa adiuncta esse velit, quę ad beatitudinẽ referuntur: At Christi prædestinatio ad Adamum liberationem, & glorificationem diuinitus de tua sententia est instituta,  
igitur



igitur posterius natura est volita quam Adami glorificatio & prædestinatio, & cætera.

ITEM Christus non qua Deus, sed qua homo, est caput totius corporis ecclesie: at si peccatum nullum extitisset, adhuc corpus ecclesie fuisset, Christus, igitur humanam sibi naturam coniunxisset, quo videlicet caput cum membris congrueret: alioqui acephalum ecclesie corpus fuisset: id quod de forme & mostrosus est.

ITEM humanæ naturæ assumptione vis diuina infinita, charitas ardentissima, summaque bonitas & beneficentia declarata sunt: at decuit hæc eadem homine etiam in officio manente, declarari: decuit igitur ut Deus humanam carnem assumeret.

ITEM hac Dei cum humana natura coniunctione effectum est ut homo ad summum dignitatis, gratiæ, & beatitudinis gradum peruenerit, est siquidem natura humana summam gloriam & dignitatem consecuta, cum eo usque prouecta est, ut Deo hypostaticè coniungeretur, qua eadem coniunctione factum est, ut homo ille diuinus in summa esset apud Deum gratia: & summa beatitudine frueretur. At tamen decuit hominem perfici integra natura, quam collapsam & deprauatam, ornamenta igitur illa quæ deprauatæ naturæ statu per diuinam clementiam est adeptus: multo certè magis integram naturam conseruatis fuisset consecutus. Alioqui hominis incontinètia multum illi atque adeo vniuersitati, ornamentum et comodi attulisset. Tandem his argumentis huius opinionis & sententiæ authores persuasum ac demonstratum esse volunt non esse præcipuam dominicæ incarnationis causam in liberatione hominis positam: sed in vniuersi exornatione atque absolute. Illud tamen confirmat si homo non peccasset: nunquam Deum mortalem, & patibilem carnem assumpturum fuisse, ut interim carnem assumpsisset.

TESTIMONIA igitur cum diuinarum literarum, tum sanctorum patrum quæ huicquam defendunt, sententiæ videntur aduersari, sic interpretantur, ut dicant: si homo non peccasset Deum nunquam venturum fuisse mortali, & patibili carne indutum: nunquam venturum fuisse liberandi hominis causa, venturum tamen fuisse, hominis ipsius, atque adeo vniuersitatis exornandæ gratiæ.

HÆC sententia ut videatur rationi maximè conuenire, prior tamen illa fidei decretis est congruentior, ut quæ magis cum diuinarum literarum, testimonijs: & sanctorum patrum sententijs consentiat, quocirca amplectendam omnino putamus. Adde quia hæc sententia, & mysterium admirabilis huius unionis: & diuinam in homines charitatem, & beneficentiam vehementius commendat: Mysterium quidem ipsum, quoniam res tanta fieri non debuit nisi obma-

ximam, & decentissimam causam, cuiusmodi est hominum liberatio, & in veterem gratiam restitutio, diuinæque maiestatis placatio. Charitatem vero ipsam Dei maximè commendauit, quia cum inimici essemus secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est. Certe hoc magis diuina bonitas est declarata: quam si carnem Deus assumpsisset ad perficiendum vniuersum duntaxat.

Rhom. 5

Bona. 3.

5. d. 19.

2.

PRÆTEREA quemadmodum D. Bonauertura annotauit hæc quæ comprobauimus sententia, Deum impensius honorat, siquidē Christū creatis rebus omnibus antepōnit. Dux siquidem exercitus in numero eorum minime ponitur qui exercitum conficiunt, sed copijs omnibus præesse dicitur. Ad eundem modum Christus in partibus vniuersi minimè numeratur, sed princeps est vniuersitati præsidens. Aduersaria vero sententia Christum ipsum partem vniuersi facit, vt pote quæ asserat ipsum vniuersum ex Verbo Dei humanæ carni coniuncto, exornationem, absolutionemq; tanquam ex parte sui præstantissima fuisse consecuturum. Quocirca illud omnino sic habendum est, si homo non peccasset, sed in officio permanisset, nūquam futurum fuisse, vt Deus humanæ se carni coniunxisset. Reliquum est vt aduersariæ opinionis argumenta diluamus.

PRINCIPIO nōnulla præponimus, in quibus illud est primum. Quāuis quod ad voluntatē siue volitionē Dei attinet, nullus in Deo reperitur ordo, nempe cum diuina voluntas atq; volitio sit vna & eadem omnium quæ sub diuinam voluntatem cadunt, sitq; præterea diuina voluntas ipsamet essentia diuina. Quod tamen attinet ad res ipsas volitas in Deo aliquis ordo spectatur. Namq; eorum quæ sub diuinā voluntatem cadunt, vnum ad alterum ordinatur & instituitur, veluti gratia ad gloriam, & perfectio vniuersi ad bonum vniuersi, & omnino imperfecta ad perfecta, partes ad totum, media ad finem referuntur. ex quo iam efficitur vt vnum volitum alterum natura antecedit.

SECUNDO sumimus in diuinam volitionē ordinem aliquē rationis incidere. Nāq; mens nostra spectare potest diuinā volitionē prout terminatur ad vnam aliquā rem volitā: deinde prout terminatur ad alteram: igitur mens nostra ordinem quendam potest diuinæ intellectiōni, & volitioni præfigere. Antecedēs vero ex eo intelligitur quia mens hominis diuina intelligit consentaneæ ipsis rebus, at in rebus ipsis quidam reperitur ordo: sunt enim alia alijs natura priora, potest igitur mens nostra diuinam volitionem considerare primo vt terminatur ad rem vnam: deinde vt terminatur ad rem alterā.

Quod

Quod si Scotus instantia illa nature siue originis, & omnem quam diuinis rebus attribuit antecessionem accipiendam esse existimat ex actione nostri intellectus, benedicit: sin vero aliter, nullo modo est eius sententia recipienda, quicquid pro Scoto dicat Liqueus. i. sent. d. 5. q. vnica.

**OBIICI** tamen contra potest. Deus rem vnā alteri destināt, igitur rem vnā vult propter alteram: estq; vna res volita ratio & causa volendi alterā: igitur non ex nostra cōsideratione modo, sed re ipsa etiā diuina volūtas prius natura hoc appetit, quam illud. Etenim si Deus vult Petro dare gratiam, quia eidem vult sempiternam beatitudinem tribuere, sequitur vt diuina volitio prius natura terminetur ad beatitudinem, quam ad gratiam. Ita redit opinio Scoti.

**DICIMVS** hac ratione illud duntaxat concludi, vnum volitū esse propter alterum: siue vnum volitum ordinari ad alterum, nō tamen vnū esse rationē volendi alterum. Vel certe Deum voluisse vt vnū sit propter alterum: nō tamen quod vnum sit causa volendi alterum.

**POSTREMO** sumimus prædestinationem supponere præscientiam earū rerum, quę sunt euenturę. Id quod hinc intelligitur quoniam prædestinatio supponit prouidentiam vniuersi, igitur præponit præscientiam rerum attinentium ad ordinem naturalem: hæc autem non solum sunt res naturales ex quibus constat vniuersitas secundum ordinem naturalem, verum etiam defectus & nature vt monstra, & animalium vt egritudines: & rationis, vt ignorantia, animi denique & morum, vt peccata. Etenim peccando & improbe agendo deficere, non pertinet ad ordinem gratiæ, sed ad ordinē nature: nempe cum in manu nostra situm sit peccare, iuxta illam sententiam, Perditio tua Israel: tantum modo ex me auxilium tuum. Antecedens porro illud ostenditur. Gratia adiungitur nature, ordini igitur gratiæ præponitur ordo nature: At prædestinatio in ijs habetur, quę pertinent ad ordinem gratiæ, prouidentia vero in ijs quę pertinent ad ordinem nature, igitur prædestinatio supponit naturalem ordinem vniuersi.

**HINC** iam illud intelligitur Deum præuidere prius Petrum creandum & ipsum peccaturū: quam ipsum destinet beato euo fruendo: Nam illud prius pertinet ad ordinem nature, hoc vero posterius ad ordinem gratiæ qui superuenit & accedit nature. Ita fit vt Christi prædestinatio lapsionis Adami future præscientiam: ac præuisionem supponat.

**HINC** iam colligi potest argumētōrū explicatio. Quod igitur ad primū illud Scoti argumētū attinet, negatur antecedēs: siquidē prædestinatio hominis

ad æternam beatitudinem supponat ordinē diuinæ prouidentię, subquam cadunt peccata, & defectus vniuersi, ita prædestinatio Christi supposuit præuisionem lapsus Adami cuius expiationi Verbi incarnatio est diuinitus destinata. Nā cōfectioni: & apparationi medicinæ præponitur morbi cognitio.

*A nostra* ADDE quia in volitionem diuinam non cadit ordo prioris aut posterioris secundum naturam, nisi solum secundum rationem & mētis <sup>nostræ</sup> naturæ apprehensionem. A hoc modo lapsio Adami præintelligitur incarnationi. Nāq; vt ex diuinis literis intelligi potest, prius Deus præsciuit lapsionem Adami, & voluit eidem remedium afferre: deinde filij sui incarnationē institutam ac comparatā ad hoc ipsum esse voluit.

HVNC porro ordinem nonnulli sic intelligunt. Primo omnium Deū intelligimus voluisse bonitatē suam & summā gloriam vniuersitatis perfectæ, & absolutissimę procreatione ostendere, deinde voluisse vt aliquæ extaret in vniuerso creaturæ mentis compotes quę beatitudine afficerentur. Tertio intelligimus præuidisse Deum lapsionem aliquarum quas beato euo fruendo destinauerat. Quarto decreuisse lapsis remedium afferre incarnatione filij sui. Quinto voluisse animam Christi gratia, gloria, & dignitate cæteris omnibus hominū animabus antecellere: Ac ipsarum beatitudinem in Christi gloriam & excellentiam redundare.

HOC tamen loco magnopere notandum, prædestinationē Christi esse finē ad quem refertur electorum prædestinatio, finē inquā cui, idest, quia Christo ex nostra prædestinatione gloriæ multum & ornamenti accedat. Nostra tamen prædestinatio est finis prædestinationis Christi, quatenus ordinatur Christi prædestinatio ad consecutionem nostræ beatitudinis. Admirabile si quidem incarnationis opus Deus institutum, ac comparatum esse voluit ad peccati deletionem, & prolapsi hominis restitutionem. Ita fit vt nostra prædestinatio, & Christi prædestinatio se mutuo antecendant.

DICI etiam non incōmode potest, quemadmodum ex eo quem paulo supra statui mus ordine, intelligi potest: Prædestinationē nostram Christi prædestinationē sola mētis nostrę apprehensione antecedere: Christi tamē prædestinatio causa prior est, causalitate. s. effectiua, formali, et finali, effectiua quidem, quatenus Christus est hominū mediator, diuina ad nos deferens, formali vero, quatenus prædestinati sumus cōformes fieri imagini filij Dei, finali demū, quatenus electorū redemptio ad Christi gloriā, & excellentiā pertinet.

QVOD vero ad secundū argumentū attinet, damus Scoto Deum velle ordinatissime: non sic quidē vt ordo in diuinam volitionē cadat: sed in res ipsas  
volitas

volitas. Illud etiam concedimus animam Christi esse illi fini propinquiorem, nempe cum sit beator ceteris animabus, item concedimus hominum beatitudinem voluisse Deum ad Christi beatitudinem esse institutam, uti diximus: Negamus tamen prius Deum præordinare quæpiam ad æternam beatitudinem: quæ prævideat quæ illi fini sunt contraria, siquidem ordini gratiæ preponitur ordo nature, & ideo prædestinationi preponitur providentia & prævisio futurorum.

CAIETANVS respondet eum qui ordinate vult prius finem expetere, deinde id quod est fini propinquius de possibili, non de facto. Nam fieri potuit de facto, ut finem non voluerit nisi sub tali medio, & occasione. Deus igitur ut potuerit velle incarnationem non ut redemptiuam, de facto tamen eam sic voluit ut diuinæ literæ testantur. Erratum est igitur ab Scoto quia ex magis vel prius causalitate finali voluto de possibili, effectum esse voluit, sic fuisse volitum de facto.

Caiet. 3.  
p. 91. ar. 3.

AD tertium variè respondetur, vno modo negata cōsecutione: partim quia nihil est incōmodi maius bonum ordinari ad minus bonum, tanquam ad finem proximum & secundarium, si tamen minus illud bonum ornamentum aliquid maioribono conciliet. Sic hominum redemptio in Christi summam gloriam, summamque decus redundavit: iuxta illam Pauli sententiam, Humiliauit semetipsum factus obediens usque ad mortem: mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltauit illum & dedit illi nomen quod est super omne nomen.

Philip. 2.

ADDE quia fieri potest ut maius bonum non appetatur nisi ut coniunctum cum minore bono, sic animæ Christi prædestinatio coniuncta est cum hominum redemptione, iuxta illam eiusdem domini sententiam, oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam. Ex qua domini sententia aperte intelligitur, fuisse eundem dominum gloriam cōsecutum ex redemptionis negotio cōfecto, ac proinde Deum sic instituisse.

Luc. 24.

ALTERO modo illud argumentum sic diluitur ut dicatur, prædestinationem animæ Christi ad æternam beatitudinem, non fuisse ordinatam ad hominum salutem, sed ipsam Verbi Dei incarnationem: Salus autem hominis ut per Christum comparata, ad Christi summam gloriam fuit diuinitus ordinata: statuit enim Deus ut homo Christus IESVS sub tali medio & effectu, hoc est, crucis perpessione, tantam gloriam assequeretur.

QUARTVM argumentum variè diluitur. Sunt qui dicant nihil esse incōmodi maius bonum quadam veluti occasione propter minus ceu propter finem

par-

partialem, & secundarium euenire, cum tamen alioqui fuerit propter excellentiorem finem, vniuersi. s. perfectionem, exornationemq; , & diuinæ bonitatis ampliorem declarationem comparatum.

**QVO** circa hoc iam loco notandum est, finem dominicæ incarnationis, remotiorem quidem esse perfectionem vniuersi, propinquiorem vero electorū liberationem, totalem vero vtrumq;.

**ALI** respondet fuisse decentissimum, vt tanta bonitas bonum tantum, cuiusmodi est vnio personalis vellet tali oblata occasione, peccato videlicet hominis ad id diuinam misericordiam inuitante. Est enim Deus

Ioel. 2.

omni humana iniquitate superior, iuxta illam Ioelis sententiam, patiens, & multæ misericordiæ prestabilis super malitia: ex quo efficitur, vt nullis vincatur malis summi illius numinis summa bonitas: quæ sese in omnia profundit, sed ex malis potius bona, Augustino teste, comparet.

Bon 3.5.

d. 1 q. 2.

Rhom. 8

**QV** O circa hoc loco ait Bonauent. Nequaquam hominum improbitas effecit vt Deus humanam carnem assumeret, sed bonitas ipsius potius & charitas: qua efficitur vt omnia cooperentur in bonū ijs qui secundū propositum vocati sunt sancti.

**AD** quintum respondetur prædestinationem Adami & omnino omnium electorum esse priorem prædestinatione Christi, priorem in quam secundū nostrum apprehendendi modū: at via causalitatis efficientis, formalis, & finalis Christi prædestinationem antecedere: vt exposuimus.

**SVNT** qui dicant gloriam animi Christi priorem esse gloria electorum: ipsam vero incarnationem esse posteriorem secundum habitudinē causæ finalis. vt quæ fuerit ad afferendam hominibus salutem: & pariendam vitam beatam diuinitus comparata. Omnes enim per Christum beatam vitam consequimur. Neque est enim aliud sub cælo nomē in quo oporteat nos saluos fieri.

Actuū. 4

**AD** sextum respondetur, rationem capitis duabus rebus maximè constare, consensione. s. & influxu. Congruit siquidem caput cum membris, & influit in membra. Hoc posterius principalius est, illud prius minus principale.

Vtrinque habet Christus quod sit caput ecclesiæ, cæterum illud conuenit ipsi quatenus homo, hoc vero quatenus Deus. Ex quo iam efficitur quod si diuinum Verbum carnem minime assumpsisset, adhuc caput suum haberet ecclesia, nempe ipsum Deum: essetq; Deus caput ecclesiæ non consensione ac conspiratione naturæ, sed gratiæ, & omnino virtutis influxu: quo eodem modo Deus mentium beatarum est caput.

AD

AD septimum & octauum respondetur, fuisse decentius, & cū diuina bonitate & charitate congruentius assumi à deo naturam humanā homine prolapso ac perduto quā eodem integro & in officio manente. Nam homo rerū sensuum specie ductus ac delusus in peccatum lapsus est, & rerum coelestium & inuisibilium curam animo & cogitatione deposuit. Quocirca Deus qui omnem oculorum aciem effugit, humano corpore indutus, hominum sese aspectibus obiecit, vt homines rerū visibilium amore & studio incētos, rerū inuisibilium cupiditate, & studio inflamaret quemadmodū in Prefatione dicitur, vt dum visibiliter Deū cognoscimus, per hūc in inuisibilium amorē rapiamur.

PORRO homo primo illo vitæ innocētissime statu, integritatē & innocētiam perpetuo conseruasset, fuissetq; tum diuina vis, diuinaq; bonitas ex rerū admirabili procreatione, moderatione & exornatione euidenter cognita atq; perspecta. Ac de causa incarnationis hætenus.

## DE CONVENIENTIA INCARNATIONIS.

## Quæstio. III.

*Vtrum decuerit diuinū Verbū humanā carnē assumere?*

**S**UBIECTA incarnationis causa eaque à nobis exposita, reliqua est illa quæstio, decuerit ne vt Deus hāc noxā in se reciperet, & expiaturus hominū peccata humanę se carni cōiungeret? Pro quæstionis explicatiōe ponimus hāc cōclusionē. Non solū decuit, verū etiā fuit necessariū Deum incarnari.

PRIORIS conclusionis partem hoc argumēto ostendo. Deo cōuenit quicquid ad boni rationem pertinet, nempe quia non solū sit bonus, verum etiā ipsum bonum, at ad boni rationem pertinet sese cum alijs communicare, Namque bonum D. Dionysio auctore, ea est natura vt sese in alia diffundat, est igitur deo cōueniens vt sese cum rebus à se procreatis communicet, cumque Deus sit summum bonum, Deum decet vt sese summe cōmunicet: at sese summe communicare aliter non potuit nisi carnis assumptione, fuit igitur decētissimū, & cum summa diuini numinis bonitate cōgruentissimū, vt Deus humanæ se carni coniungeret.

ASSUMPTIONI, ei videlicet propositioni quæ dicit, Deum ipsa carnis assumptione sese summe cum creatura cōmunicasse, ita fidem facimus.

TRIBVS modis sese Deus qui est ipsum bonū cum creatura cōmunicat, naturaliter. s. supernaturaliter, & hypostatice. Naturaliter sese Deus cū vniuersitate cōmunicauit impertiendo illi esse: quod ipsum esse quædam est illius sum-

summi & diuini esse participatio, & veluti quædam diuinæ naturæ delibatio. Sunt enim res omnes ad exemplar diuinæ naturæ conditæ & effictæ. Supernaturaliter vero sese Deus vniuersitati rerum cōmunicauit, naturam eā quæ mentis & rationis particeps est ad cōsortium diuinæ naturæ per gratiam euehendo: iuxta illam D. Petri sententiam, Per quem nobis magna & pretiosa promissā donauit, vt efficeremur diuinæ naturæ consortes. Etenim hoc communicationis genere Deus creaturæ id impertiuit quod solius dei proprium est: nempe Deum cernere, eoq; conspecto frui, id quod creatura gratiæ particeps interim dum in vita manet quadam inchoatione præstat, cum vero vita excesserit, & ad celeste domicilium peruenerit, illud idem præstat & iam obtinet consummate, nempe quia ipsum Deum cernat: eiusq; conspectu sempiterno fruatur. Dicitur autem hæc communicatio supernaturalis: siquidem vi nulla naturæ possit obtineri, omnemq; superet vim naturæ & ordinem, sed solo diuino munere, & gratia hoc diuinæ naturæ consortium homines consequantur.

**HYPOSTATICE** vero sese deus communicauit: cum creaturam ad diuinæ personalitatis consortium euexit, ita. s. vt vna persona fieret ex tribus, verbo. s. anima, & carne. Hæc cōmunicatio summa est, vt qua non possit alia maior excogitari. Hoc siquidem communicationis genere tribuit deus creaturæ non creatum aliquod donum naturalis aut supernaturalis ordinis, sed suammet personalitatem: itaque effectum est, vt vere ac re ipsa deus esset homo, & homo vere ac re ipsa esset Deus: nempe quia in vna eadēque Verbi Dei persona diuina & humana natura admirabiliter conuenierint. Non potuit creatura ad maius aliquid diuina vi & munificentia prouehi. Hac etiam ratione effectum est, vt rerum vniuersitas summū ornamentum & dignitatem admirabilem consequeretur. Namque humana natura ad diuinam hypostasim assumpta: & omnis natura reliqua quodam modo assumpta est, nempe quia homo ex omni constet creatura natura intelligente scilicet, sentiente, & corporea.

**EX** quo effectum est, vt diuini Verbi incarnatio fuerit vniuersitatis rerum subiectio, Iuxta illam domini sententiam: Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret: vt pote cuius incarnatio esset non saluti modo hominibus qui in mundo essent, verum ipsi vniuersitati etiam summo decori, & ornamento, fuit igitur decentissimum, & cum diuina bonitate congruentissimum vt humanam Deus carnem assumeret.



EXISTVNT tamen hoc loco nonnullę quęstiuclę dignissimę explica-  
tu: in quibus illa est prima: anne ex boni ratione efficaciter concludatur, Deū  
bonitatis suę aliquam partem creaturę impertire. Nam cum Deus li-  
bere & voluntarie creatis rebus bonitatem suam impertiat, id vero quod  
ad boni rationem pertinet, necessārio ac naturaliter eidem conueniat, effi-  
citur vt minus artificiose ex naturali boni ratione illud effectum sit, quod li-  
bere & minimē naturaliter Deo conuenit .s. communicare sese creaturis.  
Neque enim liberum & voluntarium ex naturali, & necessārio recte cō-  
cluditur

ACCEDIT quia ex huiusmodi decursu videtur potius necessitas incarna-  
tionis cōcludi: quā ipsius cōuenientia. Nam cuiq; id necessārio cōuenit, quod  
est ad naturā rei illius accōmodatū: At Deus est bonus, eidem igitur natura-  
liter ac necessārio ratio ipsius boni cōuenit, quę in cōmunicatione cōsistit.

CAIETANVS hęc quęstiuclam sic explicandā putat vt dicat hac ratione,  
siue argumentatione non concludi liberū ex necessārio: sed cōmune ex com-  
muni. Namq; bonū est quiddā transcēdēs & latissimē patens, amplectiturq;  
bonum non solum accōmodatum naturę, verū etiam accōmodatū volūtati:  
ac proinde abstrahit ab utroq; essēdi & causandi modo .s. per modum natu-  
rę: & per modum voluntatis. Ex quo iam efficitur vt esse diffusiuum & cō-  
municatiuum sui, quod pertinet ad rationem boni indefinite & minimē ad  
certam aliquam sese communicandi rationem: accōmodate accipiendum  
sit: ita fit vt in quoq; genere spectetur accōmodate ad ipsius naturam, vt .s.  
agens naturale, naturaliter sese communicet: agens vero liberum: libere ac  
voluntarie. Quare non voluntarium ex necessārio, sed commune potius  
ex cōmuni conficitur. Effectum est enim absolute pertinere ad rationem  
summi boni, vt supremo modo sese creaturę cōmunicet, idq; siue natura-  
liter, siue libere.

HÆC Caietanus. Nobis tamen huiusce quęstiuclę hęc videtur apertior  
& planior explicatio. Dicimus ipsi bono natura conuenire esse diffusiuum  
sui, seseq; communicare quemadmodum homini ratiocinari: cæterum  
quodq; agit ad cōmunicationem sui eo modo quo ipsi conuenit agere:  
actio autem conuenit agenti, vel naturaliter siue modo naturę, vel li-  
bere siue modo voluntatis: ac agens quidem naturale operatur modo  
naturę: agens vero liberum modo voluntatis. Bonum igitur illud quod  
est naturale agens, communicat bonitatem suam modo naturę: Bonum  
vero illud quod est agens liberum, communicat bonitatem suam modo

volun-

Caiet. 3.  
p. q. 1. ar. 1

voluntatis. Cum igitur Deus extra agat & efficiat modo voluntatis, ac libere, & nullo modo naturaliter ac necessario, hinc fit vt optima illa numinis voluntas sese cum rebus omnibus libere: & sponte communicet. At diuinæ voluntati qua bona est, natura conuenit sese cum rebus communicare, qua vero tale quiddam bonū est. scilicet voluntas bona, libere sese cōmunicat.

**HINC** iam intelligi potest prioris argumenti explicatio. Namq; boni vis & natura in eo posita est, vt sese cum alijs communicet, absolute tamen, hoc est, per abstractionem ab hac vel illa communicandi sui ratione: at in quoq; genere bonum vim illam suam explicat accōmodate ad suam naturam, vti exposuimus.

**POSTERIVS** vero argumentum sic diluimus vt fateamur deo conuenire boni ipsius vim ac naturam, vt qui sit ipsamet essentia bonitatis, accōmodate tamen & apte ad ipsius naturam per quam agit ad sui diffusionem, agit autē & efficit extra libere, vt interim agat intra naturaliter ac necessario.

**SECUNDO** illud exquiratur, anne diffusio ac cōmunicatio sui, boni ipsius naturam & essentiam attingat? Negatio his argumentis probari facile potest. Id quod nullam perfectionem declarat, boni naturam & essentiam minime attingit: nam q; bono nihil conuenire potest quod sit præter aut extra boni latitudinem, quod autem nihil perfectionis continet est huiusmodi, si quidem bonum & perfectum se mutuo consequuntur, at sese cum alijs communicare nihil perfectionis videtur declarare, igitur illud boni naturam, & essentiam minime attingit. Minor ostenditur. Nam alioqui deo ab æternitate perfectio aliqua defuisset, nempe qui diuitias bonitatis suæ ab æternitate cum externis rebus, quæ nullæ erant, minime cōmunicauerit.

**PRÆTEREA.** Bonum vim ac rationem finis obtinet, non causæ effectricis, namq; appetibile habet rationem finis, quodq; verò quatenus bonum, est appetibile, at esse diffusiuum sui causæ effectricis rationem continet, non videtur igitur boni natura & essentia in eo esse posita, vt sit diffusiuum sui.

**POSTREMÒ** si bonum esset sui diffusiuum, fieret profecto ac contingeret in infinitum progressio, namq; & bonum etiam cōmunicatum esset sui diffusiuum: aut igitur veniendum est ad aliquod bonum quod non est diffusiuum sui, id quod pugnat cum boni natura & ratione, vel certe non est ea boni vis & natura.

**PRIMVM** argumentum diluendum putat Caietanus, negata minore propositione, quod verò ad probationem eiusdem propositionis attinet, negandam existimat consecutionem: quando quidem hæc boni cum rebus alijs cōmuni

inunicatio perfectionem, Illa quidem declarat, non quæ sit naturæ sese communicantis, sed eius quocumque bonitas communicatur. Nam sese communicans diffusionem suæ bonitatis non efficitur melius, neque perfectionis aliquid acquirit: non enim homo humanum esse alteri impertiens efficitur melior, sed illud potius bonum efficitur, cui esse illud tribuitur ac communicatur.

SECUNDVM argumentum postulat ut explicetur boni definitio tradita à D. Dionysio eo quem de nominibus diuinis scripsit libro. c. 4. Hanc igitur definitionem D. Thomas. i. p. q. 5. ar. 4. ad. 2. Sic interpretatur ut existimet hanc diffusionem esse referendam non quidem ad genus causæ effectricis, sed finalis. Nam inquit bonum est diffusivum sui eo modo quo finis dicitur movere & impellere, finis autem impellit ad agendum, bonum igitur hactenus dicitur sui diffusivum, quatenus ad agendum excitat ac commouet: qua actione res appetens boni esse aliquod consequitur.

CÆTERVM. i. contra Gent. libro. c. 37. causalitatem boni ad genus causæ effectricis referendum censet. Agendo enim quodque esse, & bonitatem in alia diffundit, vis igitur & essentia boni in eo consistit ut sese in alia agendo diffundat. Non videtur igitur sibi constare D. Thomas.

SUNT qui pro Thoma respondeant, bonum capi duobus modis, formaliter. s. & fundamentaliter siue potius materialiter. Bonum formaliter est ens quatenus fundat rationem appetibilitatis, hoc est, ens qua appetibile est. Bonum vero fundamentaliter siue materialiter est ens siue res ipsa quæ alioqui bona est. Ponitur ergo duplex assertio. Prior est huiusmodi. Bonum formaliter sumptum est diffusivum sui per modum causæ finalis: est enim id cuius gratia cætera in actionem incumbunt.

POSTERIOR assertio. Bonum materialiter sumptum rationem obtinet effectricis causæ: Nam quodque fundamentaliter est bonum, quatenus obtinet esse: iam vero rei cuique convenit actio, qua est ens actu. Ita fit ut communicatio bonitatis & ipsius actus essendi proficiscatur à bono & tanquam ex fine, & tanquam ex causa efficiente: tanquam ex fine formaliter, tanquam ex efficiente fundamentaliter. Vtroque modo esse, & bonitas à summo & optimo Deo in res ipsas dimanant. Deus enim est causa rerum omnium efficiens, & extremum ad quod omnia referuntur.

QVOD vero ad tertium argumentum attinet, dicimus boni rationem non in eo consistere ut sese in alia actu diffundat: sed ut sit ea vi qua possit in alia diffundi: quemadmodum etiam animal non eo dicitur perfectum, quia

rem sui similem generat : sed quia sit ea vi qua possit animal sui simile procreare.

DICI etiam potest non fieri, quod ad diffusionem attinet progressum in infinitum, siquidem bona non perpetuo durabunt, ac proinde non erit actio boni perpetua aut per rationem efficientis, aut per rationem finis.

TER TIO illud venire potest in dubium. Anne quicquid ad rationem boni pertinet Deo conueniat. Namque latrare, & ratiocinari ad rationem boni pertinent, illud siquidem ad bonitatem canis: hoc ad bonitatem hominis pertinet: at hæc Deo minimè cōueniunt, ut satis constat, non igitur quicquid ad rationem boni pertinet iam in Deum conuenit.

HVIUS quæstiunculæ facilis est explicatio. Bonum accipitur duobus modis, in toto genere .s. & indefinite, & in parte ac definite, ut .s. tale quiddam bonum est, humanum videlicet aut angelicum. Bonum in genere sumptum abstrahit à bono speciatim sumpto, estque illius proprium esse sui diffusiuum. Dicimus igitur Deo conuenire quicquid ad rationem boni generatim sumpti pertinet. Namque Deus est ipsamet natura & essentia bonitatis, igitur quicquid pertinet ad rationem boni simpliciter, id est omnino Deo attribuendum : iam vero sese cum alijs cōmunicare naturam boni simpliciter attingit, est igitur illud Deo cōuenientissimum. Cæterum non quicquid pertinet ad rationem definiti boni, id iam Deo congruit, quandoquidem illud suapte vi & natura interdum imperfectionem declarat, iam autem omnis naturæ creatæ bonitas Deo attribuitur sublata imperfectione. Adhuc ostendimus fuisse decentissimum ut se Deus humanæ carni coniungeret, reliquum est ut doceamus fuisse illud necessarium, id quod in conclusione nobis erat secundo loco ad ostendendum propositum.

## DE NECESSITATE INCARNATIONIS:

& satisfactione Christi.

### Quæstio. III.

*Fuerit ne necessarium, ut Dei filius humana  
carni coniungeretur.*

**Cōclusio** **F**VIT necessarium ut Dei filius carnem humanam assumeret. Huius cōclusionis vniuersa probatio petenda est ex fine huic sacratissimæ incarnationi proposito. Etenim quemadmodum iam secūda quæstione docuimus, hoc consilio se Deus humanæ carni coniunxit, ut humana carne indutus peccata homi-

hominum expiaret, hominumq; genus perditum ac profligatum in veterē cum dignitatis, tum gratiæ gradum restitueret. Iam ergo ita licet argumentari sumptis ac petitis argumentis ex fine, nempe satisfactione, & expiatione peccati. Genus hominum vniuersum peccato obligatum satisfacere tenebatur pro peccato: at hanc satisfactionem homo præstare minime potuit, immo neque alia quæuis creatura: solus tamen Deus potuit, fuit igitur necessarium vt Deus humana se carne indueret, quo hanc satisfactionem peccato debitam præstaret, atque expleret. Minoris propositionis pars prior ita ostenditur. Homo ipse peccato obligatus tenebatur, ac proinde ad satisfaciendum ineptus erat: vt qui à Deo sese abalienauerat, ipsiusque gratia exciderat. Est enim diuinis literis proditum, hostias impiorum esse abominabiles.

Thom. 3.  
p. q. 2. ar. 2.  
Itē. 3. sct.  
d. 1. q. 1.  
ar. 2.

Prou. 15.

**POSTERIOR** pars ostenditur hoc pacto. Creatura quicquid est & quicquid habet hoc ipsum Deo debet, à quo illa omnia accepit, ex quo efficitur vt pro se non possit nedū pro alio, satisfacere, igitur non modo homo ipse qui in offensionē diuini Numinis incurrit, sed neq; quæuis creatura alia potuit pro peccato, quod genus hominū vniuersum inuasit, satisfacere.

**PRÆTEREA** quilibet homo aliquid minus est hominum tota vniuersitate, non potuit igitur pro peccato totius generis humani satisfacere. Cōsecutio firma est, quando quidem bonum vnius hominis, immo vero neq; multorū hominū potuit illud, quod genus hominū vniuersum ex peccato cepit detrimentū, ad æqualitatem resarcire.

#### Collectio.

**FUIT** igitur necessarium quo perfecte ipsi Deo pro peccato, quo omnes homines obligati tenebantur, satisficeret, hominesque tam immanis tamq; late patentis sceleris tyranide liberarentur, vt satisfactionem exhibiturus, esset non homo solum verum etiam aliquid supra hominem: homo quidem vt posset satisfactionem exequi & explere: Aliquid vero supra hominem, vt satisfactio ex se esset sufficiens, & æqualis. At aliquid supra hominem est solus Deus, nam quod ad ordinem beatitudinis attinet, nihil sunt Angeli hominē superiores, siquidem eundem finem expetunt, & eandem beatitudinem consequuntur. Fuit igitur non solum decentissimum, verum etiam summe necessarium, quo peccata hominum cumulatissima satisfactione expiarentur, vt Deus homo fieret, carnemque humanam assumeret.

**SED** hoc loco iam multæ quæstiones existūt dignissime explicatu in quibus

illa est prima. Vtrum homo purus potuerit cumulate, & ad æqualitatē Deo satisfacere pro peccato, quo genus hominum vniuersum infectum erat.

DEINDE illud venire consuevit in dubium. Vtrum Christus dominus hęc cumulatam ac perfectam satisfactionē præstare potuerit.

SVBINDE illud exquirendum est. Anne hominis satisfactio ex Christi domini nostri satisfactione vim, & efficacitatem consequatur.

POSTREMO expendendū. Vtrum decuerit genus hominū perditū illud quidē & collapsum, satisfactione in pristinū dignitatis gradū restituere.

### Quæstio. V.

*Vtrū purus homo potuerit pro peccato quo genus hominū vniuersum obligatū erat, cumulate & ad æqualitatē Deo satisfacere?*

**Q**VOD igitur attinet ad primam quæstionem D. Thomas negationē est amplexatus, quemadmodū satis cōstat ex superioribus argumētis: quibus posteriorē conclusionis partem confirmauimus. Quā eandem sententiā doctissimus Durandus hoc argumento vult esse persuasam. Non magis homo obligatur ipsi Deo propter peccata commissa ad satisfactionē, quam obligatur propter accepta beneficia ad gratiam referendā: At homo pro acceptis beneficijs non potest parē ipsi Deo gratiā referre, & quod vulgo dicitur, condignū aliquid & æquale rependere. Nihil enim Deo aliud reddimus quā quod ab ipso accepimus, quē admodū Paralip. 26. est à sanctissimo Dauide pijsime ac religiosissime dictū. Quod de manu, inquit, tua accepimus reddimus tibi, homo igitur pro peccato in Deum commissō non potest condignā satisfactionem præstare, ita. s. vt bonum reddat eiusmodi: quod offensam ex æquet æqualitate quantitatē.

Dur. 3. 5.  
d. 20. q. 2

Paral. 26

Scot. 4. 3.  
d. 15. q. 1.  
art. 2.

**V**IR tamen acri ingenio Scotus negantem partem tuetur, multisq; argumētis ostendit posse purum hominē ad æqualitatē pro peccato satisfacere. Principio igitur ita argumentatur. Satisfactio quædam est redditio æquiualentis pro æquiualentī. At quantum malum fuit hominis à Deo auersio & abalienatio per peccatum, tantum bonū est hominis in Deum per charitatem cōuersio: cum igitur homo possit in Deum cōuerti, sequitur vt possit pro peccato ad æqualitatem satisfacere.

**PRÆTEREA** quantū boni potuit inesse meæ actioni, tantūdem & nō plus aliquid eripuit peccatum: at boni tantūdem potuit inesse posteriori actioni, qua ad Deum confugio, potest igitur homo Deo æquale aliquid reddere

ac re-

ac rependere pro peccato.

**TERTIO.** Prepotens ipse Deus potest per absolutam potētiam alicui homini gratiam largiri nullo respectu meriti passionis Christi: quemadmodū & ipsi Christo summā gratiam tribuit citra omne meritum, aut ipsius Christi aut cuiusvis alterius: prius siquidem Christus est preuisus gratiam habiturus, quā passio ipsius acceptanda prouideretur: at a ctione gratia informata redditur æquale aliquid ei quod est per peccatum ablatum, relinquatur igitur posse hominem pro peccato, Deo ad æqualitatem satisfacere.

**QUARTO.** Si homo non posset pro peccato cumulate & ad æqualitatem satisfacere, eo esset quia numinis offensio est infinita: at id non impedit, quominus homo possit ad æqualitatem satisfacere, omnino igitur confitendum est posse hominem pro peccato ipsi Deo ad æqualitatem satisfacere. Minor ostenditur, si infinitas offensæ esset in causa ut homo non possit ad æqualitatem satisfacere: reuera neq; Christi domini nostri passio satisfactioni sufficisset, <sup>utque</sup> ~~neq;~~ finitum quiddam bonum esset: etiam accepta secundum vniuersam meriti rationem.

**ACCEDIT** ad confirmationē. Quia Numinis offensio est infinita nō simpliciter, sed ex parte, hoc est, per relationem ad obiectū offensum: non est igitur quod satisfactorem requirat reddentē simpliciter infinitum, sed infinitū ex parte: at quiuis homo actionem suscipiens ex gratia & charitate profectā, infinitum aliquid reddit quodam modo: namque hominis operatio cum ex gratia informante, tum ex merito passionis Christi infinitatem quādam consequitur, quemadmodum in quarto disertissime docuit D. Thomas. Potuit igitur homo æquiualeus aliquid offensæ reddere pro peccato. Ex quo iam illud consequitur minus efficaciter ex infinitate offensæ concludi, satisfactorem esse debere necessario suppositum diuinum: quod reddat infinitum aliquid simpliciter.

**POSTREMO** ille proprie satisfacit pro offensa, qui reddit ei in cuius offensione incurrit id quod equè aut magis amat: quam sui offensionē oderit. At homo actionē suscipiens ex gratia & charitate profectā, Deo rependit id quod equè vel magis diligit, quā offensionē sui exosam habuerit, namq; tam Deo placet actio sui charitate suscepta, quā displicet actio ab sui charitate aliena: potest igitur homo equale aliquid Deo rependere pro peccato.

**PRO** explicatione quæstionis sunt nōnulla prenotanda. Principio illud annotatum esse volumus: Durādum quod ad propositam quæstionem attinet, partim sentire cū D. Thoma: partim ab eodē dissentire. Sentit quidē haftenus,

quatenus cōfirmat non posse purum hominem pro peccato cumulate & ad æqualitatē satisfacere, dissentit vero eo, quia docet, non modo purū hominē, sed neq; ipsum dominū IESVM Christū potuisse ad æqualitatē Deo satisfacere, cōtra quod tñ sensit D. Thomas quē ad modū suo loco exponemus.

DEINDE expendenda est satisfactionis definitio tradita à Theologis. 4. sē. d. 14. & 15. Satisfactionem enim esse definiunt redditionem debiti. Nam quē ad modum Thomas author est. 4. sē. d. 14. q. 1. ar. 1. Dei offensa quedam est in æqualitas pugnans cum æqualitate iustitię. Homo siquidē per peccatū in offensionē Numinis incurres, Deo subtrahit id quod alioqui ipsi iure debitū est, amorem. s. & honorē: amorem quidem, quatenus aliquid magis diligit quā Deum: honorē vero, quatenus suam volūtatem diuinæ volūtati anteposit, & per summā impudentiam ac superbiam aliquid suscipit, quod diuinę volūtati quę nobis diuinis præceptis cognita & perspecta est, magnopere repugnat. Hoc porro per peccatum & offensam Deo subtractū debitum satisfactione redditur & rependitur, qua eadem inæqualitas ad æqualitatem quodam modo reducitur. Dicimus quodammodo, quando quidem hominis satisfactio non est offensæ simpliciter æqualis, nempè cum inter Deum & hominem æqualitas simpliciter minimè intercedat, sed quadam proportione. Nam homo non quantum debet reddit ac rependit Deo, sed quantum viribus consequi potest.

HINC iam intelligitur duobus modis posse alicui debitū rependi, vno modo ad æqualitatē, altero modo accōmodate cum ad facultatē eius qui debitū reddit, tū ad acceptationē eius, cui debitū illud redditur. Ac proinde duplex esse satisfactionis genus, ad æqualitatē vnū, per acceptationē alterū. Prior illa satisfactio est simpliciter perfecta, hæc vero posterior est sufficiens ex parte.

PORRO tum redditur debitum ad æqualitatem cum tantūdem redditur quantū debetur: Id quod tum fit vel maximè cum & is qui debitū rependit, est tota vel certe præcipua causa eius quod reddit, & id reddit quod alioqui suū est, neq; est ei cui satisfacit modo aliquo debitum: Vnde & satisfactio esse definitur redditio equiualentis aliās non debiti. Cum vero illa duo desunt, tum debitum redditur non ad æqualitatem sed accōmodate ad facultatē reddentis & secundum acceptationē eius cui satisfacit.

HIS ita constitutis duas statuimus conclusiones. Prior conclusio est huiusmodi. Nullius puri hominis satisfactio esse potest simpliciter perfecta, & ad æqualitatē: id vero ostenditur hoc pacto: In satisfactioe simpliciter perfecta, quęq; debitum exequat duo requiruntur: & quod is qui satisfacit sit tota, vel

certe



certe principalis causa condignitatis, & valoris actionis satisfactoriæ & quod reddat id quod suū est, neq; est aliās debitū ei cui satisfit: at nulla actio puri hominis est huiusmodi, relinquitur igitur purū hominē non posse satisfactionē simpliciter perfectā præstare. Maior propositio constat ex ijs quæ secūdo loco annotauimus, minor vero in hunc modū ostenditur, condignitas & valor actionis satisfactoriæ vniuersus prouenit, ortumq; habet cum ex Spiritu sancto ad agendū impellēte, tum ex gratia actionē informāte, quæ ipsa gratia homini donatur à Deo, propterea quicquid homo habet boni, id totum debet acceptum referre Deo. Namq; omne datum optimū: & donum perfectū de- Iacob. 1.  
 sursum est descendens à patre luminū, igitur illa duo in actione puri hominis desiderantur: non est igitur ad æqualitatem satisfactoria.

**COROLLARIUM.** Hinc illud est consequēs actionem hominis qua satisfactoria est, non esse omnino ipsius hominis, sed Dei ad agendū excitātis, & actionē ipsam condignā per gratiam efficiētis. Est tamē ipsius hominis quodā modo: quatenus. s. ex libero hominis arbitrio proficiscitur, quemadmodum Thom. 4  
 D. Thomas. 45 d. 15. ar. 1. in responsione ad secundū argumentū disertissimè 5. d. 15.  
 annotauit. Ita enim ait, quod habet seruis hominis, totaliter est domini, ita s. 4. d. 15.  
 vt nihil sit ipsius serui: at quod habet seruis Dei, ita est ipsius Dei, vt etiam sit ipsius serui propter arbitrij libertatem.

**POSTERIOR cōclusio.** Homo purus potuit pro peccato non solum proprio, verū etiā totius humani generis satisfacere satisfactione simpliciter imperfecta. Quæ tamen sufficeret per acceptationē eius cui debitū persoluitur. **HOC** vero sic ostēditur. Satisfactio imperfecta, ex acceptatione ac benignitate eius cui satisfit, vim omnem suam, ac valorē consequitur: At Deus potest quancūq; hominis actionē acceptare eaq; esse contētus: siue illa actio sit gratiæ forma decorata, siue eadem destituta: relinquitur ergo posse purum hominem de peccato suo, aut alieno Deo satisfacere, nō quidē satisfactione perfecta, sed quæ sufficiat per acceptationem ipsius Dei.

**HINC** intellige, vim omnem humanæ satisfactionis non esse homini attribuendā sed Deo actionē ipsam per gratiā cohonestanti, & condecoranti, & per misericordiam acceptanti.

**HINC** iam perspici potest aduersariorū argumentorum explicatio. Primū igitur argumentum diluitur explicatione maioris propositionis. Damus siquidem aduersario satisfactionem esse redditionem æquiualentis pro æquiualentem, æquiualentis inquam, vel simpliciter, & æqualitate quantitatis, vel ex parte, & æqualitate proportionis. Iam autem homo per arbitrij

libertatem in Deum conuersus: & gratia diuinitus in fusa cohonestatus, & collustratus, Deo reddit æquiualeus posteriore modo, hoc est, accommodate cum ad facultatem reddentis, tum ad misericordiam acceptantis.

**SECUNDVM** argumentum diluitur negata minori propositione: Nãq; peccatum abstulit in aius bonum quam possit in actione mea posteriore, qua mea est, reponi. Abstulit siquidem gratiam & charitatem quam peccator nõ potest in se ipso reponere: iuxta illam sententiam Osee. 13. Perditio tua Israel, tantũ modo ex me auxilium tuum: hoc est, à me illud tibi præstandum est, quo possis mihi de peccatis in me admissis satisfacere.

**QVOD** vero ad tertium argumentũ attinet, hypothesim lubenter aduersario concedimus: sed tum illa satisfactio est æqualis non simpliciter, sed ex parte, hoc est, per diuinam gratiam gratificantem: & misericordiam acceptantem. Perinde est enim tribuere alicui id cuius interuentu ipsius actio est satisfactoria, nempe gratiam & charitatem, atq; ipsius actionem per misericordiam acceptare.

**NOTANDA** sunt hoc loco duo magnopere, illud est prius, hoc interesse inter Scotum & D. Thomam: quoniam Scotus gratiam & charitatem ad hominem satisfacientem relata esse voluit: ac proinde purum hominẽ posse confirmauit æquale aliquid reddere ac rependere pro peccato: At D. Thomas hæc eadem in Deum referenda esse censuit hominis actionem per gratiam dignificantem, ac proinde per misericordiam acceptantem: quod vero ad satisfacientem attinet, purum hominem, & solas naturaleis vires considerauit: ac proinde non posse hominem qua huiusmodi pro peccato satisfacere constanter asseruit, nisi forte per diuini numinis acceptationem. Non negat igitur D. Thomas hominem posse de peccato Deo satisfacere, sed non posse id præstare ad æqualitatem, & per adæquationem offensæ, vt possit satisfacere per misericordiam acceptantis.

**POSTERIORE** loco illud annotandum est, satisfactionem simpliciter æqualem hoc differre à satisfactione æquali ex parte: quoniam illa habet charitatem, siue amicitiam eius cui satisfit, pro termino. Etenim ad beneuolentiã & amicitiam recuperandam eius cuius offensio excitata est, comparatur: At satisfactio imperfecta ex charitate eius cui satisfit, proficiscitur, nempe quia ex ipsa vim omnem ad placandum consequatur. Deus enim nullis alijs actionibus nisi ex sui charitate profectis: & gratia condecoratis, placatur.

**QVOD** vero ad quartum argumentum attinet, concedimus ob id nõ posse hominem purum pro peccato satisfacere, quia diuini numinis offensa est infinita,

Osee. 13.

Caieta.  
3. p. q. 1.  
ar. 2.

fnita, vnde fit vt actio peccati sit infinite demeritoria, ac proinde satisfacti-  
onem requirat vim, & efficacitatem infinitam habentem. Quam quidem  
efficacitatem actio puri hominis ex sese, hoc est, per exclusionem diuinæ gra-  
tiæ gratificantis, & misericordiæ acceptantis, habere nullo modo potest: vt  
possit tamen eandem vim obtinere, per adiunctionem gratiæ dignificantis,  
& misericordiæ acceptantis: At tum illa actio non est hominis satisfaciens  
omnino, nisi quatenus ex libero arbitrio proficiscitur, vti iā supra docuimus.  
PORRO confirmationem sic diluimus vt dicamus offensam Numinis esse  
infinitam illam quidem non simpliciter & in genere entis, sed ex parte, hoc  
est, in genere mali, est siquidem Dei offensa malum infinitum: quo etiam  
modo actio charitate informata est infinita, ex parte. s. tum propter obiectū  
infinitum quod attingit, tum in genere meriti. Quocirca damus aduersario  
huiusmodi actionem offensam per satisfactionem exæquare, si modo is qui  
satisfacit, viribus naturæ illam actionem possit suscipere, id quod cum nulla  
pura creatura possit aut potuerit præstare, opus fuit satisfactore simpliciter  
infinito, qui viribus proprijs satisfactionem huiusmodi Deo redderet.

POSTREMVM argumentum sic explicatur. Satisfactio dicitur sufficiens  
duobus modis, vno modo ex sese, cum videlicet actio tantæ est excellentiæ,  
tantæq; amabilitatis, vt offensam non adæquet modo, verum etiam exupe-  
ret, vt si is cui facta est iniuria placandus esset libra argenti, placaretur libra au-  
ri. Altero modo dicitur sufficiens per acceptationem, siue per humanitatem  
& clementiam acceptantis, vt si Rex offensæ satisfactionem requirēs sola ve-  
niæ postulatione esset contentus. Actio sufficiens priore modo, ob id accepta-  
tur quia est sufficiens, contra vero actio sufficiens posteriore modo ob id est suf-  
ficiens quia acceptatur. Priorem satisfactionem exhibuit Christus Deo, po-  
steriorem vero purus homo præstare potest. Ille igitur proprie satisfacit pro  
offensa, qui reddit ei in cuius offensionem incurrit, id quod magis ex sese, hoc  
est, per exclusionem omnis externi auxiliij, diligitur ab eo qui offensus est, quā  
fuerit eidem offensio exosa.

OBIICI tamen contra potest: homo ex sese & viribus proprijs, omni auxilio  
speciali excluso, potest actionem ex se sufficientem pro satisfactione Deo red-  
dere, igitur homo purus potest ad æqualitatem pro offensa satisfacere. An-  
tecedens ostenditur. Vnius hominis actio vitiosa vim habuit ad perdendum  
genus humanum: igitur vnus hominis actio virtuti consentanea vim ha-  
beat necesse est ad illud idem restituendum, consecutio firma est, quia malū  
non est ad agendum pollutius, atq; potentius quam bonum: At quilibet

homo purus potuit bonam, virtutiq; consentaneam actionem viribus proprijs suscipere.

**FACILE** occurrimus huic obiectioni, dicimus enim posse hominem actionem huiusmodi virtuti consentaneam suscipere, cæterum eiusdem actionis non esse hominem totam, vel certe præcipuam causam: partim quia princeps causa Deus est: partim quia quicquid bonitatis in illa actione cernitur, id totum est Deo acceptum referendum, iuxta illam sententiam diuinitus traditam, omne donum perfectum, & datum optimum desursum est descendens à patre luminum. Ex quo iam efficitur vt illa actio non sit ex se, hoc est, per exclusionem diuini auxiliij sufficiens, sed per misericordiam Dei acceptam.

Jacob. 1.

## Quæstio. VI.

*Vtrum Christus Dominus ad æqualitatem pro peccatis  
hominum Deo patri satisfecerit?*

Dur. 3. 5.  
d. 20. q. 2

**DVRANDVS** negationem tuetur, eiusq; sententia his conclusionibus explicatur.

Prima conclusio.

**NULLA** pura creatura potest de peccato ad æqualitatem Deo satisfacere, ita. s. vt si Deus illam satisfactionem minime comprobaret, esset iniustus. Probatio conclusionis est huiusmodi. Nullus homo potest ad æqualitatem satisfacere pro peccato, quo promeruit mortem temporariam: igitur non potest ad æqualitatem satisfacere pro peccato: quo promeruit mortem æternam. Consecutio firma est, antecedens ostenditur, quoniam cõdigna satisfactio, est redditio æqui ualentis pro æqui ualente.

**ACCEDIT** quia quemadmodum homo per peccatum diuinam gratiam amittit, ita satisfactione eandem recuperat. At gratia non cadit sub meritum de condigno, alioquin non esset gratia, sed debitum necessario & iure soluendum: igitur nullius puræ creaturæ satisfactio esse potest condigna.

**POSTREMO** nõ minus est homo Deo obligatus quod ad satisfactionem attinet, propter peccata commissa, quam sit eidem obligatus quod ad referendam gratiam pertinet, propter accepta beneficia: at pro beneficijs acceptis non potest illi parem gratiam referre, igitur neq; commissa peccata condigne & ad æqualitatem expiare, faciendo. s. bonum quod sit æquale æqualitate quantitatis culpæ commissæ.

Secunda

Secunda conclusio.

**C**HRISTVS quatenus homo non potuit ad æqualitatem pro peccato humani generis satisfacere: id quod ostèditur hoc pacto. Christus quatenus homo non potuit pro acceptis beneficijs parem gratiam Deo referre, siue dona nature, siue gratiæ, siue summū illud ac præstantissimū illius coniunctionis donum spectes: Namq; autore Aristo. Dijs & magistris parem gratiam referre ac rependere non possumus: igitur nõ potuit Christus satisfactionem Deo reddere parem & æqualem cõmuni hominum offensæ. Nam si Christi actio non satisfuit ad exæquanda beneficia: neq; suffecerit ad æquandam offensam.

**I**TEM quicquid inerat in Christo quatenus homo, totum erat Deo obligatum & ipsi debitum, igitur non potuit Deo cõdignam satisfactionem reddere, condignitate operis, vel rei, nisi solū per diuinā misericordiā acceptantē.

Tertia conclusio.

**H**OMO de congruo & per diuinā misericordiā acceptantē potest Deo de peccato satisfacere. Probatio. Id solū Deus ab homine requirit quod ipse potest præstare, at parē aut pro beneficijs acceptis gratiam referre, aut pro offensa ad æqualitatem satisfacere homo non potest, de cõgruo igitur, & secundum gratuitam Dei acceptationem homo satisfecerit, quæ satisfactio dicitur æqualis quadam proportione: Nam quemadmodum quod est Deo debitum affectum est ad ipsum Deum, ita id quod homo potest efficere ad ipsum hominem, vnde huiusmodi satisfactio in sanctis ac diuini literis digna appellatur, dicitur enim Luc. 3. Facite fructus dignos poenitentia.

**Q**UARTA propositio. Deus, si ita voluisset, potuisset sine vlla omnino satisfactione, vel certe quātulacumq; puri hominis exhibita, genus hominum in veterem gradum restituere. Prior pars ostèditur in hūc modum. Tribuere aliquem alicui a largiri quod suū est, perinde est atq; remittere eidem quod alioqui ipsi debitum est: at citra vllum æquitatis & iustitiæ dispendium potest homo alicui tribuere & largiri quod suum est, igitur & debitum eidem cõdonare, & offensionem remittere: Tantum enim abest, vt hoc cum recta ratione & iustitia pugnet, vt sit bonitati, & clementiæ maximè consentaneū: cum igitur Deus sit longe optimus & clemētissimus, efficitur vt sine vllō iustitiæ detrimento potuerit humano generi offensam omnem, nulla postulata satisfactione, remittere.

**P**OSTERIOR pars ostenditur. Potuit Deus, si illi ita visum fuisset, Adami vel alicuius alterius hominis actionem bonam pro peccato eiusdem Adami, atq;

atq; adeo vniuersi generis humani ad satisfactionem acceptare, vt quemadmodum peccatum Adami in omnes per condemnationem, idq; iustissimè redundauit, ita & ipsius Adami poenitètia ad omnes per satisfactionem, idq; per Dei misericordiam pertineret: igitur quantum operatio vitiosa Adami fuit demeritoria in se & in genus hominum vniuersum, tantum operatio ipsius bona foret satisfactoria pro offensa, non quidem de condigno simpliciter, sed de congruo, & secundum Dei misericordiam acceptantem.

Thom 3.

P. q. 48.

ar. 2. ad 3.

scem q. 1.

ar. 2. ad 2.

ALIIS visum est potuisse Christum ad æqualitatem pro peccatis hominum satisfacere: id vero hoc argumento ostenditur. Actio Dei & hominis est infinitæ efficacie simpliciter, sed satisfactio Christi fuit satisfactio Dei & hominis, habuit igitur efficacitatem infinitam, ac proinde non exæquauit modo beneficia accepta, verum etiam offensam totius generis humani. Minor propositio ostenditur. Actiones sunt suppositorum vt agentium: naturarum vero vt rationum agendi, igitur satisfactio Christi non fuit operatio humanæ naturæ vt agentis, sed suppositi ipsi humanæ naturæ coniuncti: At suppositum illud erat infinitum, omnis igitur actio ab eodem profecta erat infiniti valoris & efficacitatis. Hæc ratio desumpta est ex doctrina D. Thomæ parte tertia. q. 48. ar. 2. tradita in responsione ad tertium argumentum. Quo loco ita dicit. Non est dignitas carnis Christi secundum quam est passus æstimanda solum secundum carnis naturam, sed etiam secundum personam assumentem, quatenus. s. erat caro Dei: vnde consequbatur caro Christi dignitatē infinitam: & passio Christi similiter infinitam efficaciam, per quam potuit omnium hominum peccata satisfaciendo adæquare. Hæc Thomas. Hinc duo iam colliguntur, illud est prius Christum dominum pro peccatis hominum satisfactionem obiisse, neq; simpliciter qua homo erat, alioqui id omni homini conueniret, neq; simpliciter qua Deus erat, quia Deus nulli est obligatus, sed qua Deus erat & homo, vt. s. Deus mediante natura humana assumpta tanquam ratione agendi satisfactionem illam expleuerit. Hæc igitur pronuntiatio (Christus in quantum homo satisfecit) hanc sententiam continet, Christus interuentu naturæ humanæ adsumptæ satisfecit. quemadmodum & cruciatus ac mortem pertulit.

POSTERIVS est illud, mortem, passionem, atq; adeo quamlibet actionē Christi formaliter quidem & quod ad entitatem attinet, fuisse creatum quiddam, & finitum, at hypostatice, & quod ad valorem, & efficaciam pertinet, fuisse infinitum quiddam.

HINC iam perspici potest aduersariorum argumentorum explicatio.

Argu.

ARGVMENTA igitur illa duo quibus secunda Durandi assertio cōfirmata est, facile diluuntur, si dicatur, Christum dominum & pater pro beneficijs, & à se acceptis, & in vniuersum genus hominum collatis gratias egisse, & parem offensionem omnium hominum satisfactionem Deo prestitisse, siquidem diuina persona quæ omnia non equat modo, verum etiam infinite exuperat, gratias agebat & satisfactionem obibat.

CONCEDIMVS tamen Durando Christum quæ homo, hoc est per abstractionem à diuino supposito, præstare illud minime potuisse, at sic non conuenit Christo vlla actio: quandoquidem omnis à supposito actio proficiscitur. Ceterum Durandus non sic videtur Christum quæ homo est, spectasse, hoc est, per abstractionem à diuino supposito, sed videtur animum intendisse ad actionem quam diuinum suppositum tam gratias agendo, quam satisfaciendo interuentu humanæ naturæ expleuit, quam putat fuisse imparem cum beneficijs soluedis: tum noxæ humani generis ad equalitatem expiandæ. Quæ eius sententia aperte falsa est & erronea.

### Quæstio. VII.

*Utrum vniuersa humane actionis vis & efficacia posita sit in satisfactione Christi?*

Hæc quæstio explicatur duplici posita conclusione.

Prior conclusio.

**P**ER absolutam diuinitatis potentiam potest Deus hominis actionem vt satisfactoriam pro peccato acceptare nullo respectu passionis Christi aut præuise, aut exhibitæ. Id vero ostenditur in hunc modum. Quicquid Deus potest efficere interuentu causæ secundariæ effectricis, potest per se ipsum immediate efficere: at Christi domini nostri passio est causa meritoria deletionis culpæ, & noxæ omnium hominum, ac proinde ad genus causæ effectricis pertinens: igitur nullo ipsius respectu potest clementissimus Deus, citra equitatis & iustitiæ detrimentum alicui homini culpam condonare & noxam atque offensionem illi suam remittere.

PRÆTEREA fieri potuit vt Dei filius minimè carni se humane cōiungeret: ac proinde cruciatum & mortem minimè perferret: igitur tū potuit Deus peccatorem, quem peccati poeniteret, in amicitiam recipere, & culpam illi condonare, nullo omnino respectu meritorum Christi, quæ nulla extarent.

HANC sententiã confirmat D.P. Aug. decimo tertio de trinitate libro. c. 10.

ita

Seco. 4.8.  
d. 15. q. 1.  
art. 2.

Ep. 1.

Ep. 1.  
p. 1.

ita inquit, ostendamus non alium modum possibilem Deo defuisse cuius potestati cuncta æqualiter subiacent, sed sanandæ nostræ miserie conuenientioremodum alium non fuisse. Hęc eadem assertio probata est D. Thomę. 4. s. d. 13. q. 1. ar. 1. item Durando. 3. s. d. 20. q. 2.

Secunda conclusio.

**D**E lege & potentia ordinata nullius hominis actio est satisfactoria nisi quatenus coniungitur satisfactioni Christi. Ostenditur hoc pacto. Deus statuit vt inimicus homo sibi reconciliaretur obsequio gratiore præstito, quã fuerat offensio exosa: huiusmodi autem obsequium est passio Christi, vel meritum ipsius, igitur nullus hominum potest in gratiam cum Deo redire nisi merito passionis Christi, fit autem huiusmodi in gratiam reditus per satisfactionem, nulla igitur hominis actio est satisfactoria pro peccato nisi coniuncta merito passionis Christi.

**ITEM** Deus instituit nulli hominum culpam, & scelus in se admissum condonare nisi charum habeat ipsum Deum, sitq; in gratia cum eo, ac sic est diuinitus etiam constitutum, vt nulli hominum gratia nisi merito passionis Christi tribuatur: consentaneè igitur diuino instituto nulli hominum culpa & offensio remittitur, nisi merito passionis Christi: cum vero ad culpę remissionem adhibenda sit satisfactio diuino instituto, sequitur hominis actionem non esse pro peccato satisfactoriam nisi merito passionis Christi.

1. Io. 4.

Rhom. 3.

1. p. 1. b.

1. p. 1. b.

1. p. 1. b.

**HVIC** assertioni & sententiæ diuinæ literæ suffragantur. 1. Ioan. 4. ita continetur. Aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum, ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Ad Rom. 3. iustificati gratis per gratiam ipsius, & per redemptionem quæ est in Christo IESU quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine Christi.

Eph. 1.

**ITEM** Eph. 1. Gratificauit nos in dilecto filio suo in quo habemus redemptionem per sanguinem eius remissionem peccatorum. Eodem loco. Proposuit in eo in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, quæ in coelis, & quæ in terris sunt in eo. Fuit autem hæc nostri liberandi & restituendi ratio conuenientior propter eas quas paulo post exponemus causas.

Caieta.

3. p. q. 1.

ar. 2.

**EX** cõmentario Caietani parte. 3. q. 1. ar. 2. colligo nõnullas propositiones ad rem propositam explicandam accomodatissimas.

**PRIMA** propositio. Nostra satisfactio ex duplici causa ac radice vim & efficacitatem omnem suam consequitur. s. & ex gratia informante, & ex merito passionis Christi. Ex gratia informante illud consequitur, vt sit Deo grata & accepta, ex merito vero passionis, vt sit efficax ac valida.



SECVNDA propositio. Neutro modo hominis satisfactio est sufficiens simpliciter, ita scilicet ut offensam exæquet, siquidem & gratia nobis à Deo tribuatur, & meritum passionis Christi per summam Dei clementiam nobiscum communicetur. Est tamen sufficiens, & æqualis ex parte, hoc est, per diuinam misericordiam acceptantem.

TERCIA propositio. Nostra satisfactio ex satisfactione Christi efficaciam consequitur: quemadmodum imperfecta, quæque participatione sunt talia, ab ijs esse & posse accipiunt quæ perfecta sunt, quæque per se talia sunt. Est siquidem Christi satisfactio satisfactionis genere simpliciter perfecta, & ex se sufficiens.

QUARTA propositio. Satisfactio nostra coniuncta satisfactioni Christi, hoc est, qua est satisfactio mysticæ personæ, est simpliciter sufficiens & æqualis. Namque ex Christo capite & membris vna persona mystica conflatur, cuius actio est infinitæ efficaciam simpliciter.

HINC illa Pauli sententia ad col. 1. profecta est. Nunc gaudeo in passionibus Col. 1. pro vobis, & adimpleo ea quæ defunt passionum Christi, pro corpore eius quod est ecclesia. Significat D. Paul. his verbis ex Christo capite & membris vnam veluti personam mysticam constitui: qua coniunctione & quadam compositione efficitur, ut apostolorum & piorum omnium afflictiones, & acerbitates sint Christi ipsius afflictiones, quas quidem Christus omnes nondum pertulit, sed eidem restant in membris perferendæ. Cum igitur pii homines patiuntur, id quod est reliquum passionum Christi adimplent, & ipse idem Dominus IESVS Christus membris patientibus pati etiam dicitur. Qua igitur piorum hominum Christo per amorem coniunctorum passionum, sunt ipsius Christi passionum & vnius mysticæ personæ, hætenus sunt infinite satisfactoriæ.

### Quæstio. VIII.

*Q. Vtrum decuerit genus hominum perditum ac prolapsum satisfactione restituere necne?*

QUARTO venire in dubium consuevit an decuerit genus hominum perditum ac collapsum satisfactione restituere, necne? Negatio his argumentis ostenditur. Æquissimum est, ut is qui per vim & iniuriam quippiam occupauit, illudque possidet, per vim eodem dispolietur. At diabolus hominem quem astu & versutia deceperat, per summam iniuriam in potestate ac ditione tenebat: decuit igitur ut idem homo ipsius quoque tyrânide

& imo

& imperio per vim eriperetur, non iure & satisfactione liberaretur.  
 ADDE quia insignioris est clementiæ & admirabilioris bonitatis: offensionem alicui citra ullam satisfactionem remittere quam satisfactionem ullam requirere, fuit igitur summæ Dei clementiæ & bonitati conuenientius generi hominū sine satisfactione culpā condonare, quā satisfactionem ullam expetere.  
 HVIVS quæstionis explicatio tribus conclusionibus continetur.

Prima conclusio.

Dur. 3. s.  
d. 20. q. 2

**D**EUS si voluisset, potuisset nullo diuinæ iustitiæ & æquitatis incōmodo, hominū generi sine vlla satisfactione offensionē ac noxā remittere. Hęc conclusio cum ex ijs quæ supra quæstione secunda docuimus constat, tum hoc etiam argumento ostendi potest. Cum nemo est qui iniuriam accipiat: nemo est qui iniuriam faciat: at si homo citra satisfactionem liberaretur nullam ex eo acciperet iniuriam, immo vero misericordia illi summa præstaretur, Deus igitur sic hominem liberans nulli fecit iniuriam: ac proinde sic faciens iustissime egit. Neq; est quod aliquis obijciat facturum fuisse beneficentissimum Deum ipsi dæmoni iniuriam: nam diabolus per fraudem hominē in potestatem redegerat, nihilq; iuris proinde in hominem acquisierat.

Secunda conclusio.

**D**IVINAM bonitatem decuit vt hominem à se abalienatum per satisfactionem sibi reconciliaret. Etenim decebat beneficentissimum, & optimum Deum vt liberandi, ac restituendi hominis commodiorem rationem excogitaret, at nulla commodior & conuenientior excogitari potuit ratio, quam ea quæ satisfactione expletur: diuinam igitur bonitatem decuit vt hominem à se abalienatum per satisfactionem sibi reconciliaret. Minor ostenditur. Id quod meritis obtinetur perfectius obtinetur, quam quod sine meritis obtinetur: nam qui pro meritis suis aliquid consequitur, illud dicitur consequi per seipsum, nempe cum merito suo illud sibi debitum efficiat. Contra vero ille qui nullis meritis suis aliquid consequitur, illud dicitur consequi per alium, hoc est, munere, & beneficentiā alterius: at quod satisfactione recuperatur, meritis recuperatur, nulla igitur conuenientior hominis liberandi, ac restituendi ratio potuit diuinitus excogitari, quā ea quæ satisfactione expletur. Decuit igitur, &c.

Tertia conclusio.

Rhom. 5.

**F**VIT decentissimum satisfactione Dei & hominis, genus hominum liberari, partim quia hac ratione effectum est, vt homo Dei in se incredibilem amorem perspiceret, vnde à Paulo ad Romā. 5. est dictum. Commē-

dat

dat autem Deus charitatē suam in nobis quia cum inimici essemus secundū  
tempus, Christus pro nobis mortuus est: Partim vt homini virtutum om-  
nium, quæ admirabiliter in Christo eluxerunt, exempla ad imittandum pro  
ponerentur, iuxta illam Petri sententiam, Christus passus est pro nobis vobis  
relinquens exemplum vt sequamini vultigia eius: partim vt homini inno-  
centiæ & integritatis perpetuo conseruandę summa necessitas imponeretur:  
iuxta illam D. Pauli sententiam. 1. Cor. 6. Empti enim estis pretio magno glo-  
rificate & portate Deum in corpore vestro.

1. Pet. 2.

1. Cor. 6.

PRIORIS igitur argumenti hæc est explicatio. Quamuis hominem dia-  
bolus per summam iniuriam tyrānide oppressum teneret, ac proinde fuerit  
ipsius tyrannide per vim eripiendus, homo tamen ipse diaboli imperio iu-  
re oppressus tenebatur, siquidem scelere in Deum admissō, seipse diabolo  
sponte in seruitutem tradidit. Quocirca non fuit homo per vim diaboli im-  
perio liberandus sed satisfactione: sic enim effectus est vt Deus honore afficeretur,  
qui fuerat per scelus hominis iniuria affectus. Tractatur hic locus à D. P.  
Augustino decimo tertio de Trinitate libro elegantissime.

POSTERIVS argumentum ita diluitur. Sūma Dei clemētia hoc maximè  
est argumento declarata, quia cum homo per se non posset ad æqualitatē pro  
peccato satisfacere, filium nobis satisfactōrē dederit, idq; amplioris multo mi-  
sericordiæ, & beneficentię fuit, quam si nullā omnino à nobis exegisset satisfa-  
ctiōnē propter eas quas filij Dei incarnatio & Christi satisfactio hominū generi  
attulit utilitates, quæ ipsæ sunt pene innumerabiles.

ADDE quia illud in summā hominis gloriam redundauit vt non satisfacti-  
ōne modo, verum etiam satisfactione Dei & hominis restitueretur. Sic enim  
homo obtinuit, vt ad æqualitatem Deo pro peccato, & non per misericordiā  
acceptatē satisfaceret, id quod tamen obtinere minimè potuisset, si purus  
homo satisfacisset, quemadmodū est à nobis iam supra demonstratum. Ac de  
satisfactione Christi hætenus.

## DE EFFECTV INCARNATIONIS CHRISTI.

## Quæstio. IX.

*Anne Dominus IESVS Christus deleturus potius*

*venerit peccatum originale,*

*an actuale?*

C

CVM

**C**VM Christus Dei filius hominum peccata deleturus & expiaturus ad-  
 uenerit, ambigi consuevit, ane deleturus potius originale uenerit,  
 Thom. quam actuale? D. Thomę sententia est uenisse Christum potius ad delen-  
 3. p. 9. ar. 4. dum originale peccatum quam actuale, partim quia originale peccatum  
 latius patet quam actuale: partim quia deletio ac sublatio originalis pecca-  
 Thom. 3. ti bonum quiddam est totius naturę, deletio uero actualis priuatę perso-  
 sent. d. 1. nę bonum est: iam uero bonum cõmune ut præstantius est, ita expetibilius,  
 q. 2. ad. 2. ac proinde maiori studio procurandum. Hęc tamen sententia his argumē-  
 tis refutatur. Peccatum originale non patet latius quam actuale, non igitur ob  
 id Christus ad illud delendum uenisse potius censendus est, quia latius funditur  
 quam originale. Añs ostēditur ex eo, quia omnes infecti originali peccato, in-  
 ficiuntur etiam, idq; regulariter, & sublatis impedimentis, actuali. Dicitur re-  
 gulariter, ut uirgo beata excipiatur, quę iuxta Thomę sententiam & opinionē  
 originale contraxit, nullum tamen admisit actuale, adiectum est, sublatis im-  
 pedimentis, propter infantes qui uita excedūt, antequam rationis munere fun-  
 gantur, non uidetur igitur peccatū originale patere latius quā actuale.

**ITEM** sublata causa tollitur effectus. At fomes siue concupiscentia est effe-  
 ctus originalis peccati, itemq; mors, fames, & huius generis cætera, sublato  
 igitur originali peccato non est quod hisce rebus locus relinquatur aliquis: at  
 hęc in nobis cernuntur omnia, non uidetur igitur in nobis deletū esse, Chri-  
 sti passione, originale peccatum.

**PRO** explicatione prioris argumenti notandum est, hoc interessē inter pec-  
 Thom. 3. catum originale, & actuale, quia peccatum actuale tollit bonum personę,  
 sent. d. 1. q. 2. ad. 2. peccatum uero originale tollit bonum accõmodatum naturę. Illud prius sic  
 ostenditur. Peccatum actuale aduersatur bono particularis personę, tollit igitur  
 bonum personę. Posterius uero illud ita uolumus esse persuasum: Peccatū  
 originale est oppositum bono naturę, nempe originali iustitię quę cum Ada-  
 mo non pro se solum, sed pro omni posteritate fuerit diuinitus tributa atque  
 concessa, celsit in bonum & ornamentū totius naturę, ex quo efficitur ut pec-  
 catum originale tollat bonum naturę.

**HINC** iam illud est consequens peccatum originale ex se esse cum infinitis  
 hominibus communicabile, nam cum sit malum naturę, quę semine pro-  
 pagatur & traducitur: potest autem natura huiusmodi ad infinitos homines  
 traduci: sequitur igitur & illud malum quod naturam ipsam comitatur,  
 posse cum infinitis hominibus communicari. At in peccato actuali non ita  
 res habet: quandoquidem peccatum unius non inficit per se alterum aut eū-  
 dem

dem ad peccatum pertrahit, nisi forte ex accidente. Accidit enim Paulo peccante Petrum peccare.

HINC iam perspicitur potest prioris argumenti explicatio. Nam quavis omnes labe originalis peccati infecti, regulariter, & sublatis impedimentis actuale peccatum suscipiant, id accidens est: At originale peccatum per se cum omnibus hominibus communicatur interuentu humanæ naturæ in Adamo corruptæ & deprauatæ. Ac proinde latius per se patet quam actuale. PRO explanatione posterioris argumenti illud est annotandum primo, in peccato originali duo spectari, materiale scilicet & formale: formale in originali est carentia iustitiæ originalis debitæ in esse siue debitæ haberi. Materiale vero est fomes siue concupiscentia, siue pronitas ad malum.

Illud secundo sciendum est, duplicem reperiri in iustitia originali, rectitudinem, vnam per quam vis superior erat omnino Deo subiecta, alteram per quam vires inferiores rationi subdebantur. Respondet igitur Thomas ad argumentum, post baptismum susceptum manere peccatum originale actu, non tamen reatu: id quod non nulli sic interpretantur vt dicant, manere peccatum originale quoad materiale, nempe fomitem peccati, & concupiscentiam, quamuis vis illius per baptismum imminuatur, non tamen manere quoad formale, idque non in toto, sed in parte. Nam vt maneat carentia posterioris rectitudinis, non tamen prioris illius quæ posita est in subiectione animi ad Deum. Namque in baptismo homini gratia infunditur, qua efficitur, vt mens hominis Deo coniungatur ac proinde originalis iustitia, saltem quo ad illum effectum restituatur, quamuis non secundum essentiam.

SVNT qui dicant originale peccatum actu manere post baptismum: quoniam actu manet priuatio originalis iustitiæ. Nam quamuis gratia recuperatur, non tamen secundum hunc effectum, qui est originalis iustitia, quæ illa gratia primum parentibus tributa pariebat, & quendam veluti fructum proferebat: quem tamen fructum proferet in resurrectione. Non manet tamen reatu, siquidem illa priuatio post baptismum non amplius imputatur ad culpam, & ad reatum æternæ priuationis diuinæ essentia.

APERTIUS dici potest, post baptismum manere quidem carentiam originalis iustitiæ, non priuatiuè, sed negatiuè. Namque carentia originalis iustitiæ priuatiuè, est defectus originalis iustitiæ debitæ haberi: hoc porro debitum habendi tollitur per baptismum: non enim iam amplius homo obligatur habere originalem iustitiam, quando quidem restituta est illi gratia, tametsi non

Tho. 1. 2.  
q. 81. ar. 3.

Ferr. 4.  
con gen.  
6. 52.

Caie. 1. 2.  
quæf. 81.  
ar. 3.

quo ad omnem effectum. Cæterum carētia originalis iustitiæ negatiue est aliud nihil quam non habere originalem iustitiam, id quod etiam conuenit subiecto minime capaci talis iustitiæ.

**Q**UOD vero attinet ad cæteros defectus ex peccato originali prouenientes, veluti mortem, famem, frigoris, caloris, & cæterarum huiusmodi incōmoditatum & ærumnarum perpeffionem, hos Christus tametsi cumulatè pro peccato originali satisfecerit, minimè sublato esse voluit, partim vt membra capiti assimilarentur: itaque fieret vt ad eandem cum Christo gloriam ac beatitudinem peruenirent, iuxta illam Pauli sententiam: *Hæredes quidem Dei coheredes autem Christi, si tamen compatimur, vt & conglorificemur: Partim quia si ij qui Christi religionem suscepissent, immortalitatē, & impatibilitatem consequerentur, Christo se in seruitutem traderent propter assequenda huiusmodi bona, potius, quam propter assequenda bona spiritualia, ad quæ tamen cum hominibus cōmunicanda Christus venit potissimum. Partim quia horum ornamentorum certissima cōsecutio homines ad fidem suscipiendam compelleret, ac proinde fidei meritum imminueretur.*

## DE TEMPORE INCARNATIONIS.

### Quæstio. X.

*Vtrum Christus aptissimo tempore in mundum venit?*

**Q**UOD attinet ad dominicę incarnationis tempus, ponitur hæc conclusio. Sexta mundi ætas aptissimum fuit dominicę incarnationis tempus. Id vero ostenditur hoc pacto. Illud cum diuina iustitia maximè cōgruebat, vt peccatum hominis per superbiam in Deum admissum puniretur: est autem in illud diuinitus animaduersum hac Dei cū humana natura coniunctione ad sextam vsq; mundi ætatem dilata: Sexta igitur mundi ætas fuit aptissimum dominicę incarnationis tempus. Minor propositio ostēditur. Namq; Adamum cum vniuersa posteritate è paradiso eiectum, & inferni cuiusdam loci, quem lymbum dicunt, carcere inclusum hæc diutissima aduentus domini expectatio acerbissimè excruciauit: hac etiam dilatione effectum est, vt sancti viri humane nature imbecillitatem experti, in luctu & squalore iacerent, & diuinam opem vehementissimè implorarent, & Christi aduentum ardentissimè expeterent. Hinc illa vehemens sanctissimi vatis deprecatio, hinc illud votum ardentissimum profluxit. *Vtinam disrumperes cœlos & descenderes, &c.*

Adde

**ADDE** quia diuinam sapientiam decebat, vt morbum quē genus hominum vniuersum peccato contraxerat, optimē curaret, at hoc ipsum diuina sapientia dilatione incarnationis est præstantissimē consecuta: decuit igitur vt Verbi incarnatio ad longum tempus differretur. Minor ostenditur. Morbum cōmodissime curatur, cum eger morbum ipsum agnoscit: ita enim fit vt gratiam ei habeat qui morbum depulit, at dilatione incarnationis effectum est, vt homo morbum, qui genus humanum inuaserat, agnosceret: nēpē naturæ imbecillitatem, insecitiam, & ignorantiam, qua agnitione fiebat, vt ad Deum confugeret, & diuinam opem ardentissimē imploraret, celestemq; medicum perpetuo inuocaret: igitur, &c.

**PRÆTEREA** dominicæ incarnationis beneficium erat omnium maximū ac præstantissimum: ac proinde plurimi faciendum, & ardentissimē expetendum: quo igitur & auidius requireretur, & datum pluris fieret, decuit vt ad sextam vsq; mundi ætatem differretur. Hæc ætas fuit illa temporis plenitudo, qua misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret.

Gal. 4.

**NON** ne homo simul ac lapsus est, statim liberatione indiguit, vt qui in mortem animi inciderit? Iam homini in vitæ discrimen adducto continuo sine illa interposita mora, auxilium ferendum est. Dicimus non defuisse homini in mortem animi lapsio, vlllo vnquam tempore auxilium, sed per omnē ætatem fuisse illi diuinitus subuentum, diuersis institutis sacramentis, quibus fidem venturi Christi testaretur, quæ ipsa venturi medici protestatio & expectatio, erat languenti & ægrotanti homini salutaris.

lege, vlt

**AC** de ijs quæ <sup>sacrosanctis</sup> sacramenti huius vnionis explicationi præponenda esse videbantur, hæc satis sit disseruisse.

lege sacrosanctis

C 3 PRÆ.

PRÆLECTIONVM SIVE ENARRATIO-  
num sacrosanctæ diuini Verbi incarnationis.  
Liber Secundus.



DE VNIONE VERBI SECVNDVM SE.  
Quæstio. I.

*Vtrum unio Verbi, et natura humana esse  
Et sit in natura?*



VERBI INCARNATI VNIO QVEM-  
admodum neque intelligentia comprehendit: ita neque  
verbis explicari potest. Quo effectum est vt multi in  
ipsius explicatione turpissimè lapsi sint: in quibus Eu-  
tyches sic esse effectam, ac conciliatam hanc vnionem  
existimauit: vt ex duabus naturis vna natura coaluerit:  
ac proinde Verbi incarnati vnio ad vnitatem naturæ desierit. Sed homo  
imperitissimus incidit in Syllam cupiens vitare charybdim: nam cum  
contenderet vnitatem hypostaticam in Domino IESV Christo conser-  
uare: naturarum confusionem inuexit, vsque adeo vt ex duabus natu-  
ris vnã confecerit: id quod consequens esse putauit hypostaticæ vnio-  
nis. Nam cum quæque natura peculiarem sibi vendicet hypostasim, nul-  
lo modo fieri posse putauit, vt duæ naturæ vna persona & hypostasi ri-  
terentur. Quocirca vt vnã in Christo personam tueretur, vnitatem na-  
turarum induxit, censuitq; ex duabus naturis ante assumptionem deiunctis,  
vnicam naturam post assumptionem esse conflata.

HÆC porro Eutychetis flagitiosa, & ab orthodoxa fide abhorrens sen-  
tentia, in sacra Chalcedon. Synodo explosa, ac refutata est: vera autem fidei  
sententia sic est à patribus diuini spiritus instinctu pronunciata. Cōfitemur  
nouissimis diebus vnigenitum Deifilium in duabus naturis inconfuse, im-  
mutabiliter, indiuisè & inseparabiliter agnoscendum, differentia naturarum  
per vnionem minime sublata.

APERTE orthodoxa patrum sententia docet duas illas naturas diuinam  
scilicet & humanam in Christo ita conuenisse, vt nullo pacto sint confuse,  
sed integræ, impermixtæ: deiunctæ siue secrete & distincte permāserint, & suas  
quæq;



quæque proprietates citra omnem confusionem tueretur, sic enim humana naturæ cum diuina coniunctio effecta est: vt non sit vtriusq; nature differentia sublata: ac proinde ex duabus naturis vna minime coaluerit.

**I**D verò in hunc modum ostendimus. Quatuor sunt vnionum siue coniunctionum genera. Primum genus est eorum quæ ita coniunguntur, vt vnum in alterius naturam: ac substantiam commutetur, id quod tunc fit vel maxime, cum vnum alteri aduersatur, quemadmodum aqua igni, vel vnum alterum vehementer exuperat: vt si aquæ guttula in vini dolium immitatur. Secundum genus est eorum quæ ita coniunguntur, vt mutuo immutata propter repugnantiam, in vnâ quandam tertiam naturam euadant: Hoc modo coeuntibus elementis: ac mutuo per repugnantiam immutatis, virium tamen contentione fere paribus, tertia quædam natura gignitur quæ dicitur, Mistum. Tertium vnionis genus in ijs cernitur, quæ ita coeunt & coniunguntur, vt ex illis vna aliqua natura & essentia conficiatur: Id quod oritur ex naturæ vtriusque dependentia: hoc modo ex forma, & materia: & omnino ex actu & potentia, vna quædam natura: & essentia existit. Quartum vnionis genus in ijs spectatur, quæ ipsa neque pugnant inter sese, neque ex se mutuo pendent: sed ita iunguntur, vt vnum altero nitatur, & sustentetur: cuiusmodi est vnio eorum quorum vnum in alterum inseritur, suam enim quodq; naturam conseruat ac proprietatem, vnum tamen alterius stipite fulcitur: ac continetur.

**V**NIO igitur hæc sacratissima, qua de agitur, tribus primis generibus minime continetur, quippe cum ea quæ coniunguntur, neque sint sibi mutuo contraria: neque ex se mutuo pendeant. Quia enim non sunt contraria, nequaquam mutua sese actione ita immutant, vt aut vnum in alterius naturam commutetur, aut in tertiam aliquam naturam vtraque euadant: Quæ vero ex se non pendent, ceu materia & forma, aut actus & potentia, vnâ essentiam minime conficiunt. Cæterum quia diuina natura humanam infinitis partibus exuperat, necesse est vt ipsam ad vnitatem pertrahat: non ad vnitatem naturæ, id siquidem fieri non potest nisi transmutatione conuersioneue, aut compositione, quæ cadere in diuinam naturam non possunt: diuina enim natura expers est ortus & interitus, ac proinde neque ipsa in alteram quampiam naturam, aut altera in ipsam commutari potest: neque cum realiqua ceu forma aut actus conglutinari ita potest, vt ex vtraque emergat vna aliqua essentia & natura: relinquatur igitur vt humana natura à diuina, ad vnitatem persone pertrahatur. Est igitur Ver-

bi incarnati vnio posita non in vnitate naturæ: sed in vnitate personæ: confitemur enim duas Christi naturas, vnica vero hypostasim. Hæc porro vnio persimilis est quarto vnionis generi: Namq; humana natura diuino stipite, hoc est, diuina Verbi hypostasi sustentatur: qua eadem diuina natura nititur.

**OBIICIT** nobis Eutyches. In Christo est vnitas personæ, est igitur vnitas naturæ: namque quæque natura peculiarem sibi vendicat hypostasim: quo efficitur, vt multitudo naturarum multitudinem hypostaseon requirat: quare cum Christi vnica asseratur hypostasis, relinquatur ipsius vnica asserendam esse naturam.

**AD** hæc nihil vnum esse dicitur ex duobus, nisi illa duo vnum conficiant:

Aug. de  
Trin. l. 13  
ca. 17.

At Christus vnum est quiddam ex duabus naturis: teste Aug. 13. de Trinitate libro. c. 17. quo loco ita ait. Sic Deo coniungi potuit humana natura vt ex duabus substatijs fieret vna persona: humana igitur natura & diuina in Christo in vnum coalescunt & coeunt: quæ admodum anima: & corpus in homine, quod ipsum testari videtur Athanasius, inquit: vt anima rationis particeps & caro vnus est homo, ita Deus & homo vnus est Christus: At homo est vnum quiddam ex duabus naturis in vnum coeuntibus conflatum: Christus igitur est vnus duabus naturis in vnã redactis: ac quasi inter se conciliatis.

Colof. 2.

**AD DE** quia humana natura diuinitati est coniuncta: Etenim authore D. Paulo, in Christo inhabitat plenitudo diuinitatis corporaliter, hæc vero inhabitatio ad vnionem pertinet: Est igitur diuinitas carni Christi coniuncta: ac proinde hæc summa coniunctio naturarum quædam est copulatio.

**HÆC** facile diluuntur. Nam quod primum nobis hæreticus obiecit, sic esse accipiendum putamus. Quæq; natura vendicat sibi peculiarem hypostasim: nisi assumatur ad esse alterius personæ, sic autem res hebet in reposita. Nam humana natura ad esse personale Verbi diuini assumpta est: Id quod est à nobis post explicandum.

**SECUNDVM** argumentum ita diluitur vt dicatur, Christum esse vnum ex duabus naturis nõ quidem compositione: ita. s. vt illud vnum sit ex vtraq; natura confectum: sed dicitur vnum ex duabus naturis per exigentiam, hoc est quia Christus effectus est duplicis naturæ: est enim duplici natura præditus: & in duabus naturis subsistens.

**EST** tamen hoc loco diligenter annotandum, non abnuere Eutychem Christum ex duabus esse naturis: non tamen dare Christum in duabus naturis

subsi-

subsistere, illud enim significat Christi personam esse ex duabus naturis in vnam essentiam coeuntibus compositam: hoc vero declarat duas naturas ita in Christo conuenisse, vt vtraq; citra cōfusionem Verbi hypostasi sustentetur. **QVOD** attinet ad tertium argumentum, concedimus humanam naturā esse cum diuina copulatam: negamus tamen vnitatem naturæ. Esse porro humanam naturam cum diuina coniunctam, hinc constat, quia natura humana in diuina persona Verbi existit, in qua eadem existit diuina natura. **QVO** efficitur vt quod diuine Verbi hypostasi coniungitur: coniungatur etiam naturæ. Ex quo iam intelligitur tam personam, quam naturam Verbi esse terminum vnionis, diuersa tamen ratione, nam Verbi persona vnionem per se ac primum terminat, vt quæ personaliter in humana natura subsistat: at natura & essentia Verbi per se illa quidem terminat vnionem, non primum tamen, sed quatenus personæ filij, per identitatem coniungitur, inq; ipsa existit. **Hæc** est orthodoxorum patrum sententia, ac Decretum.

## Quæstio. II.

*Verum diuina natura iungatur humane  
ceu actus et forma?*

**V**ERSATVR tamen in controuersia. Anne diuina Verbi natura sit cōiuncta humanitati Christi, vt forma interna cōmunicans ac largiens esse diuinum? Ioannes Ripa non vulgari eruditione, & ingenio Theologus, vt est apud Cap. affirmantem quæstionis partem multis argumentis tuetur. Principio ita argumētatur. De sentētia D. Pauli. In Christo inhabitat plenitudo diuinitatis corporaliter, hæc vero inhabitatio ad vnionem pertinet, est igitur diuinitatis plenitudo carni Christi, animo. s. & corpori per vnionem coniuncta. Hæc vero diuinitatis plenitudo essentiam declarat, qua distinguitur à persona: quæ ipsa essentia qua huiusmodi, est forma & natura. est igitur diuina essentia in esse formæ, & naturæ cōmunicata carni Christi: natura igitur diuina rei corporeæ potest esse forma.

**ITEM** diuina natura coniuncta est humanitati: & contra humanitas diuinitati: aut igitur in esse diuinitatis: aut solum in esse personæ: si prius illud datur, est igitur in esse formæ diuinitas humanitati coniuncta: sin posterius illud conceditur: igitur Christus non est homo Deus. Namq; huiusmodi vnio non valet efficere hominem Deum. Etenim vniri diuinitati in esse personæ præcise, non valet ad tribuendam alicui diuinitatis appellationem: Neq;

Cap. 3.  
sent. d. 5.  
q. 2.  
Colof. 2.

Verbum ipsum dicitur Deus per personalitatem praecise: sed per diuinam essentiam.

ADDE quia si esse Hypostaticum diuinum est cum re creata comunicabile: relinquitur vt esse essentiae & naturae sit comunicabile. Namq; esse personale minus videtur esse comunicabile: siquidem iuxta omnium sententiam persona sit incóunicabilis substantia: contra vero essentia, & natura comunicabile quiddam esse: quare si Hypostaticum esse potuit comunicari, non est, cur esse essentiae non possit comunicari.

ADhaec si huiusmodi comunicatio fieri non posset: hoc inde vel maxime proficisceretur: quia ad huiusmodi coniunctionem nulla esset in humana naturaabilitas: & aptitudo: Hinc tamen non proficiscitur, nam huiusmodi potentia est obedientialis, non naturalis: est igitur tota in efficientis vi ac potestate collocata, quemadmodum igitur vi diuina effectum est vt humana natura ad esse personale assumeretur: ita & eadem vi effici potuit, vt res creata ad esse diuinitatis traheretur.

ACCEDIT quia omnis rei creatae perfectio Deo tribuenda est, summe tamen & excellenter: pertinet autem ad perfectionem formae interno quodam influxu in rem cui coniungitur influere: influit autem quatenus tribuit essentiam, est igitur & hoc ipsum naturae diuinae formae alioqui praestantissimae tribuendum.

NOSTRA sententia huic est contraria. Etenim diuina natura nullo modo potest esse forma interna rei create, tribuens illi esse. Huic porro assertioni quo fidem faciamus: illud principio constitutum esse volumus inter esse inter formam secundum materiam acceptam, & inter formam acceptam in esse formae, id est, ea ratione qua forma est: Ac forma secundum materiam accepta, est illa natura: illaue entitas siue substantia, quae alioqui forma est. Forma vero formaliter accipitur cum id expenditur, quod ipsi conuenit ea ratione, qua est forma.

PORRO formae, qua forma est, quatuor potissimum de sententia Arist. conueniunt. scilicet species, entitas, vnitas, actuatio siue perfectio. Etenim forma ei rei cui coniungitur speciem largitur vt author est Arist. secundo Physiologiae libro, res enim naturalis, inquit, esse naturale consequitur ex forma & tale esse, humanum. scilicet & equinum ex tali forma: vnde & forma ab eodem quod dicitur, hoc est, species appellata est, ob id. scilicet, quia speciem materiae, atque adeo toti ipsi, quod ex coniunctione ipsius cum materia conficitur, largiatur. Esse vero, & esse vnum ex forma, forma inquam quae est altera rei compositae pars, proficisci tradit

Arist.

Arist. octauo primæ philosophiæ libro: quo loco inquit hoc inter esse inter substantias & naturas expertes materiæ & participes materiæ: quoniam illarum quæque ex se est ens & vnum: Neq; aliunde entitatem, vnitatem vè consequitur. At natura ex materia ac forma constans, aliunde esse, & vnitatem consequitur, ex eo videlicet quod materiam ad actum ex potestate traduxit: hoc ipsum interne quidem est forma, quæ ceu entitas & vnitatis materiæ adiungitur: externe vero est ipsum efficiens siue generans: & formam inducens.

Arist. 8.  
Met.

HINC vñ non obscure posse colligi, esse de Arist. sententia, principium internum indiuidui esse formam ipsam à qua res naturalis esse, & vnum esse consequitur, externum vero ipsum efficiens: in hac eadem sententia est Dur. 2. s. d. 3. q. 2.

Dur. 2. s.  
d. 3. q. 2.

AC formam rei cui adiungitur actum siue esse actu tribuere, ex eodem Arist. octauo Metaph. libro intelligitur. Ait enim, id quod est vnum, & id quod est, esse vnum, & idem: at forma largitur esse vnum, largitur igitur esse actu. Item eodem authore, forma largitur esse, at quodque eatenus est actu, quatenus est ens: forma igitur efficit, vt quodque sit actu. Hisce quatuor formæ proprietatibus adiunguntur etiam hæ, nempe esse partem, esse componibile cum altero, & tertium aliquid efficere, &c.

Arist. 8.  
Met.

HIS ita constitutis assertio aduersaria ita ostenditur. Forma sub esse formæ est pars cum re altera componibilis, & tertium aliquid efficit: hæc vero diuinæ nature nullo modo possunt conuenire: Etenim pars componibilis cum re altera, naturam declarat imperfectam: at diuina natura est perfectissima: nõ igitur potest esse pars alicuius ac proinde neque forma subesse formæ.

ITEM si diuina essentia adiungitur alicui ceu forma ipsius: necessario ex illa coniunctione efficitur vnum tertium: illa igitur tertia entitas, est ne Deus, an creatura? Si Deus componitur igitur Deus ex materia & forma, nempe ex diuina essentia: & creatura cui coniungitur Sin creatura, diuinum igitur esse formaliter conuenit creaturæ: namq; forma illi tribuit esse formaliter, cui adiungitur ceu forma: Hoc vero omnino fieri nequit, igitur, &c.

Porro esse impossibile vt diuinum esse conueniat creaturæ, vel hinc maxime intelligitur: quia diuinum esse illi soli conuenit quod est ipsum esse: & habet ex se esse: iam vero creatura neq; est ipsum esse: neq; habet ex se esse, &c.

AD hæc: creaturæ hoc ipso, quo creatura est, conuenit esse definitum quiddam & angustum: igitur si creatura ob id diuinum esse consequitur, quia diuinitas est ipsius forma interna: relinquatur, creaturæ conuenire esse finitum, & infinitum: id quod repugnat vehementissime.

AD.

*Arist. 2  
phy. c. 3.* ADDE quia princeps essendi causa non potest esse internum principium  
essendi, nam authore Arist. 1. Phy. c. 3. forma & efficiens non incidunt in idem  
numero, sed in idem vel genere vel specie: at Deus est princeps essendi causa:  
nempe qui omnibus esse impertiat, nulli igitur esse potest internum essendi  
principium ac proinde nullo modo est forma alicuius.

ADIUNGE his quia partes sunt potentia si cum toto conferantur, si igitur  
diuina essentia alicui ceu forma coniungitur: est igitur pars: ac proinde pote-  
state quodammodo.

*Arist. 8.  
Met.* AD extremum, vt placet Arist. 8. Met. c. vltimo: Totum est aliquid præter  
partes ex quibus constat: id igitur quod ex coniunctione diuinæ essentiae ceu  
formæ existit, non est Deus. Etenim pars altera est Deus. Hæc vero omnia cū  
sunt absurdissima: efficitur Ioannes Ripæi assertio esse longe absurdior.

QUOD igitur ad primum argumentum attinet, concedimus diuinitatis  
plenitudinem esse vnitam humanitati Christi, ipsamq; diuinitatis plenu-  
dinem ad essentiam, formamq; attinere, negamus tamen consecutionem: si-  
quidem ex re ac materia modus rei siue forma concludatur. Damus enim  
diuinitatem esse coniunctam naturæ humanæ secundum rem, ac substantiā:  
non tamen inde conficitur, esse eidem coniunctam in esse formæ actuantis ac  
perficientis. Neq; enim illud iam est necessarium, vt cum alicui rei forma cō-  
iungitur, eidem quatenus est forma, id est, in esse formali coniungatur. Ani-  
mus siquidem hominis forma est, qui idem multis accidentibus coniungitur,  
non tamen ea ratione qua est forma, sed ea ratione qua est materia. Item diui-  
na vita coniuncta erat Christi corpori animo destituto, non tamen ipsius in-  
teruentu Christi corpus viuebat, siquidem non erat Christi corpori coniun-  
cta ceu forma tribuens esse: Ad eundem modum, tametsi humanæ Christi  
naturæ, sit diuina essentia coniuncta: non tamen actum ipsi tribuit, ceu for-  
ma, ac per se primum.

HOC loco notandum est, id cui per se ac primum natura humana coniūgi-  
tur esse diuinam Verbi Hypostasim, quæ naturam humanam sustentat, quæ  
ve in ipsa subsistit: per se vero, non primum natura humana diuinæ coniun-  
gitur. Etenim ipsi coniungitur quatenus in eadem persona cernitur. Quia igi-  
tur hac summa & inexplicabili vnione effectum est, vt vna persona in dua-  
bus naturis, diuina. s. & humana subsisteret: duæ vero illæ naturæ integræ, &  
impermixtæ remanserint, idcirco Sancti patres confirmant, vnionem Verbi  
incarnati ad personam, non itidem ad naturam pertinere: nisi eo, quem nūc  
exposuimus, modo. Coeūt enim in vna, eademq; persona diuina & humana

natura

natura: & hoc solum ratione, citra omnē tamen confusionē coniūguntur. #  
 SECVNDVM argumentum variè explicatur. Est enim quatenus negamus naturam humanam esse coniunctam diuinæ naturæ in esse diuinitatis: & quatenus concedamus. Negamus quidem naturam humanam ita esse coniunctam diuinitati, vt diuinitatis coniunctæ interuentu actum perfectionem vè consequatur, efficiaturq; diuina essentialiter: aut diuinitas ipsa sit per se ac primum terminus vnionis: concedimus tamen humanā naturam esse coniunctam diuinitati: quatenus est idem re ipsa quod persona diuina: quæ in eadē Hypostasi ambæ naturæ conueniunt. Quia igitur in Deo non est aliud esse personæ & aliud esse diuinitatis, idq; si esse absolutum spectetur, concedimus naturam humanam esse Verbo Dei coniunctam: cum in esse personæ, tum in esse diuinitatis, quādā tamen consecutione. Cæterum si esse personæ referatur ad personam, esse vero diuinitatis referatur ad essentiam: concedimus vnionem esse effectam in persona, in diuinitate vero non item: eo. s. modo quo vna natura dicitur cum altera copulari, vel quia vna in alterā commutatur: vel quia vna alterā perficit, & informat. Neq; tamen illud proinde efficitur, quod vult esse consecutum. s. ex huiusmodi cum persona coniunctione, non euadere hominem ipsum, Deum. Existimat enim aduersarius hominem illum eo diuinitatē esse consecutum: quia humana natura diuinitate ceu forma actuetur, quemadmodū & anima eo dicitur prudens quia prudentia ceu forma perficiatur: quæ tamen existimatio ac suspicio à vero abest quā longissime, sed idcirco homo ille dicitur Deus quia Verbum diuinū in humana natura subsistit, estq; natura humana ad esse personale diuinum assumpta: quo effectum est, vt suppositum diuinum, sit etiam suppositū humanum & contra. #

TER TIVM porrò argumentum ita diluimus, vt dicamus esse personale diuinū esse aliud nihil, quam ipsam diuinę Hypostasis subsistentiā. Ex quo iam efficitur, vt esse personale diuinum cum natura humana cōmunicari: nihil sit aliud quam diuinam subsistentiā cum ipsa cōmunicari: non quidem hoc pacto quod humana natura, illa subsistentia formaliter subsistat, sitq; illa subsistentia actus humanæ naturæ: Nam subsistentia est actus suppositi subsistentis in natura: sed propterea diuini suppositi subsistentia dicitur esse cum humana natura cōmunicata: quia diuinum suppositū per esse subsistentiæ diuinum in ipsa subsistat. Non enim humana natura in Christo habet propriam, hoc est humanā subsistentiā sed coniungitur personæ ab æternitate subsistenti. #

QVARTO argumento facile occurritur. Nulla enim vi diuina effici potest  
 vt esse

vt esse diuinum cum re creata ita cōmunicetur, vt sit rei create forma, & actus, quemadmodū supra demonstrauius: Diuina tamen vis potest efficere, vt cōmunicetur cum creatura esse diuinum, eo quem de cuius modo, hoc est, vnione personali: quæ ipsa vnio in potestate duntaxat coniungentis & assumptis posita est.

QVINTI argumenti facilis etiam est explicatio. Nam cum illa formæ perfectione summa est imperfectio coniuncta. s. esse partem, esse cum re componibilem: quæ ipsa naturam imperfectam, & certis essentiæ limitibus definitam declarant. Hæc autem omnia nullo modo in diuinam naturam cadunt: quæ est ipsum esse.

### Quæstio. III.

*Vtrum forma sic possit esse actus alicuius et illud non informet, aut quiddam tertium cum eo non conficiat?*

¶ QVONIAM verò Ripeus hic existimat diuinam naturam esse illam quidem posse actum, ac perfectionem rei create, non tamen aut rem creatam formare, aut quædam sui cum illa coniunctione tertiam aliquam naturam conficere. Diluenda nobis sunt illa argumenta quibus efficere contendit, formam posse esse actum, siue actum rei alteri largiri: cum interim non informet, aut quiddam aliud constituat.

ARGUMENTATVR autem in hunc modum: Forma & cum materia, & cum re ex vtraq; natura composita confecta; cōmunicatur: At cōmunicatio formæ cum materia differt à cōmunicatione eiusdem formæ cum re composita, amota igitur formæ cum materia cōmunicatione, reliqua est formæ cum re composita cōmunicatio, potest igitur forma actum alicui tribuere: cū interim materiam non formet, & perficiat. Consecutio firma est: nam quæ differunt, seiungi ac secerni mutuo, quoad existentiam possunt. Reliqua est assumptionis approbatio. Namq; forma est causa, vt dicitur, formalis rei compositæ: aut igitur ob id, quia est actus materiæ, aut rei compositæ, prius illud minime asserendū est: est igitur hoc posterius confirmandū.

AC prius illud nullo esse modo asserendū, hinc liquet: nam prius natura forma in materiam inducitur ipsamq; perficit, quam ex ipsius cum materia cōiunctione, res quæ dicitur composita efficiatur: fieri igitur potest vt materia formæ sit particeps cum interim cum re composita non cōmunicetur, non proinde igitur forma est causa rei compositæ, quia est actus materiæ. Antecedens vero illud ita ostenditur: causa rem effectam natura antecedit: At forma est



est causa rei compositæ, causa inquâ formalis: prius igitur de materiæ potestate producitur, quâ res composita existat: prius igitur natura est actus materiæ quam rei compositæ.

**ACCEDIT** quia quando aliqua forma est actus duorum ordine quodam: nihil est incômodi cômunicari ipsam formam cum priore: cum interim cû posteriore non cômunicetur: at forma est actus materiæ, & rei compositæ ordine quodam: nihil est igitur incômodi formam cum materia cômunicari, cum interim cum re composita minime cômunicetur. Hinc colligit Ripæus formam largiri actum rei alteri posse, cum interim ex sua cum re illa cōglutinatione, natura aliqua tertia minime existat.

**ITEM** prius illud nullo modo esse dandum hoc etiam argumento cōfirmat. Nam tum forma non esset causa formalis materiæ: sed formam materiam informare: id quod tamen falsum est: nam ad eundem modum diceretur, efficiens ipsum absolute, non esse causam effectricem rei effectæ: sed efficiens ipsum, efficere.

**HÆC** facillime explicantur. Ac principio assumptioni minime assentimur: nam vtraq; illa cômunicatio, vna & eadem re ipsa est, est tamen differens ratione, siue vt vulgo dicitur habitudine. Etenim forma refertur ad materiã vt actus ad potentiam, & perficiens ad id quod perficit: ad rem vero compositã refertur, vt pars ad totum, cuius essentiam complet: sed esto vtraq; cômunicatio differat re ipsa, non tamen inde efficitur posse vnam ab altera ita seiungi vt vna existente, altera non existat: Nam hæc mutua secretio atq; deiunctio in ea solum cadit, quorum vnum ex altero non pendet: iam vero cômunicatio formæ cû re cōposita consequens est cômunicationis eiusdẽ formæ cû materia. Namq; res cōposita euadit ex copulatione formæ cû materia.

**CVM** autem subinde quæritur. Anne forma sit causa rei cōpositæ, eo quia est actus materiæ, aut rei cōpositæ? Respondemus propterea formã esse causam rei cōpositæ quia materiæ coniungitur: Namq; prius natura cû materia coniungitur: quam sit forma actus rei cōpositæ: non tamen inde sequitur, posse vnam sine altero existeri, id est, posse cômunicari formã cum materia: cum interim compositũ non existat: partim quia cômunicari formã cû materia, & fieri rem compositã sunt vnum & idem: Arist. authore. 7. Meta. vel se se indiuidue consequuntur: Partim quia ex rei prioritate illa quæ in efficiendo cernitur, non efficitur illud prius genus, quod essendo minime reciprocatur: vt enim homo sit causa facultatis ad ridendum: non tamen existere potest homo expers illius facultatis. Ad eundem etiam modum forma ma-

Arist. 7.  
Met.

*uicioris*

teriæ

rerix coniuncta non potest citra rem compositam existere: sed statim ac vnū est, & alterum: vis tamen intelligendi nostra potest vnum ab altero seiuungere, siquidem vnum natura alterū antecedit.

HINC iam patet posterioris confirmationis dilutio: nam id quod principio sumitur in ea solum cadit, quæ essendo minime recipiuntur: non tamen in ea quæ prioris & posterioris ordine, qui cernitur in causa & effectu, sunt inter sese affecta.

EXTREMVM vero illud ita explicamus: vt dicamus, formam esse causam rei compositæ, <sup>qua</sup> quæ iungitur natura <sup>materia</sup> actu: namq; tum euadit res composita cum forma cum materia coniungitur: consimili etiam ratione id quod agit est causa rei effectæ quatenus subest actioni. Hæc habuimus quæ de re proposita diceremus: iam institutæ de Verbi vnione, disputationē persequamur.

### Quæstio. III.

*Anne in Christo sit vnitas persona, contra quod sensit impius Nestorius?*

**A**Dhuc exposuimus incomprehensibilem Verbi Dei vnionem non esse positam in vnitate nature: quemadmodū Eutyches falso opinatus est: sed in vnitate personæ. Cōtra quod tamen Heresiarcha Nestorius sensit: Quo circa conferenda iam nobis cum ipso manus est: eiusq; flagitiosa sententia refellenda: si prius tamen argumenta exposuerimus, quibus ille adductus est vt putaret, ex duabus Christi personis, quæ admodū ex duabus naturis cōstare. Argumentabatur itaq; Nestorius hoc pacto. Quæq; natura in propria inest Hypostasi: non enim natura per se existit: in Christo sunt duæ naturæ: duæ igitur hypostases, dignitatis, & authoritatis vnitate coniunctæ.

ITEM Christus est Deus & homo non confusione quadam: neq; enim cōfundi possunt diuinum & humanum esse, est igitur secrete Deus & homo, sed Deus diuinam significat personam, homo vero humanam: ex duabus igitur Christi personis, quemadmodū ex duabus naturis constat.

ADDE quia diuinæ personæ æternæ, immensæ, immortalis, ac simpliciter pugnat virgineo utero includi, virginis partu temporario edi, corporeā molem gestare, in crucem tolli, ad extremum mortem perferre: hæc inquit, Deo minime conueniunt, tribuuntur autem hæc Christo, nihil est igitur dubij quin homini coniuncto cōueniant.

QVO circa impius Nestorius assererat non esse Deum ex virgine natum, neq;

neque esse Mariam appellandam, θεοτόκον, sed χειροτόκον, idest, non esse virginem Mariam appellandam dei param, seu genitricem Dei, sed Christi param, siue Christi genitricem. Historia tripartita refert Nestorium dicere solitum: Noli gloriari ò Iudæ: non crucifixisti Deum. Item illud aduersus sanctissimum Alexandræ sedis antistitem Cyrillum, à quo acerrime oppugnabatur, per impudentiam, arrogantiam, ac præfidentiam, iactabat: Cum plurimi Deum confiteantur IESVM: ego bimbrem aut trimembrem nequaquam Deum confiteor. Hæc porrò futillis, & infirma Nestorij argumentatio, non mediocrem, vt refert Cassiodorus, tumultum orbi excitauit: estque proinde turpissimus Nestorius sanctissimæ Synodi Ephesinæ decreto damnatus: & excoetu episcoporum explosus.

NOS vero in hoc cum Nestorio congressu tria, iuuante Christo, præstabimus: principio horum vocabulorum, nature videlicet, suppositi: hypostasis: personæ & indiuidui, potestatem variam: ac multiplicem explanabimus. Deinde cum ipso Hæresiarcha disputando congreuiemur, ipsiusq; sententiam oppugnabimus: ad extremum tela repellemus ea, quæ in orthodoxos patres coniecit.

NATURÆ verbum, græce φύσις, variè apud philosophos accipitur: sumitur enim & generatim: & speciatim: ac generatim quidem sic accipitur nomen nature, vt idem valeat quod ens: siue essentia: ac nature nomine ipsum esse siue ens, græce οὐ καὶ εἶναι, declaretur. Hinc effectum est, vt cum aliquid significare volumus in ijs esse quæ sunt, dicamus illud esse in natura rerum. Quod ipsum Quintilianus dicit, in naturam rerum cadere, idest, in ijs quæ sunt haberi. Hoc ipsum tamen Arist. verbo nature non exprimit, sed verbo essentia. Ait enim: ἀπὸ τοῦ ὅτι οὐκ εἶναι, idest, corpus infinitum non esse. Hoc modo naturā accepit D.P. Aug. cū in eo quem de moribus Manichæorum scripsit libro, nature vim sic explanādā putauit: Natura nihil est aliud, quam quod intelligitur in suo genere aliquid esse: qua diffinitione declarauit August. nature vocabulum latissimè patere: & quicquid in quoque genere est, hoc nomine declarari. Huic Augustini definitioni consentanea est, & illa quam tradidit Boetius Seuerinus, in eo quem de du-

August.  
de moria  
bus Ma-  
ni. li. 2.

Boetius

abus naturis: & vna persona Christi conscripsit, libello: ea porrò definitio est huiusmodi. Natura est earum rerum, quæ cum sint, quoquomodo intellectu capi possunt: Hoc loco capitur natura pro essentia: quæ ipsa cuique rei quæ est, siue sit substantia, siue accidens, conuenit: ducitur

D enim

Cice. de  
Nat. de-  
orum.

enim essentia ab esse: quocirca res quæque dici essentia non incommode potest: itemq; natura, hinc illa Cicer. orō profluxit. Natura ignis, & ea ipsa tota feruida est & cæteris naturis vitalem impertit calorem. i. cæteris substantijs: quæ græcè dicuntur οὐσίαι. Cæterum quoniam id quod proprie est, est οὐσία, latine substantia: accidentia enim eatenus sunt, quatenus in substantijs hærent, proinde naturæ & essentiæ nomen, substantijs tribuitur.

Aug. de  
ciuit. dei  
li. 12. c. 2.

Notandum est tamen hoc loco diligenter, non suppetere linguæ latinæ vocabolum, quo οὐσία exprimat. Nam verbum substantia, quo latini vtuntur, nequaquam idem valet, quod οὐσία, sed ipsum quod hypostasis declarat. Latini tamen scriptores, essentiæ nomine id significatum esse voluerunt, quod græco vocabulo, οὐσίας exprimitur. Quod tamen verbum ab ijs qui latinæ linguæ parentes, & principes extiterunt, nusquam esse vsurpatum annotauit Aug. 12. de ciuit. Dei, inquiens hoc pacto. Sicut ab eo quod est sapere vocatur sapientia: ita ab eo quod est esse, vocatur essentia: nouo quidem nomine, quo vsi veteres non sunt latini sermonis auctores: sed iam nostris temporibus recepto: ne deesset etiam linguæ nostræ quod græci appellant. οὐσίαν

Quinti-  
lianus in  
stitutio-  
num. li. 3

Fabius tamen Quintilianus obseruauit. Platū siue Flauū, οὐσίαν, essentiam vocasse, neq; esse eius aliud nomen latinum: quod ipsum verbum est è verbo expressum. Quemadmodum enim οὐσία, dicitur, ἀπὸ τῆς οὐσίας: καὶ τῆς εἶναι ita essentia, ab esse proficiscitur. Dici etiam potest οὐσία, quasi οὐσα, id est, res existens. Cicero ab essentiæ vocabulo abhorruit, ac proinde οὐσίαν, naturā vertit: id quod facile ex eo intelligitur, quod ait in libro de finibus. Quinta illa non nominata magis, quam nō intellecta natura: celestem videlicet naturam significat: quam Arist. πέμπτην οὐσίαν, nostri vero quintam essentiam, verbum è verbo exprimentes, nominant.

Cice. de  
finib.

**QVONIAM** vero nomen naturæ: & essentiæ substantijs primum tribuitur, proinde D. Hilarius in libro de Synodis, essentiam quæ græcè dicitur οὐσία sic definiendam putauit: Essentia est res quæ est: vel ex quibus est: & quæ in eo quod maneat subsistit. Dici autem essentia: & natura & genus: ac substantia vnius cuiusque rei poterit. Proprie autem essentia idcirco est dicta, quia semper est: quæ idcirco etiam substantia est: quia res quæ est necesse est vt subsistat in sese. Quicquid autem subsistat, sine dubio in genere, vel in natura: vel in substantia maneat: cū ergo essentiā dicimus significare

Hilarius  
de Syno.  
c. 2.Boetius  
de dua-  
bus natu-  
ris & v-  
naperfo.  
Christi.

naturā, vel genus, vel substantiā intelligimus eius rei, quæ in ijs oibus semper esse subsistat. Ni fallor, Hilarius hoc loco definit rei cuiusq; nām: & vt trito vtar vocabulo, quiditatē. Naturā porro sic acceptā Boetius ita definit, nām est quæq; rem

rem informans specifica differentia: Etenim specifica differentia essentiam rei cuiusq; , & naturam complet: ita fit vt quod definitione explicatur, natura non incommode dicatur: quod ipsum à Cicerone, natura, vis, ac potestas nuncupatur. In libro siquidem de oratore ita inquit: præcepit ratio atq; doctrina, vt viseius rei quam definias sic exprimatur, vt neq; absit quiquâ neq; superfit. De orat. eloquentiæ vim ac naturam explicemus: Hoc vero significatum naturæ quarto loco numeratur ab Arist. Quinto Metaphy. cum multiplicem vim huius nominis, natura, explanat, & in primum significatum substantiæ incurrit positum ab Arist. 7. Metaphy. Nomine igitur naturæ, non solum quod est: verum etiam, quid quicq; sit exprimitur, quod ipsum esse rei siue essentia à nostris, ab Ar. vero τὸ οὐδὲν εἶναι, appellatur. Finitima est huic significationi naturæ & illa, quæ est in vsu apud philosophos, vt. s. rei cuiusq; vis: & proprietas, natura appelletur, hæc siquidem essentiæ, quæ ad speciem pertinet, est consequens. Hoc modo verbum natura est à Cicerone vsurpatum quinto de finibus libro, cum inquit, Aristotelem animantium ortus, victus: & figuras: Theophrastum vero stirpium naturas esse persecutum. Item sua cuiusq; animantis natura est: diuersæq; sunt naturæ, idest, ingenia: & propensiones speciem consequentes. Indoles etiam cuiusq; & ingenium, quod ipsum per uulgato vocabulo, inclinatio dicitur, naturæ nomine exprimitur. Cic. ad Att. occultæ hominum voluntates multiplicesq; naturæ. i. ingenia: & vt vulgo dicitur, inclinationes. De clar. or. naturam habuit admirabilem ad dicendum. Pro Arch. homo sine doctrina, naturæ habitum moderatus. Ac natura latius tot modis accipitur.

Cicero  
de orat.Arist. 5.  
Metaph.  
ca. 4.Cice. de  
Fin. li. 5.Cice. ad  
Att.Cice. de  
clar. oraj

NATURA vero pressius, & speciatim sumpta ijs duntaxat rebus tribuitur quæ sunt in motu, quæ sub ortum cadunt: naturæ siquidem nomen, vt tradit Ar. Quinto primæ Philosophiæ libro, à nascendo ducitur. Quocirca verbo naturæ principio declaratur rei cuiusq; ortus: siue natiuitas: deinde ortus efficiens causa: quæ eadē, sagax, solers, prouida, & artificiosa: itemq; rerū omniū m̄r: ac parēs à Cicerone varijs in locis appellatur. Hæc quidā, eodē authore. 2. de natura Deorum libro, ita definiūt, vt eam esse censeāt, vim quandā rationis participem atq; ordinis tanquā via ad efficiendū progredientē: cuius solertiā nulla ars, nulla manus: nemo opifex consequi possit imitādo. Proxima est huic definitioni, posita à Seneca. 4. de benef. libro Definitio, quæ habet in hunc modū: Quid aliud est natura quam Deus: & diuina ratio, toti mundo: & partibus eius inserta: Hæc tamen definitiones principi naturæ, & sumæ, quæ est rerū omniū effectrix & opifex conueniūt, quam vulgus Philosophorū naturam naturantē appellat:

D hæc

hec siquidem summo artificio rerum omnium naturas fabricatur: ac rebus omnibus essentiam impertit.

**NATVRÆ** etiam nomen accommodatur particulari cuiusq; rei effectrici causæ: quam eandem particularem naturam puto illa nature definitione explicari, quam nobis Cicero tradidit.

**NATVRA** est vis quedam insita rebus ex similibus similia procreans. Vis illa insita posita est in forma specie tribuente, cuius interuentu generas ipsum, rem secum forma, & specie consentientem gignit. Id vero quod ab vtraq; natura: tam summa illa, & vniuersa: quam infima quaq; & particulari gignitur ac procreatur, opus nature dicitur: quod ipsum contuentes in opificis nature admirationem vel nolentes rapit.

**TERTIO** vero loco, nomen nature accommodatur significando principio interno motionis: quomodo ab Arist. Natura definitur, secundo physiologiae libro. Quam eandem definitionem Cicero in secundo de natura Deorum ita è græco in latinum conuertit: Natura est vis quedam siue ratio, cogens motus in corporibus necessario. Hoc porro principium duplex est, effectiuum vñ, capax motionis & perceptiuum alterum: illud forma, hoc materia dicitur. **AD** extremum nature verbum ad significandum illud membrum traducitur, in quo vis ad generandum inest. Pli. si quadru pedes fetum non admittat, vrtica naturam fricandam monstrat. In hac vero de verbo incarnato disputatione, natura capitur pro essentia, in qua species sita est.

**SEQVITVR** vt vim nominis, Hypostaseos explicemus. Verbum Hypostasis, ductum & ortum est, à τὸ τοῦ ὑφίσταμαι, siue ὑφίστημι: quod ipsum significat & subsistere, siue existere & in rerum naturam ediatq; produci: & substare:

subsistere, & substerri. Posterioris significationis est hoc apud Arist. in problematibus exemplum; αἰ μάλισα ὑφίσταται τὸ παχύτατον καὶ βαρύτερον, εὐκρηνέται δὲ τὸ κοῦφον, id quod crassius ac grauius est, semper subsidet: quod vero leuius est, excernitur. Prioris vero significationis multus ac creber vsus est apud

philosophos, Porphyrus in institutionibus: περὶ γενῶν τε καὶ ειδῶν τὸ μεν εἶτε ὑφίσταται, id est, vtrum genera & species subsistant: siue in re sint posita ac natura: an contra animi informatione consentiant duntaxat. Hinc effectum est vt nomen Hypostasis significet & sedimentum: idq; quod subsidet: & rei statum, siue existentiam. Vtriusq; significationis vsus est apud Arist. & ceteros philosophos.

**QVONIAM** vero nomen hypostasis significat existentiam: et sedimentum proinde à Theologis græcis translatum est ad significandam naturam subsistentem, et cæteris subiectam, quæ ipsa est natura singularis: hæc siquidem existit

existit solum, quicquid enim existit, singulare est, et vnum quiddam: ac præterea cæterorum omnium, tam quæ ad essentiam attinent: quàm quæ fortuito cõueniunt, attributionem suscipit. Ita fit, vt hypostasis sit natura: siue essentia subsistens: cuiusmodi est indiuiduũ generis substantiæ: accõmodatumq; proinde est hoc nomen ad declarandas augustissimas sacre Trinitatis personas. Hinc illud Dionysij ἐνάστα τριώνος σαφ. i. vnitatem in Trinitate personarum: estq; apud græcos Theologos hoc nomen frequentius in vsu, cũ de proprietatibus personalibus sacro sancte Trinitatis loquũtur, quam nomen personæ, tametsi vtroq; vtatur. Notandum est hoc loco, quoniam hypostasim, latine interpretari licet, si verbum verbo reddatur, subsistentiam siue substantiam: cæterum quoniam substantiæ nomen tritum est apud Latinos pro essentia, proinde abstinendũ putat Aug. Quinto de Trinitate libro .c. 8. nomine substantiæ, cum ineffabilem diuinarum personarum Trinitatem significare volumus. Inquit, essentiam dico, quæ ἔσσις græce dicitur: quam vsitatius substantiam vocamus. Dicunt quidem & illi hypostasim: sed nescio quid interesse volunt, inter ἔσσις καὶ ὑπόστασις, ita vt pleriq; nostrũ qui hæc græco tractauerunt e loquio dicere consueuerint μίαν ἔσσις τρεῖς ὑπόστασις, quod est latine, vnã essentiam: treis substantias, sed quia nostra loquendi cõsuetudo iam obtinuit, vt hoc intelligatur cum dicimus essentiam, quod intelligitur cum dicimus substantiam, non audemus dicere vnã essentiam, treis substantias: sed vnã essentiam: & vnã substantiã. Quocirca D. Hieronymus ait, in verbo substantiæ venenum esse inclusum.

I. Ioñis,  
ca. 4.

**SVPPOSITVM** verbum est latinum: à Theologis latinis fictum, ad declarandam naturam per se subsistentem in genere substantiæ repositam: idemq; valet apud Latinos, quod hypostasis apud græcos. Dicitur autem suppositum quasi ὑποκειμένον, eo scilicet quia omnibus attributis tam essentiam declarantibus: quam extra essentiam rei positis, subiiciatur. Ab Arist. vero dicitur prima substantia.

**INDIVIDVVM**, græcè ἄτομον, significat rem in quoq; genere singularem: quæ propterea dicitur indiuiduum quia tribui in partes, quæ ipsius attributionem recipiant, non potest: quia re ab specie ac genere seiungitur. Hæc si quidem dicuntur in multis. Quare indiuiduum ita à Porphyrio definitur, vt id esse dicatur quod de vno solo predicatur. Arist. vero, indiuiduam naturam illam esse censet, quæ in nullo dicitur. Nam idem sibi ipsi minus aptè: & ad rationem accõmodatè attribuitur.

**RELIQVA** est nominis personæ explicatio. Persona, græce προσώπον, signi-

ficat laruam, qua faciem obtegunt ij, qui in comedijs viros alteros, voce, vultu, & gestu referunt. Quocirca personati dicuntur illi, qui huiusmodi laruis facies contegunt Scenicæ actionis exhibendæ gratia: & personata fabula dicitur, quæ à personatis histrionibus agitur. Ducitur autem persona à personado: quâdoquidem efficiat cavitatem eius partis, qua via quædam patet ad os, ut vox clarior magisq; sonora edatur: Etenim vox in vnum quasi exitum compulsâ, & a sui diffusionem prohibita, vehementius personat. Quoniam vero personis tecti histriones singularem aliquem hominem in comedijs referebant, & exprimebant, ut Achilem, Aiace: hinc effectum est, ut Boetius annotavit, ut nomen personæ à Philosophis & Theologis translaturum sit ad significandam substantiam singularem: & indiuiduam rationis participem. Quocirca seruerinus Boetius superiori loco, personam ita definit, ut illam esse dicat, naturæ eius quæ rationis est particeps, singularem & indiuiduam substantiam. Ex qua definitione intelligitur: tria requiri in ratione personæ, & quod contineatur genere substantiæ: nam accidentia personam efficere non possunt: & quia per se non existant, & quia per se non agant, & quod natura sit rationis & intelligentiæ particeps: nam personati, res huiusmodi exprimunt, effinguntq; duntaxat. Adde quia solum naturæ intelligenti illud conuenit, ut possit agere, vel non agere. Non dicitur igitur bouis: aut equi persona, sed Ioannis, aut Pauli. Ad extremum illud requiritur ut sit indiuidua substantia. Nam per se existere, in solam cadit substantiam singularem. Quoniam igitur personæ vocabulo, indiuidua substantia particeps rationis declaratur, hinc fit ut personæ nomen ad significandam illam qualitatem traducatur: qua res vna singularis ab alia secernitur siue sit illa qualitas animi, siue corporis, siue ad externa ac fortuita bona pertineat. Hoc modo dicere consueuimus sapientis, moderati, iracundi, seueri, & intemperantis personam: item senis: aut adolescentis, diuitis, consulis, regisque, possuntq; in vno eodemq; homine multæ personæ inesse: quemadmodum multæ personales proprietates. Hoc tertio modo frequens est vsus nominis personæ apud Ciceronem. Qui philosophiâ inquit, profitetur grauissimâ sustinet personam. Item vnus treis personas sustineo: meam, aduersarij, iudicis: item is abiicit quæstoriâ personam comitisq; sumpsit: item non capiunt angustia pectoris tui tantam personam: tam grauem, tam seueram. i. personâ consulis. Item ego has partes lenitatis & misericordiæ semper regi libenter, illam vero grauitatis, & seueritatis personam non appetiui: sed à rep. mihi impositâ sustinui. His omnibus locis verbû persona ad personale qualitatem refertur: vnde

& apud

Boet. in  
li. de dua  
bus natu  
ris & v-  
na perso.  
Christi.

Cice.



& apud rhetores dicuntur attributa personæ.  
 PERSONA significatius à græcis dicitur  $\pi\rho\sigma\omega\tau\omega\theta$ , quasi,  $\pi\rho\sigma\tau\omega\theta$  τὸ ἐμνοῦ. i.  
 ante oculos faciemq; oppositum.

EX posuimus horum vocabulorum vim: reliquum est, vt doceamus, quo pacto inter se sunt affecta. Hæc igitur quatuor. indiuiduum: suppositum: hypostasis, persona, eandem rem numero declarant, hoc est, naturam singularē: differunt tamen vniuersalioris & particularioris ratione. Namq; indiuiduū latius patet, quam suppositū, hypostasis, & persona, significat enim rem quāuis singularem, siue genere substantiæ, siue accidentium contineatur, siue per se seorsum existat: siue non existat, sed alteri adiungatur, in alteroue insit perfectiori, vt pars in toto: & hæc humanitas in Verbo.

CÆTERA vero tria vocabula; rebus singulis attribuuntur ijs, quæ ad genus substantiæ referuntur: & hoc vno consentiunt: dissident tamen vniuersalioris: & particularioris ratione. Etenim suppositū vniuersalius quiddam est, quā hypostasis aut persona. Namq; suppositū substantiā significat indiuuā, completam subsistentem & incōmunicabilē, quo efficitur, vt accidēs non sit suppositū, non enim est substantia, item species siue natura nō sit suppositū, siquidē non sit indiuidua substantia, pars itidem non est suppositū: nempe quia sit substantia incōpleta, humana Christinatura, itemq; diuina non est suppositum, illa enim non subsistit. i. per se seiunctim nō existit: hæc vero est cum tribus personis cōmunicabilis, vt sit indiuidua, & subsistens. Quod vero ad hypostasim, & personam attinet, Boetij seuerini sentētia est, hæc sese mutuo æquare interq; sese recipiari, vt scilicet hypostasis nihil sit aliud: quam naturæ eius quæ rationis est particeps, singularis & indiuidua substantia. Sed iam ipsius verba in medium proferamus. Longe vero illi significantius rationabilis naturæ indiuiduam substantiam: hypostaseos nomine vocauere: Nos vero per inopiam significantium vocum translaticiam retinuimus.

Significationem, eam quam illi  $\pi\rho\sigma\omega\tau\omega\theta$ , dicunt, personam vocantes. Ideo autem hypostases græci indiuiduas substantias vocauerunt, quoniam cæteris subsunt: & quibusdam quasi accidentibus suppositæ subiecteq; sunt. Hanc porrò Boetij sententiam illud vel maxime confirmat: quia græci Theologi nulli alteri indiuiduæ substantiæ declarandæ verbū hypostaseos accōmodāt, quam singulari substantiæ ei, quæ mentis est particeps. Nobis tamen placet, verbum hypostaseos apud græcos idem declarare, quod suppositum apud latinos: ac proinde patere dicendo latius quam personam. Dici igitur potest suppositum: & hypostasis equi vel lapidis: persona non item.

Boetius  
 de dua-  
 bus natu-  
 ris & v-  
 na perso-  
 Christi.

#

ESSENTIA vero & natura ab his omnibus hoc vel maximè discrimine fecernitur, quoniam hypostasis per se subsistit, essentia vero & natura in hypostasi: essentia cōmune quiddam est: & cum multis cōmunicabile: hypostasis vero est indiuidua natura in cōmunicabilis. An vero reapse natura differat à supposito qui cum cōmunicatur, post expendemus. Est igitur hic homo essentia, indiuiduum, suppositum, hypostasis, persona. Essentia quoniam est, nam id quod vere est sola substantia est, indiuiduum, quoniam de nullo dicitur: hypostasis, quoniam nullo nititur: sed per se existens cæteris subsistentiam subministrat: suppositum, quoniam omnibus attributis subest, persona, quoniam est rationalis naturæ indiuidua substantia. Adhuc nominum rationes exposuimus: reliqua est cum Nestorio congressio.

Boetij  
cū Nesto-  
rio con-  
gressio.

D. Boetius seuerinus in eo cuius iam supra mentionem fecimus libro, hisce argumentis cum Nestorio confligit. Principio ita argumentatur. Si Christus est, vnus est, esse enim & vnum recipiuntur: at Christum esse confitemur, vnus igitur Christus est, ac proinde vnam esse personam Christi necesse est: nā si duæ personæ essent, vnus esse Christus non posset.

ITEM ex duabus personis, nihil effici vnum potest: nihil igitur vnum iuxta Nestoriū Christus est: at quod vnū non est, nihil est, nihil igitur est Christus. PRÆTEREA incarnatione Verbi Dei (vtamur enim Verbo in scholis trito) nihil magni nihilq; noui iuxta Nestorij sententiam est effectum: siquidē suam quæq; natura seruat hypostasim ac personam: iam vero vniuersa incarnationis admirabilitas in eo posita est: quia duæ naturæ tam inter se differentes, ita fuerint coniunctæ, vt in vna coiuerint, ac conspirauerint Dei Verbi hypostasi, atq; persona.

ACCEDIT quia si diuersissimis naturis, diuersæ sunt quoque subiecte personæ, nulla igitur fuit naturarum: nulla Verbi Dei cum humana natura cōiunctio, quemadmodū neq; in quouis homine vlla est diuinitatis cum humana natura coniunctio: siquidem humana natura in propria persona subsistat. Itaq; tollitur Verbi Dei incarnatio, neq; enim fieri potest, vt personis manentibus fuerit humana natura à Dei Verbo assumpta.

ADDE quia si eius generis est hæc coniunctio: non igitur Christus hominū genus liberauit seruauiq; eundem quippè saluum esse voluit, quem creditur assumpsisse: nulla vero esse assumptio potuit, si in sua quæq; persona natura subsistit, non igitur à Christo hominum est redempta ac liberata natura: id quod putare nefas est.

AD hæc si ex duabus personis Christus constat, non igitur Christus vnus est: sed

sed duo sunt Christi, vnus homo, Deus alter, id quod cum sanctis literis minime congruit: Nunquam enim Christi nomen per multitudinem in sanctis literis effertur: cum de Christo messia sermo habetur. Hisce Boetius argumentis Nestorium ceu telis quibusdam confodit: quibus insignis impudentiae ac temeritatis hominem multis, ijsq; absurdissimis incommodis, cofecit.

SED iam ex diuinarum literarum quadam quasi pharetra sagittas depro-  
mamus quas in ipsum conijciamus: Hæc enim eius suspicio cum sacris literis pugnat apertissimè. Ac vnum eundemq; esse filium virginis: & filiū Dei, Angelus è coelo ad Mariam demissus apertissimè declarauit cum dixit virginem allocutus. Quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei. His  
verbis duplicem Christi naturam in eadem hypostasi expressit: Nam cum ait nascetur ex te, naturam nobis significauit humanam: cuius interuentu Christus ex virgine generatus editusq; est: cum vero adiunxit, vocabitur filius Dei, naturam diuinam declarauit, cuius interuentu Christus sempiterni patris est filius: cum vero illud idem quod erat virgineo utero concipiendum, & virginis partu edendum, appellandum esse dixit filium Dei, vnicam Dei & hominis personam & hypostasim declarauit, in qua duæ illæ naturæ admirabiliter conuenerunt. Vnus igitur & idem est filius Dei: & filius virginis: estq; proinde virgo Maria θεοτοκος .i. Dei genitrix ac Dei para.

Luc. 2.

HOC ipsum multo nobis apertius declarauit: & vehementius confirmauit Isabella vxor Zachariæ: & Ioannis Baptistæ mī, quæ a virgine officiosissime salutata, voce sublata exclamauit inquit, vnde hoc mihi vt veniat mater domini mei ad me. Viri sancti & pii apud Hebræos, nullum alium consueuerunt appellare dominum suum, nisi solum Deum: atqui Elisabeta virginem appellat matrem domini sui: Matrem igitur ipsam Dei sui nominat. Quid apertius contra Nestorium dici, aut ad coarguendum ipsius errorem aptius afferri potuit?

Luc. 3.

DE etiam Paulus multis locis, luce clarius testatur, vnum & eundem esse filium Dei: & filium hominis. Scribens Romanis ait. Segregatus in Euangelium Dei, quod antepromiserat, &c. de filio suo qui factus est ei ex femine Dauid secundum carnem. Duplicem Christinaturam hoc loco Paulus expressit, diuinam scilicet & humanam, æternam illam, quam accepit ex patre, temporariam hanc, quam ex Dauidica stirpe traxit: & vnum eundemq; esse Dei: & Dauidis filium declarauit, cum dixit, eundem esse factum ex femine Dauid, qui esset filius Dei. De filio, inquit, suo, qui idem fatu Dauidis editus est. Etenim virgo Dei para ex Dauide duxit originem. Apertius hoc ipsum de-

Rhom. 1.

monstravit, cum ad Galathas scribēs ait. Misit Deus filium suum factum sub lege factum ex muliere: vt eos qui sub lege erant redimeret. Non aliū ex virgine generatum editumq; confirmat, & alium è coelo demissum, sed vnum & eundem: at missus est è coelo filius Dei: filius igitur Dei est ex virgine generatus, vnus igitur & idem est filius Dei: & filius hominis.

**Philip. 2** CVM Philippensibus agens ita loquitur: Hoc enim sentite in vobis quod & in Christo IESV, qui cum in forma Dei esset, nō rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo: sed exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens, & cæt. Expendamus relatum illud, qui, exquiramusq; referendum ne sit ad humanam: an ad diuinam Christi naturam: fieri non potest vt ad humanam Christi naturam referatur: Nam id quod continuo adiungit Paulus, esset falso dictum: nempe cum in forma Dei esset non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, immo vero summā rapinam fecisset, si homo existens diuinitatem sibi per superbiam arrogasset: seseq; Deo exæquasset. Neq; est quod ad diuinam naturam referatur. Nam id quod adicit cum huiusmodi relatione non congruit. Exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens: factus obediens vsq; ad mortem, & c. Nam diuina natura non est exinanita: neq; mortem interitumq; perpeffa. Reliquum est, vt relatum illud, Qui, diuinam referat personam in duabus naturis subsistentem: diuina scilicet & humana: Ac diuinæ naturæ interuentu, Christus æqualis est patri, vt qui eiusdem particeps sit naturæ: neq; sibi per insolentiam arrogauit diuinitatem: humanæ vero naturæ interuentu, Christus minor & inferior est patre, ipsiq; paruit, eoq; sese abiecit, vt crucifese affigi pateretur, mortemq; perferret ignominia, & acerbitatis plenissimam.

**Ioan. 1.** IAM ex diuo Ioanne vnum aut alterum locum proferamus. Initio euangelicæ historiæ cum de Verbo multa præclara ac diuinitatis propria dixisset, tandem adiungit. Et verbum caro factum est, & habitauit in nobis, & c. Testatur Ioannes Verbum illud, quod initio rerum fuerat apud Deum, inque paterno sinu ab æternitate conquieuerat, extrema seculorum ætate hominum causa effectum esse carnem. Iam Verbum caro factum est, aut natura Verbi in naturam carnis commutata: aut adiuncta sibi carne, Verbi ipsius natura alioqui immutata permanente, illud prius minime est asserendum, cum diuina natura, etiam de Philosophorum sentētia, sit immutabilis, ortus expers, & interitus: sequitur igitur vt posterius sit asserendum: ac proinde Verbum sibi diuinum carnem adiunxerit, nulla sibi inde mutatione allata: id verò duobus modis fieri potuit: vno modo vt Verbum Dei sibi carnem coniūxerit,

veluti

veluti indumentum · altero modo, vt carnem sibi coniunxerit, ceu rem sibi inexistentem. Ac prioris generis illa coniunctio cum verbis Ioannis minimè congruit: Nam verbum ait, carnem factum: non carne vestitum, quod verò vestitum est, effectum esse illud, quod sibi ceu vestem circundedit, minime dicitur: testatur autem D. Ioannes, verbum carnem esse factum, non igitur sibi carnem ceu vestem adiunxit. Quocirca carnem diuino Verbo esse coniunctam veluti rem inexistentem censendum est: idq; sancta vbiq; ecclesia cōfiteatur. Idem igitur verbum, Deus est & homo, Deus est illud quidem diuine nature, quam accepit ex patre interuentu, homo vero humane nature interuentu, quam ex matre virgine accepit, idem sempiternum, & temporariū: idem immortale, & mortale: idem prapotens, & imbecillum: idem omnium efficiens, & natum ex virgine: Quod est admirabile: & nulla mentis acie comprehensibile.

EXTAT alter apud Ioannem locus, quo duarum in vna persona verbi naturarū coniunctio declaratur. Omnis, inquit, spiritus qui confitetur IESVM in carne venisse, ex Deo est: & omnis spiritus qui soluit IESVM: ex Deo nō est: & hic est Antichristus. IESVM soluere, est aliud nihil, quam admirabile illum: & incomprehensibilem duarum naturarum in vna hypostasi nexum dissoluere ac dirimere: ille vero hunc nexum dirimit, qui alium facit filium Dei: alium filium virginis: quemadmodum impius Nestorius faciebat. Non igitur est Nestorius ex Deo, sed ex diabolo potius, qui mendacissimus est: & omnis inuentor confictorq; mendacij. Afferendum est igitur sacris literis consentanee, vnum eundemq; esse filium Dei: & filium virginis: duasq; naturas in vna persona verbi admirabiliter conuenisse. Hoc ipsum omnium est conciliorum autoritate decretum: & patrum consensu comprobatum: in primis sanctissimi concilij Ephesini sententia declaratum: & catholice ecclesie ad credendum propositum.

RELIQVA est argumētōrū, quibus hec sentētia, cōuelli videtur, explicatio. PRIMO itaq; argumento D. Ioannes Damascenus ita respondet, vt dicat omnem quidem naturam hypostasi esse subnixam: non enim natura per se existit, sed cum re singulari communicatur, non tamen omni nature propria esse hypostasim subiectam: sed vel propriam vel alienam: ac nature humane Christi, verbi hypostasis subiecta est: Christus namq; est diuinum suppositum humane carni coniunctū: estq; eadē & diuine & humane nature hypostasis. SECVNDVM argumentum hoc pacto diluitur. Christus secrete Deus est & homo, non distinctione ac diuisione suppositi: sed distinctione ac diuisione nature

I Ioanis  
ca. 4.

naturæ: Est enim suppositum illud diuinum habens cum diuinam, tum humanam naturam: idq; significamus cum dicimus Christum esse hominē. i. non humanum suppositum: sed diuinum habens humanam naturam sibi ineffabiliter: & admirabiliter coniunctam. Sunt quidam verbum, homo, vt Christo attribuitur, esse nomen suppositi, suppositi inquam locutionis: siue subiectionis: & prædicationis: non tamen existentiae: & sustentationis: id siquidem prout humanā Christi naturam sustentat, est diuinum suppositum effectum humanum gratia: munereq; diuino.

TERTIUM argumētum dissoluit Cyrillus ea in epistola, qua decreta Ephesini concilij continentur: inquiens non sic Christum esse natum ex virgine: vt Dei Verbum natiuitate illa essendi initium sumpserit, est enim stultum, & extremæ demētiae dicere illum, qui omnes seculorum ætates antecessit: quiq; cōsempiternus est patri: eguisse secundo ortu quo esse inciperet, sed ob id dicitur carnaliter natus, quia carnem sibi humanam coniunxit, cuius interuentu prodijt ex virgine: carnisq; natiuitatem suam effecerit. A deūdem etiam modum, non sic dicimus Christum passum: quod Dei Verbum æternum plagas exceperit: aut mortem pertulerit, Deus enim cum sit incorporeus, omnis perpeffionis expers est, sed significamus corpus illud, quod sibi coniunxit hæc omnia pertulisse: verbumq; diuinum corporis perpeffionem, excruciationemq; effecisse suam. Itaq; diuinitas nihil est perpeffa: sed caro diuinitati cōiuncta: verbumq; incarnatum: hoc siquidem sublatum est in crucem: hoc cruciatus: ac deniq; mortem pertulit.

EX hisce quæ adhuc docuimus intelligitur: quod & si natura assumpta à verbo sit singularis & indiuidua: non tamen est hic homo. Nam hic homo est indiuiduū naturæ: at Christi humanitas nō est indiuiduū nre: nō est igitur hic homo. Assumptio ostenditur, indiuiduū naturæ humanæ: & suppositū sunt vnum & idē: at hō assumptus nō est suppositū: nō est igitur indiuiduū nature.

OBIICI contra potest vsurpata crebro à veteribus dicēdi forma: aiunt enim viri illicum doctissimi: tum sanctissimi, diuinum Verbum hominem assumpsisse: aut igitur assumpsit hominem in genere & vniuerso, aut in parte: nō in vniuerso: sic enim quilibet homo fuisset assumptus: in parte igitur, quare hunc hominem assumpsit, &c.

HOC facile diluimus: namq; veteres illi diuinorum mysteriorum interpretes, minus proprie interdum loquuntur: id quod ipsorum grauissimæ auctoritati conceditur ac condonatur: estq; proinde omnis impropria ipsorum locutio citra calumniam interpretanda: & recte accipienda: cum igitur dicunt

diui-

diuina Verbum assumpsisse hominem, sic est interpretandum, assum-  
psit humanam naturam, qua assumptione effectum est, vt idem esset Deus  
& homo, &c.

### Quæstio. V.

*Anne firma sit illa consecutio, non est facta unio in  
natura, igitur in persona?*

**E**XISTIT tamen hoc loco quæstio subdifficilis, neq; silentio prætereū-  
da. Anne partitio illa; siue distributio sit absoluta: Coniunctio aut in na-  
tura, aut in persona effecta est: ac proinde sit firma illa consecutio necne, Nō  
est effecta unio siue coniunctio in natura, igitur in persona? Ac non esse abso-  
lutam illam partitionem: neq; firmam illam consecutionem: ex eo vel ma-  
ximè potest intelligi: quia est aliquid aliud præterea, in quo potuit fieri coniū-  
ctio, scilicet hic Deus: siue indiuiduum naturæ diuinæ. Hoc enim interest  
inter naturam creatam & finitam: & inter naturam increatam & infinitam:  
quoniam in natura creata indiuiduum naturæ: & hypostasis sunt vnum &  
idem: solo autem nomine dissident, etenim hic homo: & hypostasis huma-  
næ naturæ, ceu Cicero, sola distinguntur nominis appellatione. Quo effici-  
tur vt in natura creata duo solū cernantur, natura scilicet ipsa & hypostasis  
naturæ illius particeps, siue indiuiduum naturæ. At in diuina natura mul-  
tum interest inter indiuiduum naturæ, & hypostasim naturæ: nam indiui-  
duum naturæ diuinæ, scilicet hic Deus, cum tribus personis diuinis cōmunica-  
tur, patre & filio, & spiritu sancto: Hypostasis verò naturæ, non item, vt pa-  
ter, aut filius, aut spiritus sanctus. Ex quo iam liquet tria cerni in diuina natura  
scilicet hanc deitatem, hūc Deū: & hypostasim siue personam.

**PORRO** autem secerni indiuiduum naturæ diuinæ: & hypostasim: esseq;  
in diuina natura præter hypostasim: hunc etiā Deum cum tribus personis  
communem: hinc colligi licet: nam in diuina natura omne abstractum suū  
habet concretum: quæ ipsa sola significandi ratione differunt: vt pater & pa-  
ternitas: Deus & deitas: At in diuina illa natura non solum reperitur deitas:  
verum etiā hæc deitas: nam vna indiuidua deitas in tribus cernitur diuinis  
personis: est igitur & in diuina natura hic Deus: significans indiuiduum diui-  
næ nature, trium personarum cōmune.

**ADDE** quia Deus est vnus numero qui idem est pater & filius & spiritus  
sanctus: sic enim traditur in symbolo Athanasij: quo fidei eius, quam pro-  
fitemur

fitemur, decreta continentur, pater, filius, & spiritus sanctus non tres dii: sed vnus est Deus: At esse quippiam vnum numero: & esse hoc, sunt vnum & idem: Quare si Deus noster est vnus numero: igitur & hic Deus: præter igitur hypostases, est hic Deus in diuina natura.

NEQVE tamen quaternio in diuinam naturam inducitur, quemadmodum neq; Deus inducit quaternionem: idem autem valet Deus, quod hic Deus: hoc tamen interest, quoniam verbo Deus, numeralis vnitas non significatur, quæ tamen ipsa verbo, hic Deus, apertissime declaratur.

Caiet. 3.  
p. q. 2 ar.  
2. ad. 2.

HÆC est Caietani sententia: Argumentum vero initio positum ita diluendum putat, vt dicat, personam siue suppositum accipi duobus modis, complete scilicet & incomplete: Persona complete accepta, est res singularis naturæ particeps, incōmunicabiliter tamen. Persona vero incomplete, est res singularis particeps naturæ duntaxat. Persona vero hoc modo accepta, affecta est ad personam priori modo acceptam vt superius ad id quod sibi subiectū est. Quo efficitur vt personæ nomine non solum significetur hypostasis naturæ, verum etiam habens naturam, quoniam vero habens naturam in Deo, non solum est Deus, verum etiam hic Deus, hinc efficitur, vt appellatione personæ quod ad Deum attinet, non solum hypostasis: verum etiam indiuiduum naturæ, hic Deus videlicet, contineatur: Ac proinde sit absolutissima illa distributio, & firmissima consecutio: namq; personæ nomine non solum significatur persona simpliciter, verum etiam persona vt significat habens naturam, siue indiuiduum naturæ, quod ipsum est hic Deus subsistens in diuina natura. Hæc tradit Caiet. in explanatione articuli secundi, quæstionis secundæ libri tertij summæ D. Thom. hanc eandem sententiā primo quoq; libro. q. 3. ar. 3. expressit, itemq; .q. 39. ar. 4.

HÆC tamen sententiā periculosa est & falsa: periculosa quidem quoniam videtur indiuidua quaternitatem inducere: falsa verò, quoniam contrariā ac repugnans illi sententiā vera est. Ac inducere Caietanum quaternionem in diuina, verba ipsius apertissime declarant: sic enim ait, sequitur quod præter hypostases inueniatur ibi hic Deus: significans indiuiduum naturæ diuinæ cōmune tribus personis. Iam nobis licet in hunc modum argumentari. Qui in diuina aliquid præter hypostases introducit, illud videtur hypostasibus adiungere: at diuinæ hypostases sunt tres: Quartum igitur aliquid, illud introducens, adiungit, introducit autem Caiet. præter hypostases tres, hunc Deum: quartum igitur aliquid adiungit: id quod ecclesiæ decreto cum reprehensū, tum damnatum est. Extra de Trinitate & fide cathol. cap. Damnamus.

Extra de  
Trini &  
fide cat.  
c. damna  
mus,

Porro



Porro autem esse falsam hanc Caietani sententiam ita ostendo. Illud siquidē hominem rogatum volo, referendum ne sit, illud hic Deus, ad naturam: aut hypostasim, aut ad aliquid aliud: non ad aliquid aliud: in Deo siquidem, hæc duntaxat spectantur: suppositum scilicet & natura, hæc scilicet deitas: quæ eadem numero cum tribus diuinis personis communicatur: referendum igitur est illud, hic Deus, ad naturam: aut ad hypostasim: si refertur ad hypostasim: falso ergo esset Caiet. hunc Deum esse indiuiduum naturæ diuinæ triū personarum commune: nam hypostasis diuina est incōmunicabilis, referatur igitur oportet ad naturam diuinam eandem numero in tribus personis: significat igitur, hic Deus, diuinam naturam, qua subsistens est, id quod & ipse Caiet. sensit: est enim, inquit, hic Deus, subsistens in natura diuina. Hoc vero minus rectè videtur esse dictum: nam subsistere, vt diuinæ naturæ conueniat: subsistere tamen in natura soli personæ: & hypostasi conuenit: at de sententia Caiet. hic Deus non significat hypostasim, non igitur hic Deus significat rem subsistentem in diuina natura: vel certe diuina natura subsistit in diuina natura: namq; hic Deus significat diuinam naturam sub ratione subsistentis. Adde quia si hic Deus significat rem subsistentem in diuina natura, subsistens autem in diuina natura est persona: significat igitur hic Deus diuinam personam. Hæc Caietani sententia, vndiq; seipsam demolitur & euertit.

QVOCirca in diuina illa: & immensa natura, nihil præter essentiam: & hypostases, statuendum: ac ponendum est: quæ quidem hypostases sunt ipsamet essentia diuina: ac proinde non cadit in diuina rerum quaternio: nam essentia nihil est adiunctum personis, neq; accedit ad numerum: vt quæ sic idem quod persona: sola ratione significandi disidens à persona: nam essentia significatur vt natura: persona vero vt subsistens in natura: Eadem tamen res est suppositum & essentia: essentia, quatenus significatur vt natura: suppositum, quatenus significatur vt subsistens. Hinc iam efficitur, vt Deus significet cum diuinam naturam, tum diuinam hypostases, diuinam quidem naturam formaliter, & distincte, siue definite: hypostases vero ipsas, connotatione quadam, et indistincte: significat enim nomen Deus diuinam naturam: interim connotando quod insit in persona: Etenim nomen Deus significat essentiam diuinam, vt in habente ipsam, habens autem diuinam essentiam, de Thomæ sententia. i. p. q. 39. ar. 4. est suppositum diuinum, significat tamen nomen Deus definitam ac certam hypostasim, adiunctione verbi notionem declarantis: nam cum dicimus Deus genuit Deum: verbum Deus ad solam

Thom.  
3. P. q. 2.  
ar. 2.

Thom.  
1 P q 39.  
ar. 4.

patris

Patris hypostasim refertur, solus enim pater generat: ut filius solum generatur. Quoniam vero diuina natura est eadem numero in tribus personis: hinc fit ut idem valeat Deus: atq; hic Deus: ac proinde hic Deus, primum quidem & formaliter significet naturam diuinam, quæ eadem est in tribus personis: deinde vero, & connotatione quadam significat personam diuinam: exprimit enim diuinam naturam hanc, interim connotando quod insit in persona. Quare hic Deus, significat distincte diuinam naturam numero vnam: indistincte vero personam, quam eadem tamen distincte declarat adiuncta notione. Accipitur igitur hic Deus, primum pro diuina natura, in concreto tamen: deinde vero pro supposito, quod est particeps diuinæ naturæ: ita fit, ut hic Deus non sit aliquid præter hypostases: aut naturam: sed sit ipsamet essentia diuina significata in concreto: siue in supposito: estque proinde absoluta illa distributio. s. vnio verbi incarnati, aut effecta est in natura, aut in persona: namq; appellatione naturæ continetur etiam hic Deus: quæ eadem diuina essentia cum sit terminus secundarius vnionis huiusmodi (terminat enim coniunctionem illam admirabilem, qua in diuino supposito existit) hinc efficitur, ut hic Deus sit & secundarius terminus vnionis.

CONCEDIMVS igitur Caietano esse in diuina natura hunc Deum: & Deum nostrum esse vnum numero Deum: & hunc Deum: non tamen damus, hunc Deum, esse aliquid præter hypostases: aut naturam: sed esse ipsam eandem diuinam essentiam, ut in suppositis: Est enim hic Deus, pater, filius & spiritus sanctus.

## Quæstio. VI.

*Anne huiusmodi duarum naturarum in vna Verbi Dei persona coniunctio: aliquam eidem persone compositionem attulerit?*

EX posuimus quo pacto sit duarum naturarum vnio effecta: ac docuimus non sic esse vnionem illam admirabilem effectam, quod vna natura in alteram sit commutata: aut vna quædam tertia natura ex duabus coaluerit, sed quod duæ naturæ in eadem Verbi Dei hypostasi conuenerint: Quocirca addubitari non immerito iam potuit. Vtrum illa duarum naturarum in eadem Verbi Dei hypostasi conspiratio atq; coniunctio compositionis aliquid eidem personæ attulerit? Certe D. Ioannes Damascenus multis in locis, de fide orthodoxa libro tertio, testatur diuinam illam hypostasim post carnis assumpti-

*Ve q. Caiet. quic  
na aliud unquam  
affirmavit. Post  
197 Caiet. ut  
hic sensu termi-  
atur, neq; falsa  
ea periculosa ut  
dicitur*

sumptionem euasisse compositam: Nonnullos igitur rei propositæ confir-  
mandæ gratia locos in medium proferemus. Principio cap. eiusdē libri. 33. sic  
inquit. Verbi Dei hypostasis ante carnis assumptionē simplex, nihil cōposi-  
tionis habēs, incorporea, & increata erat: at assumpta carne, effecta est & car-  
nis ipsius hypostasis, euasitq; composita cū ex diuinitate quā semper habuit,  
tum ex carne quam assumpsit: & in duabus cognita naturis, duarum natu-  
rarum secum fert proprietates. Quocirca vna eademq; hypostasis & incre-  
ata est per diuinitatem, creata per humanitatem, visui subiecta, & ab aspe-  
ctu remotissima. Aliās, inquit, cogimur vel Christum diuidere: si duas  
ipsi hypostases tribuimus: vel naturarum differentiam negare: ac conuer-  
sionem, confusionemq; inducere. Eandem sententiam expressit cap. 7. itē  
c. 3. sic. n. ait. Duæ ipsius naturæ hypostasi ipsius coniungūtur, vna hypostasi  
cōponētes. Eandē. c. 5. sententiā protulit, sic inquit: In diuina illa: & recōdi-  
ta Verbi Dei: & dñi nostri IESV Christi dispēsatione, duas naturas, diuinā. s.  
& humanā cognoscimus: quas easdē mutuo copulatas: & secundū hyposta-  
sim vnitas esse confitemur: vnam autē hypostasim ex duabus naturis effectā  
compositam: seruariq; dicimus duas illas naturas & post vnionē, in vna eaq;  
composita hypostasi, in vno videlicet Christo, inque ipso vere inesse, ac præ-  
terea naturales ipsarum proprietates.

Damaf.  
3. li. c. 33.

Damaf.

HÆC est illa sententia quæ à Lombardo libro tertio dist. 6. prolata secundo  
loco, à Theologis sic explicatur, vt dicant: quatuor ipsam capitibus cōtineri.  
Primum caput est, in incarnatione anima et corpus cōuenerūt, non quidem  
ad efficiendū vnū suppositū, sed in vna Verbi persona: quo effectū est, vt ani-  
ma, corpus, et diuinitas in eadem hypostasi conuenerint.

Magist.  
3. sc. d. 6.

SECYNDVM caput, duæ illæ naturæ ita sunt inter sese in vna eadēq; hy-  
postasi coniunctæ, vt interim naturales proprietates seruent: ac proinde quæ  
diuinitatis sunt propria, de supposito illo per cōcretum humanæ nature sig-  
nificato, quæ vero humanæ nature sunt propria, de eodem supposito per con-  
cretum diuinæ nature explicato, dicātur. Etenim Deus est ex virgine natus,  
Deus est cruci affixus, Deus mortem pertulit. Item homo ille est mundi  
effector, præpotens, æternus: rebus omnibus consulens, omnia contuens.

TERTIVM caput. Ipsa Verbi persona ante carnis assumptionem simplex  
erat, at carne assūpta effecta est cōposita, cōposita inquā ex diuina et huma-  
na natura: nō tamen effecta est alia, sed eadem petmansit: nā quæ prius erat  
Verbi Dei solum persona: effecta est per incarnationem hominis persona,

E sub

subsistit ergo vna Verbi hypostasis & in duabus: & ex duabus naturis.

**QUARTVM** caput. Diuina illa Verbi persona vt sit facta hominis persona, non tamen est facta persona. Hæc quatuor capita videtur Damasceni sententia complecti: quam eadem Theologi nostri vt veram, & fidei catholice consentaneam amplectendā, & interpretandā existimauerūt: tertium tamen caput minus probant: nempe quia cōpositio cū diuina persona minimè cōgruat. Nam cōpositio tollit simplicitatē: Hypostasis autē Verbi simplicissima est, quemadmodū & diuina natura.

**ADDE** quia ex ijs quæ cōponūt, tertium aliquid efficitur, at diuina verbi persona non est effecta, ac constituta ex vtraq; illa natura.

**ITEM** componētia ita inter sese sunt affecta: vt vnū alterū perficiat: iam diuina & humana natura non sic sunt inter se affecta.

**ITEM** componētia sunt imperfecta: suntq; potestate cū re composita collata, hæc vero non cadūt in diuinā naturam.

**ACCEDIT** quia compositares non dicitur in ijs ex quibus componitur: At Christus dicitur & Deus & homo.

**AD** extremum componentia de se mutuo non dicuntur: at Deus & homo de se mutuo dicuntur.

**QV**o circa posteriores Theologi vt sensum illius secundæ sententiæ retineāt, compositionis tamen verbum omnino vitandum ac declinandū putant: ob eas quas in medium attulimus rationes: sic enim accipi cōpositio consuevit.

Caiet. 3.  
p. q. 2. ar.  
4.

Caietanus à compositionis vocabulo nō multū abhorret, dū modo aliquid, vitandæ calumniæ gratia adiungatur: est autem illud, quod compositio illa est inexplicabilis: vel quod illa compositio nō significat imperfectionē componentium: ob id autem non putat omnino repudiandum compositionis vocabulum: quia compositionis nomine significatur, illarū naturarū coniunctionem esse intimam & substantialem: vereq; esse: quāuis eandem minus intelligentia consequamur: hanc eandem causam asserit veteres impulisse: vt compositionis verbo vterentur: Quo eodem vtitur etiam Aug. vt referet Lombardus. 6. distinctione, tertij. Etenim. 13. de Trinitate libro sic ait: sic Deo coniungi potuit humana natura, vt ex duabus substantijs fieret vna persona: ac per hoc iam ex tribus, Deo scilicet anima & carne. Item libro sententiarum Prosperi sic ait Aug. modis omnibus approbamus, Sacramentum ecclesiæ, duobus cōstare, & duobus cōfici, visibili elementorum specie, & inuisibili domini nostri IESV Christi carne & sanguine, sacramento, & re sacramentali, id est, corpore Christi: sicut Christi

Augusi.

per-

persona constat, & conficitur ex Deo & homine: cum ipse Christus verus sit Deus, & verus homo. Omnis enim res illarum rerum naturam, & veritatē in se continet, ex quibus cōficitur.

**CÆTERVM** cōpositionis nomen Theologi in hoc mysterio variē interpretantur, quorum interpretationes, lubet, docendi gratia, subiungere. Sunt qui compositionem ad subsistentiam, authore Magistro, referant: aiunt enim diuinam personam, qua verbum est, esse simplicissimam: qua vero subsistens est, esse compositam: vt quæ in duabus & ex duabus naturis subsistat. Non tamen illa persona simpliciter est facta: vt sit effecta hominis persona: vt supra ex posuimus. Hæc eadem distinctione vsus est D. Tho. lib. 3. q. 2. art. 4. inquit enim Verbi personam, secundum rationem personæ, quæ in eo posita est vt subsistat in natura, post vnionem euasisse compositam: siquidem vnum in duobus, & ex duobus subsistat. Idem secundo argumento occurrens ait, hanc compositionem non esse in partibus sed in numero positam: non enim duæ naturæ ceu partes vnum tertium conferunt: sed in vna hypostasi conuenerunt: quo modo dici potest compositum illud omne, in quo duo conuenerūt: vt musicum, & album. Ad eundem modum Augustini sententiam explanat interpretes qui trito in scholis vocabulo, glossator dicitur, de consecr. dist. 2. ca. Hoc est quod nobis. Sic enim inquit, quasi in se habet diuinitatem, & humanitatem, alterum naturaliter: alterum per vnionem: non enim ex homine, & Deo aliquid constituitur: sed sicut ad constitutionem alicuius totius exiguntur ad minus duo ita ad hoc, vt Christus sit Deus & homo, exigitur vt illa duo sint in eo. i. humana natura & diuina: nā & hac similitudine dicitur constare ex illis.

**IOANNES** Bona. 3. sent. d. 6. q. 2. compositionem interpretatur non quidem proprie. i. duarum rerum ad vnum aliquid efficiendum coniunctionem: sed latius ac minus proprie, hoc est, cum alio positionem, nam personalis vnio fuit quædam huius generis compositio: nam carnis assumptione effectum est, vt illa persona, quæ ante carnis assumptionem vnus duntaxat naturæ erat hypostasis, duarum naturarū hypostasis fieret. Hanc cōpositionem appellat Caiet. compositionem cum his, nam incarnatione effectum est, vt persona Verbi coniungeretur cum hoc quod est esse hunc hominem: non quia hunc hominem assumpserit: sed quia Deus adiūcta sibi humanitate effectus sit hic homo.

**SCOTVS.** 3. sen. d. 6. q. 3. compositionem referendam putat ad veram, & inconfusam duarum naturarum existentiam, ita enim inquit, vere insunt in

Thom;  
3 p q 2.  
ar. 4.

De cōse-  
cratiōe.  
d 2c. hoc  
est.

Bona. 3.  
sen. d. 6.  
q 2.

Caiet. 3.  
p. q. 2. ar.  
4.

Scot 3.  
sent. d. 6.  
q. 3.

Verbo natura diuina, & humana: ac si personam componerent: reipfata men nulla est ibi compositio. Consentanea est huic interpretationi interpretis eius qui, vulgo glossa dicitur, explicatio. Christi persona cōficitur ex Deo & homine, id est, est verus Deus: & verus homo: non enim ex Deo: & homine aliquid conficitur, & constituitur: vnde August. Christus est vna persona, geminæ substantiæ: quia Deus, & homo: neq; Deus, huius personæ pars dici potest.

**DVRANDVS** 3. sent. d. 6. q. 3. Hanc compositionem ita accipiendam putat, vt sit compositio non quidem huius ex his tanquam ex partibus. Nam res in hunc modum composita pendet ex ijs ex quibus componitur: estq; ipsis posterior: sed vt sit potius compositio huius ad hoc non quidem per inhaerentiam vnius ad alterum, cuiusmodi est compositio accidētis cum subiecto: sed per dependentiam habitudinis relatiuæ, ita vt vnum sit inexistens alterum vero subsistensterminans respectum, & dependentiam inexistētis. Persona igitur illa diuina, quæ prius in diuina natura subsistebat, assumpta carne, per diuinam subsistentiam, assumptæ naturæ dependentiam terminauit.

**HÆC** accepimus à Theologis nostris quæ eadem & nos ipsi comprobamus. Vt tamen rem totam quam breuissimè explicemus: omniumq; sententias complectamur, adhibendam putamus hanc distinctionem: Cōpositio capitur bifariam vno modo pro multarum rerum ad vnum aliquid efficiendum coniunctione atque conciliatione: altero modo pro multarum rerum in vno aliquo concursu & conspiratione, dum modo illa multa inexistant: priori modo non cadit in Christum compositio: nam huius generis compositio ex multis ceu ex partibus conficitur: iam vero Christus ex diuina, humanaq; natura: ceu ex partibus minime constat. Quocirca minus Theologice & ad fidei sinceritatem accōmodate à Iustiniano imperatore alioqui pietatis amātissimo, dictū est, Christū ex diuina humanaq; natura ceu ex partibus esse compositū. Nam cū missō ad summū Pontificē Ioanē secundum edictō, suam de relegione Christiana sententiā explicaret, de Christi mysterio agens sic inquit. Ex vtraque natura, id est, ex deitate & humanitate, vnum Christum compositum dicentes: confusionem vnitati non introducimus: differentiam autem naturarum, ex quibus cōpositus est, significamus non interemptam propter vnitatē, quoniā vtraq; natura in ipso est. Cū enim compositionē dicamus necesse est confiteri, & partes in toto esse, & totum in partibus cognosci. Neq; enim diuina natura in

huma-

Du. 3. f. d. 6. q. 34

In corci  
ljs tom.  
1. ad cal-  
cē.

humanam transmutata est, neq; humana natura in diuinam conuersa est. Colligit Iustinianus ita duas naturas in vno Christo conuenisse, vt nulla sit effecta naturarum confusio, ex eo quia Christum profiteamur ex duabus naturis esse compositum: iam vero compositio, partium distinctionem requirit: necesse est enim partes inesse in toto, & totum in partibus cerni. Quibus verbis aperte videtur Imperator sentire, Christum ex duabus naturis ceu ex partibus constare: quod tamen esse falsum multis iam argumentis docuimus. Hoc igitur loco minus erudite locutus est Iustinianus: sic etiam loquitur Damasc. lib. 3. cap. 4. Christum inquit, interdum ex altera partium nominamus: Deum videlicet, solum: aut hominem, solum. Ceterum compositio posteriori modo, huic mysterio congruit: Nam duarum naturarum effecta est in vna verbi hypostasi conspiratio, concursio: atq; coniuñctio, omni sublata confusione.

### Quaestio. VII.

*Anne Christus ex duabus naturis subsistat?*

**E**XISTIT hoc loco quaestio haud vulgaris. Anne recte dici possit Christum ex duabus naturis subsistere: quemadmodum dicitur in duabus naturis subsistere? Non esse abhorrentem hanc dicendi formam à fide christiana ex eo intelligi potest, quia viri doctissimi & de fide recte sentientes, eadem ipsa vtuntur. Damascenus. li. 3. c. 3. sic ait: ex diuinitate siquidem, & humanitate perfectum Deum, & perfectum hominem: eundem & esse, & dici, ex duabus & in duabus naturis confitemur. Diuus Athanasius testatur Christum eò esse perfectum hominem, quia ex anima rationali, & humana carne subsistat. Magister eandem dicendi formam frequenter vsurpat. 3. sen. d. 6. & 7. quae eadem vtitur ecclesia, cum Episcopus constituitur. Credis, inquit, vnum, & vnicum filium Dei in duabus: & ex duabus naturis? Respondet is qui instituitur, Credo.

Damasc.

Athanas.

Magist.

**C**AETERVM minus esse congruentem hanc dicendi rationem cum Christi mysterio ex eo perspici potest: quia in Christo vnica est <sup>subsistentia</sup> substantia, diuina. s. ad quam humana natura assumpta est: quaeue est diuinæ naturæ cum humana communis: non enim Dei Verbum incarnatum humana, sed diuina prorsus subsistentia subsistit: non igitur ex humana natura subsistit, neq; humana natura ipsi est ratio subsistendi.

\* abs. substantia,

HUIUS porrò quæstionis hæc est explicatio. Subsistere duobus modis accipitur, simpliciter videlicet, & in tali natura, vtrunq; conuenit Verbo Dei: est enim simpliciter subsistens, & in diuina, humanaque natura subsistens. Subsistere simpliciter & in diuina natura conuenit Christo eo quia est Verbum Dei: quia enim Verbum, hoc est, persona proprietate distincta, subsistens est: quia verò diuinum Verbum in diuina natura subsistens est: ex diuina tamen natura persona illa diuina consequitur & quod simpliciter subsistat, & in diuina natura subsistat. Subsistere vero in humana natura conuenit Dei Verbo, eo quia incarnatum est, nam carnis assumptione effectum est, vt Deus esset homo: quoniã vero homo est Dei Verbum, proinde in natura humana subsistit. Hinc iam intelligitur, Dei Verbum ex humana natura subsistere, esseq; humanam naturam illi rationem subsistendi, non quidem simpliciter: & omnino, sed in tali natura. scilicet humana: estq; proinde in Christo duplex subsistendi ratio, vna ex esse diuino: altera ex esse humano profecta, idq; tam in fieri quam in facto esse, vt dicitur. Ac ratio subsistendi in diuina natura in fieri: est generatio eterna per quam Verbum ipsum esse diuinum consequitur: in facto vero esse, est esse Deum. Subsistendi porrò in humana natura ratio in fieri, est humanæ naturæ assumptio: in facto esse, est esse hominem. Vt igitur sit in domino IESV Christo vnica subsistentia: siue vnica subsistendi ratio simpliciter, est tamen duplex subsistendi ratio in tali natura, quemadmodum docuimus.

## DE RATIONE SIVE QUALITATE

coniunctionis.

*Qualis sit illa coniunctio?*

**D**OCVIMVS humanam naturam Dei Verbo esse coniunctam: atq; ita coniunctam: vt non in natura, sed in diuina persona Verbi sit effecta coniunctio, reliquum est, vt explanemus qualis nam sit illa coniunctio: nam supposito siue hypostasi varie coniungi aliquid potest, aut enim secundum substantiam: aut accidentario coniugitur: secundum substantiam, personæ coniunguntur omnia interna: siue totum conficiat: vt manus, pes, &c. siue ad essentiã attineant, vt natura ipsa, quæ cum hypostasi comunicatur. Accidentario coniunguntur hypostasi omnia accidentia, siue inhaereant in supposito: vt albedo & magnitudo: siue adiaceant, vt vestis.

Quæstio



## Quaestio. VIII.

*Sit ne illa unio substantialis an accidentaria?*

**E**XQVIRENDVM nobis igitur est, quo genere cōtineatur persona-  
lis hęc naturę humanę cū verbo coniunctio. Certe D. Paulus sensisse vi- Phil. 2.  
detur hanc coniunctionē esse accidentariā: vt qui confirmet Christū Dei filiū,  
hominum similitudinē gessisse: & habitu inuentū esse vt hominem: natura  
igitur humana D. Pauli testimonio & sententia Verbo Dei ceu habitus cō-  
iungitur: at habitus accidentario rei coniūgitur: vt qui adiaceat: non in fit in  
re vestita, confert enim vestis esse vestitum: quod ipsum est accidentarium.  
Quamuis enim vestis sit substantia: esse tamen vestitū, est esse accidentariū:  
nempē quod rei accedat naturali essentia perfectę: & absolute. Ad eundem  
etiam modum, vt sit natura humana in substantijs, quia tamen adiuncta est  
rei naturali essentia perfectę, proinde accidentario coniuncta est: largiturq;  
rei cui coniungitur, esse accidentarium, quemadmodum indumentum rei  
vestitæ esse accidentariū tribuit.

**Q**VO circa notandum est hoc loco, duplicia esse, quę largiuntur esse accidē-  
tarium: quædam enim sunt suapte natura accidentia: vt albedo: magni-  
tudo: hæc enim & suapte natura sunt accidentia: & esse accidentarium lar-  
giuntur, quippe cum rebus adueniant naturalem essentiam consecuti: sunt  
alia quę suapte natura sunt illa quidem substantiæ, esse tamen accidenta-  
rium præstant, vt quę rebus naturali essentia perfectis adiungantur, vt om-  
nia indumentorum genera. Cum igitur natura humana à verbo assumpta  
sit substantia: accesserit autem rei naturali essentia perfectę, personæ. s. & hy-  
postasi Verbi: hinc fit, vt videatur eidem ceu vestis esse coniuncta: ac proinde  
non essentielle sed accidentarium esse tribuerit.

**H**ANC porrò sententiam illa duo maximè confirmant: & quia natura hu-  
mana non pertineat ad essentiam Verbi: nō enim natura humana est in di-  
uinam essentiam commutata: iam vero quod de re dicitur, & ipsius naturā:  
& essentiam minime attingit: accidentario & fortuito in re illā dicitur, &  
quod natura humana sit Verbi instrumentum: iam autē omne instrumentū  
externum aliquid: & aduentitiū est.

**A**DIVNGVNT hæretici, quę differunt supposito: accidentario coniun-  
guntur, Deus & homo assumptus differūt supposito, accidētario igitur cō-  
iungūtur. Quocirca ponunt heretici quinquuplicem coniūctionis modum

hominis assumpti cum Deo: per inhabitationē .s. per affectum, per actionem, per dignitatem & honorem, per appellationem. Per inhabitationē homo assumptus Deo coniungitur, quatenus verbum in ipso ceu in tēplo inhabitat. Per affectū, quatenus voluntas hominis cum diuina voluntate semper congruit: per actionem, quatenus est diuinę actionis instrumentum: per honorem, quatenus eodem ac pari vterq; honore afficitur, nam cum Verbum Dei colitur, & assumptus homo colitur. Per appellationem, quatenus deitatis appellatio homini attribuitur, dicimus enim hominem illum esse Deum. Hęc porrò quincuplex coniunctionis ratio accidentaria est.

AT recta de mysterio Christi persuasio tradit, hanc qua de agimus, coniunctionem esse substantialem, naturamq; humanam assumptam à verbo & esse substantiam: & largiri eidem esse substantiale. Id vero hisce rationibus confirmo. Id largitur esse substantiale rei alicui, quod de re illa dicitur in ea quæstione, quare rei natura, & essentia exquiritur: nihil enim sic dicitur, quin ad rei naturam: & essentiam attineat: At humana natura dicitur de Christo in ea quæstione, qua quid est res quæritur, nam rogati quid est Christus aptissime respondetur, esse Deum & hominem: relinquatur igitur humanam naturam esse substantiale Christo tribuere.

ITEM humana natura largitur Christo esse hominem: at esse hominem est esse substantiale: largitur igitur eidem esse substantiale: ac proinde cōiunctio est substantialis, non accidentaria. Prior sumptio hinc intelligitur, quia natura humana sic est à verbo assumpta, vt ipsius iuteruentu verè & simpliciter, non sola autem intelligētia, similitudine, specie, aut repræsentatione idem verbum sit homo. Neque est quod nobis aduersarius opponat hoc loco illam dicendi formam à Paulo vsurpatam: Christum videlicet esse in similitudinem hominum factum: & σχῆματι. i. habitu, siue specie & figura inuentum esse hominem, nam huiusce sententię explanationem paulo post subiungam.

ITEM si natura humana verbo accidentario esset coniuncta, non verè diceretur Christum esse hominem: sed esse humanatum: quemadmodum homo veste indutus, non dicitur vestis, sed vestitus: at omnes etiam hæretici Christo domino hominis appellationem tribuunt, non igitur humana natura ipsi accidentario ceu vestis coniungitur. Cum autem dicitur verbum illud diuinum humanatū: siue incarnatum, illa attributio est denominatiua voce duntaxat, non re ipsa, nam forma appellationem tribuens non hæret

in ver-

in verbo: sed eidē hypostatice coniungitur: quo eodem denominationis genere, ferrum dicitur ignitū.

ADDE his: Quia si esse hominem Christo accidentario conueniret, esse humanum Christi multo esset ignobilius, quam humanum esse nostrum, vt quod sit esse substantiale: iam vero esse accidentarium multo est ignobilius quā esse substantiale. Hoc vero quā est impiū sentire: & asserere?

ACCEDIT, quia Christus hominum neq; genere, neq; specie contineretur, ac proinde ipsius mors nihil nobis vtilitatis attulisset.

AD extremum, Arist. authore, quod verè est, id est, substantia nulli accidit, humana natura est substantia, nulli igitur accidit: idq; eo vel maximè confirmatur, quia diuina persona nullum esse accidentarium potest admittere: quippe cum non possit esse subiectum inhærentiæ: vt satis constat. Hæc est pia ac recta de diuina illa coniunctione persuasio, quam eandem Alexander. 3. confirmauit, ita statuens ac decernens, cum Christus sit perfectus Deus: & perfectus homo, mandamus, quatenus sub anathemate interdicas, ne quis de cætero audeat dicere, Christum, secundum quod homo non esse aliquid.

Extra de  
hæreti-  
cis, ca. cū  
Christo.

Quia sicut Christus verus est Deus: ita verus est homo: ex anima rationali: & humana carne subsistens. Certe non esset Christus verè homo, si humana natura ipsi accidentario conueniret. In hac eadem sententiā sunt omnes sacri: & orthodoxi doctores: asserentes Christum verum, ac plenum esse hominem: verum quidem, quoniam verè: ac re ipsa & simpliciter habet humanam naturam, non intellectu: aut imaginatione, non specie, aut habitu, aut ex parte: plenum verò quoniam substantiā assumpsit ex corpore, & anima compositam. Aug. de Fide ad Pet. c. 2.

RELIQVA est aduersariorum argumētorum explicatio. D. Augustinus locum illum D. Pauli explanans, habitum in tria genera distribuit: scilicet in habitum animi, vt disciplinam vsu & exercitatione confirmatam, in habitum corporis: quomodo dicimus, vnum altero esse valentiorum: & in habitum eorum quæ exterius corpori accommodantur, quomodo dicitur homo vestitus, tunicatus, & petasatus. In omnibus autem hisce generibus ait, habitus nomen ductum esse à verbo habere, vt scilicet habitus in ea re dicatur, quæ nobis, vt habeatur, accedit: idq; quadrifariam, aut enim ita extrinsecus accedit vt commutet habentem: & afficiat, ipsum autem non mutetur, vt omnis habitus animi, afficit enim rem subiectam & immutat: ipse tamen nō afficitur: vel certe ita accedit, vt neq; afficiat, neq; afficiatur, vt anulus digito impositus: hoc vero tu mihi intellige de alteratione, quæ fit secū-

dum qualitatem absolutam. Aut ita accedit, ut & mutet: & mutetur, ut alimentum: mutatur enim ipsum, quatenus concoctum speciem amittit, mutat verò, quatenus corpori affert accessionem: ipsumq; valentius efficit. Est quartum genus, quod ipsum adueniens mutatur, habentem tamen non inamutat, ut vestis. Namq; vestis corpori accommodata, ad corporis speciem transfertur: recipit enim omnem corporis conformationem. Hoc quartum genus dicit Aug. Christi mysterio congruere: nam Dei Verbum sic hominem induit, ut in homine mortalium conspectui exhiberetur: & hominem assumptum ad excellentiorem statum, nulla ipsi interim allata mutatione, perduceret.

Aug. 3.  
q. 17.

SED iam Augustini verba proferamus: ipse susceptor, verum hominem suscipiendo, habitu inuentus est ut homo, id est, habendo hominem inuentus est ut homo, non sibi, sed ijs quibus in homine apparuit. Quod autem dicit ut homo, veritatem exprimit. Nomine ergo habitus satis significauit. Apostolus qualiter dixerit in similitudinem hominum factus, quia non transfiguratione in hominem: sed habitu factus est cum indutus est hominem: quem sibi uniens quodam modo: atq; conformans, immortalitati: & eternitati sociaret. Non ergo oportet intelligi mutatum esse verbum susceptione hominis, sicut neq; membra veste induta mutantur: quamuis illa susceptio ineffabiliter susceptum, suscipienti copularet. Natura igitur humana à Verbo Dei assumpta duabus maxime rebus cum habitu siue indumento consentit: & quia Verbum Dei hominibus intuendum præbuit: & quia ad diuinam sit personam accommodata: ipsiq; coniuncta, sit melior effecta.

Thom.  
3. p. q. 2.  
ar. 6 ad. 1

Bona. 3.  
sent. d. 6.  
q. 3.

BONA VENTURA hanc similitudinem in eo positam esse putat: quia quemadmodum vestis: siue habitus accedit rei naturali essentia perfectæ: itemq; significat adiacentiam duarum naturarum, siue substantiarum, conseruata vtriusq; substantiæ proprietate: ita etiam humana natura accessit personæ perfectionem naturalem ex diuina essentia consecutæ: sicque illi personæ coniungitur, ut interim vtriusq; naturæ proprietates conseruetur. Hinc colligit. D. Bon. posse dici, si modo pie ac recte intelligatur, naturam humanam uniri verbo quodammodo per modum accidentis. Etenim accidens, ut albedo, accidit rei iam perfectæ, & alieno nititur supposito, ad eundem modum Christi humanitas à diuina hypostasi sustentatur ex diuina natura naturalem perfectionem assecuta. Cæterum quia natura humana non adiacet extrinsece, neq; hæret in persona Verbi, proinde non omnino accidentario coniungitur diuinæ personæ, sed substantialiter.

D. Tho.

D. Tho. non negat accessisse naturam humanam rei iam completæ: negat tamen inde confici, accidentario illi coniungi: nam quod aduenit rei completæ, neq; esse præexistentis consequitur, accidentario aduenit: quo efficitur vt albedo sit accidens: namq; accedit rei iam completæ: neq; habet cōmune cum re subiecta esse, aliud est enim esse albi: aliud esse hominis, cui accidit albedo. Iam vero natura humana vt accesserit hypostasi naturali essentia perfectæ, quia tamen ad cōmunionem esse diuini, non quidem prout est naturæ, sed prout est hypostasis & personæ, assumpta est, proinde non cōiungitur verbo accidentario, sed secundum substantiam.

Thom.  
3. P. q. 2.  
ar. 6. ad. 2

EST quod obijci contra possit: inquit enim D. Thomas, albedinem propterea accidentario conuenire: quia aduenit rei iam completæ, neque ad cōmunionem eiusdem esse traducitur, aliud est enim esse albi: aliud esse hominis: contra quod res habet in natura humana verbo coniuncta. Cum triplex sit esse, essentia videlicet, existentia, & subsistentia, lubenter rogarem D. Thomam, cuius nam esse cōmunionem accidenti detrahat, an ne essentia? id quod ipsius verba præ se ferre videntur, ait enim aliud esse, hominis, & albi esse, videtur esse hominis & albi aliam atq; aliam essentiam declarare. Si igitur essentia & naturæ cōmunio detrahatur, non est quod hac re se iungatur accidens rei subiectæ accedens, ab humana natura: siquidem neq; humana natura sit esse essentia diuinæ naturæ, interuentu coniunctionis, consecuta.

SI cōmunionem esse existentia detrahit, falsum dicit, & secum ipsò pugnat: ac falso ipsum sentire eo intelligitur, quia accidens, non alia existentia existit: quam existentia rei subiectæ. Etenim Aristotele authore, accidens est ens, quia entis est affectio: iam vero si accidens haberet per se existentia, esset per se ens, ad hæc per se citra rem subiectam posset existere. Sibi vero ipsi repugnat, siquidem in ea sit sententia vt dicat, omnia quæ in eadem hypostasi cernuntur, existere per vnum, & idem numero. Si igitur de esse existentia sermo est, falsum est id quod asserit, accidens non habere idem esse existentia cum re subiecta cōmune. Vtrum vero natura humana à Verbo assumpta habeat idem esse existentia cum verbo cōmune, versari in controuersia consuevit: quæ à nobis post est explicanda. Multis placet, ijsq; viris doctissimis naturam humanam diuinæ personæ Verbi coniunctam habere propriam existentiam. Iam vero vt cōmunem subsistentiam detrahat fieri non potest: nam accidentis natura sic est comparata, vt neq; per se neq; per aliud subsistat: nā subsistere propriū est substantia.

Arist. 7.  
Metap.

Tho. 3.  
p. q. 17.  
ar. 2.

QVO

3. sent. d.  
6. q. 4.

QVOCirca sentiendum potius puto cum Bonau. & Durando. Etenim horum sententia, natura humana assumpta à Verbo, vt accesserit rei iam completæ, non tamen accidentario illi eidem couenit, siquidem non inest per inhærentiam, aut externam adiacentiam, namq; , vt ait Dur. humana natura aduenit personæ diuinæ iam completæ, in idem, quoad suppositum incidens, absq; inherētia: & hætenus, inquit, dici potest naturā humanam accidentario coniungi, &c.

SED redeamus eo, vnde defluximus: vt sit natura humana Verbo coniuncta per similes habitui, hoc tamen interest, quia natura humana est vnum hypostasi: & supposito cum Verbo Dei, ille enim homo qui est IESVS Christus, non alia subsistentia subsistit, quam diuina & increata: neq; hominis illi est aliud suppositum, quam diuinum: At habitus non est vnum hypostasi ac supposito cum habente: alia est enim vestis, & alia habentis vestem subsistentia: aliudq; suppositum.

AD hæc: habitus largitur habenti esse accidentarium, humanitas verò attulit Christo esse substantiale.

SECUNDVVM argumentum ita explicatur. Natura humana vt non pertineat ad essentiam Christi, qua Deus est, pertinet tamen ad essentiam Christi, qua hic homo est: Etenim natura humana sic est assumpta à Verbo, vt nō in ea solum, verum etiam ex ipsa suppositum illud diuinum subsistat: constituit enim natura humana Verbo coniuncta ipsam Verbi personam in esse humanæ personæ, ac quatenus constituit ipsam naturæ humanæ hypostasim, efficit vt Verbum Dei sit hic homo. Interest tamen inter suppositum humanum: & suppositum diuinum vt humanum: quoniam suppositū humanum, in & ex humana natura subsistit naturaliter: at suppositum Verbi in & ex humana natura per gratiam, ac diuinam liberalitatem subsistit. Namq; diuina bonitate & beneficentia effectum est, vt humana natura diuinæ personæ Verbi coniungeretur, ac proinde illud idem diuinum suppositum fieret humanæ naturæ suppositum. Ex quo iam intelligitur diuinam illam Verbi hypostasim, esse diuinæ naturæ hypostasim internè & naturaliter, humanæ verò, externè, & gratuito.

Caiet. 3.  
p. q. 2. ar.  
6. ad. 3.

SVNT qui vnionem hypostaticam distinguendam existiment: namq; vniri ac coniungi bifariam res possunt hypostasi, vno modo vt in sint in hypostasi: & eidem coniungantur: altero modo vt non solum in sint in hypostasi: verum etiam rei illi secundum hypostasim coniungantur: coniungi verò alicui secundum hypostasim, est rem aliquam ita inesse in hypostasi,

vt

vt hypostasis in illa, & ex illa subsistat. Hinc sequitur accidentia coniungi hypostasi: nempe quæ insunt in hypostasi, non tamen rei coniungi secundum hypostasim: quandoquidem hypostasis neq; in forma accidentaria: neq; ex forma accidentaria subsistat. Cum igitur natura humana sic sit copulata verbo: vt in illa & ex illa subsistat vt supra docuimus: efficitur, vt eidem coniungatur secundum hypostasim. i. secundum subsistentiam: ac proinde non accidentario: sed secundum substantiam.

TER TII argumenti explicatio est huiusmodi. Duplex est instrumentum: coniunctum vnum, & separatum alterum. Instrumentum separatum non assumitur ad vnitatem hypostasis: neq; hypostatica vnione ei, qui eo vtitur, coniungitur. Vt satis declarant ascia: & gladius quibus homines vtuntur. Instrumentum tamen coniunctum hypostatice vnitur ei, qui eo vtitur: vt manus: aut caput: partes enim totius coexistunt, vt ita loquar, ac consubsistent toti. Natura verò humana est instrumentum coniunctum diuinitatis, non autem separatum: ac proinde Verbo hypostatice coniungitur, & secundum substantiam.

EST tamen hoc loco magnopere notandum: non fuisse effectam coniunctionem naturæ humanæ cum Verbo diuino per modum instrumenti: partim quia instrumentum quæ instrumentum est non adsumitur adducitur ad vnitatem hypostasis: At humana natura sic est diuino Verbo coniuncta vt fuerit ad vnitatem hypostasis assumpta: partim quia toti trinitati effecta fuisset coniunctio: nã vnio instrumentaria qua huiusmodi in efficientia consistit: iam quæcunq; Christus interuentu naturæ humanæ exequebatur: eadem & pater, & spiritus sanctus exequebantur. Pater, inquit, in me manens ipse facit opera: Non igitur natura humana Verbo Dei est coniuncta per modum instrumenti: vt sit tamen instrumentum: instrumentum autem coniunctum: non separatum: quo pater, filius & spiritus sanctus ad diuinas actiones obeundas vtentur.

Ioan. 14.

CVM itaq; admirabilis hæc humanæ naturæ cum Dei filio coniunctio: sit coniunctio in essendo, non vero in efficiendo, natura enim humana sic coniuncta est Verbo, vt ad communionem diuini esse sit assumpta: non autem vt sit instrumentum solum diuinæ efficientiæ: item hanc coniunctionem illud consecutum est, vt Deus esset homo: non solum autem vt hominis interuentu, actiones obiret: sequitur minus recte comparari huiusmodi vnionem cum coniunctione animi cum corpore ceu instrumento coniuncto, id quod paulo post diligentius exquiremus.

AC

Cyrrillus  
in episto  
la ad mo  
nachos  
Ægypti.

AC vnionem hanc esse essentialem non instrumentariam, Cyrillus author grauisimus declarat his verbis, hunc Emanuelem, non tamquam instrumenti officio assumptum, testatur scriptura, sed tanquam Deum verè hominem effectum. Porro cum sancti diuinorum mysteriorum interpretes naturam humanam instrumentum Verbi esse dicunt, id accipiendum est per quandam consecutionem. Nam ex vnione, vt ita loquar, in essendo consecuta ac profecta est vnio in efficiendo: illa enim prior est, hæc posterior, nobis tamè cognobilior, &c.

Phili. 2.

HÆRETICORVM argumentum diluitur negata propositione minore iam enim ostendimus in Christo esse vnicū duntaxat suppositum, idq; diuinum: quod in duabus naturis humana. f. & diuina subsistit. Valeat ergo impiissimus Nestorius qui duas Christo hypostases tribuens: naturam humanam assumptam fuisse asseruit per modum instrumenti, non per subsistentiam, &c.

### Quæstio. IX.

*Vtrum in rebus creatis reperiatur vnio & coniunctio aliqua:  
cui hæc qua de agitur, sit similis?*

¶ QVONIAM D. Paulus hanc sacratissimam vnionem cum vnione habitus, & applicatione: siue accomodatione ad habentem comparatam esse voluit: postulare hic iam locus videtur, vt exquiramus: Anne in rebus à Deo effectis, vnionis aliquod genus cernatur, cui hæc, qua de agitur, vnio similis esse videatur. Conuenit igitur inter Theologos de affirmatione: varij tamen varia proferunt vnionum genera: in quibus Scotus hanc vnionem similitam esse asserit vnioni ei qua forma accidentaria cum re subiecta coniungitur. Etenim in huiusmodi coniunctione duplex cernitur habitudo siue affectio accidentis ad rem subiectam: vna informantis ad rem quam informat: altera posterioris ad id quod est prius è quo forma accidentaria pendet, non tanquam ex causa (nisi forte vt materia, id quod recidit in priorem affectionem) sed tanquam ex terminante ipsius actualem existentiam: quod ipsum terminationis genus dicitur, sustentare dependentiam, siue sustentificare. Inter vtramq; habitudinem interest plurimum. Nam illa prior imperfectionem continet, scilicet potentiam rei subiectæ, quæ à forma accidentaria ceu ab actu secundo perficitur: hæc vero posterior habitudo,

Scot. 3.  
sen. d. 1.  
q. 1.



do, nihil imperfectionis affert rei subiectæ: sed prioritatē dūtaxat naturæ, & vim ad sustentandam alterius naturæ dependentiam.

VNIONEM igitur Verbi incarnati per similem esse dicit vnioni accidentis cum re subiecta, quo ad posteriorem habitudinem dūtaxat: Namq; humana natura affecta est ad diuinū suppositū, ceu ad id quod terminat, quodue sustinet ipsius dependentiam.

ADDE, inquit, Gabriel, quia accidens & res subiecta cōmunem habent per cōcretionem, denominationem, & appellationem. Etenim ex albedine res subiecta dicitur alba: & quæ insunt in re subiecta, dicuntur in accidente per concretionem: nam album est musicum: album est deambulans: albū est homo: est animal. Ad eūdem modum ex humana natura assumpta, Dei Verbum hominis appellationem consecutum est, & quæ Dei sunt propria, in homine illo dicuntur: dicitur enim homo ille, creator, dicitur Deus omnipotens. Accedit ijs, ait Bona. quia forma accidentaria accedit rei, naturali essentia perfectæ, neq; largitur illi esse: sed hærens in supposito alieno, ab eodem sustentatur. Adeundem prorsus modum humana natura accessit diuinæ personæ iam absolutæ, & perfectæ, neque largitur illi esse: sed ad communionem diuini esse assumpta, diuina hypostasi sustentatur.

Gabr. 3.  
sent. d. 1.  
q. 1.

Bona. 3.  
sent. d. 6.  
q. 3.

SVNT qui hanc comparisonem minus probent: siquidem per vtramq; habitudinem forma accidentaria rei subiectæ accidentario coniūgatur: vnio autem naturæ humanæ: ac coniunctio cum diuina verbi hypostasi substantialis est. Hæc Caietani refutatio minus valet ad infirmādā allatam comparisonem: siquidem propositū est vris Theologis afferre aliquod vnionis genus, quod sit simile vnioni Verbi, non idem: iam vero similitudo non est aliquorū plena cōsensio: sed in certis quibusdā conspiratio.

Caiet. 3.  
p. q. 2. ar.  
6.

DVRANDVS similem esse tradit hanc diuinam vnionem insitioni: qua vnus arboris ramus, & surculus alteri inseritur. Etenim in vnione per insitionem tria conspiciuntur: scilicet continuatio rami insiti cum arbore cui inseritur, quæ fit per contactum: vtriusque naturæ distinctio: non enim id quod per insitionem adiungitur, in naturam eius cui adiungitur, cōmutatur. Est præterea vnitas suppositi: nam idem vtriusq; rami truncus est, vno eodemq; trunco vtriusq; arboris surculi sustentantur. Excepto itaq; primo membro, reliquis duobus membris vnio Verbi incarnati est per similes. Nam humana natura, & diuina in vna Verbi hypostasi coniungūtur, conseruata interim vtriusq; naturæ proprietate: estq; natura humana in diuino supposito quasi insita: & ab eodem sustentata. Huic comparationi diuinæ

Du. 3. s.  
d. 1. q. 1.

literæ

litere videntur admodum suffragari: quæ Christum radicem Davidis appellat. Ego, inquit Christus apud Ioannem in Apocalypsi, sum radix David: stella splendida: & matutina. Quemadmodum enim ex radice, siue ex trunco: & ex ramo insito fit vnum quiddam insitionis interuentu: ita ex diuina persona ceu ex radice ac trunco, & ex humana natura, ex Davidis semine propagata, effectus est vnus Christus, interuentu incarnationis ceu cuiusdam insitionis. Itaq; diuina persona est truncus: diuina natura naturalis huius trunci ramus: humana natura ex virgine sumpta, & diuinæ personæ coniuncta, ramus est insitus: ipsa incarnatio, veluti quædã est insitio.

CAIETANO hæc comparatio non probatur: partim quia huiusmodi locutio metaphorica est: partim quia ramus insitus & naturalis non sunt vnã hypostasi: nempe qui specie dissident: iam autem quæ dissident specie substantiæ, vt sint vnum numero fieri non potest. Etenim auctore Aristo. 5. Metaphy. quæ sunt vnum supposito: sunt vnum numero: quæ autem sunt vnũ numero, sunt vnum specie: non tamen contra. Quæ igitur dissident specie: numero etiam differant necesse est: ac proinde hypostasi. Videntur tamen ramus insitus & ramus naturalis esse vnũ supposito: propter continuationem in vno eodemq; trunco.

NOS contra illud obijcimus Caietano: quæcunq; sunt vnũ continuitate, sunt vnum numero ac supposito: sed ramus insitus: & ramus naturalis in trunco cohærescunt: sũt igitur vnũ supposito, totali tamen, & radicali, vt ita dicam, non tamen partiali: vt manus: & vlna, quæ cum manu cohærescit.

**The. cõ-  
gen. c. 41.** D. Thomas hanc vnionem per similem esse asserit vnioni animi cum corpore, namq; anima corpori coniungitur bifariam & vt forma materiæ: & vt instrumento, quo vtitur ad obeundas vitales actiones. Prior illa coniunctionis ratio ab hoc sacrosancto mysterio aliena est: namq; anima sic iungitur corpori vt materiæ: vt ex anima & corpore certa quædam natura oriatur: At humana: & diuina natura sic coniunctæ sunt, vt interim ex illarum coniunctione non extiterit vna aliqua natura. Posterior tamen coniunctionis ratio huic mysterio congruit. Etenim diuina natura humana natura sibi coniuncta vtitur ceu instrumẽto cõiuncto.

NOBIS non placet huiusmodi similitudo: partim quia vnio instrumentaria posita est in causando: ac proinde huiusmodi vnio in actione consisteret: vt visum est Nestorianis: partim quia instrumentum coniunctum, & id cuius est instrumentum, sunt indiuisa & cohærentia, diuina autem & hu-

mana

mana natura non sic habent: nisi forte dicas hasce duas naturas esse indiuisas & vnitas hypostasi: id quod verissimum est, & haec tamen instrumentaria similitudo, non omnino aspernanda est: siquidem prisci diuinorum mysteriorum interpretes ipsam recipiunt, asserentes humanam Christi naturam esse diuinitatis instrumentum.

**CÆTERVM** illud omnino fatendum est, hanc Verbi vnionem esse singularem: iuxta illud Hier. Nouum faciet dominus super terram, &c. Neque posse in rebus effectis aliquod vnionis genus reperiri, qui cum hoc valeat comparari: quod cum hoc mysterio omnino, licet aliqua ex parte, congruat atque consentiat: præ ceteris tamen vnio per in-sitionem, est huic sacrosancto mysterio accommodata.

Hier. c. 31

### Quæstio. X.

*Vtrum hæc vnio sit creatum aliquid, & vtrumue sit in relatis?*

**ILLVD** præterea exquirendum diligenter est, id quod ad qualitatem huiusmodi vnionis pertinet. Vtrum huiusmodi vnio sit creatum aliquid, vtrumue sit in relatis? Ac esse increatum aliquid hinc vel maximè ostendi potest, quia huiusmodi vnio inest in diuina persona: Etenim vnio in rebus inest ijs, quæ inuicem coniunctæ sunt: at diuina persona humanæ naturæ est coniuncta: inest igitur in ipsa vnio: At quod inest in Deo, diuinum quiddam est & increatum: est igitur vnio hæc, quæ nobis est ad explicandum proposita, diuinum aliquid, & increatum.

**ACCEDIT**, quia huiusmodi vnio: aut significat actionem: cuius interuentu Deus creaturam secum coniunxit: aut habitudinem aliquam, relationemue rerum coniunctarum: fieri non potest vt significet relationem, vt iam ostendimus: significat igitur diuinam actionem: At diuina actio est ipsa met diuina essentia: est igitur vnio diuina essentia: ac proinde increatum aliquid.

**PORRO** vnionem non esse in relatis hinc perspicitur potest. Vnio Verbi incarnati est substantialis, non accidentaria, vt docuimus: at relatio est in accidentibus: non est igitur huiusmodi vnio relatio.

**ADDE**, quia omnis relatio, aut quantitatis aut mensuræ, aut actionis passionisue, auctore Aristo. est consequens: non videtur autem cuius sit conse-

Arist. 5.  
Metaph.

**E** quens

quens huiusmodi relatio: non quantitatis aut mensuræ, vt satis liquet, neque  
 itidem actionis passionis uè: partim quia actio, & passio versantur in quali-  
 tatibus alteratiuis: in quibus tamè hæc unio minime versatur: partim quia  
 huiusmodi relatio omnibus diuinis personis cõueniret: quippè quarum actio  
 externa est indistincta & indiuisa: authore Aug.

ITEM si unio esset relatio: diuinum Verbum esse humane nature supposi-  
 tum nihil esset aliud, quam terminare dependentiam relatiuam nature hu-  
 manæ ad ipsum uerbum: itaque fieret vt Christus esset homo relatiuè, & ac-  
 cidentario: immo uero falsum esset dicere Christum esse hominem: sed dici  
 debuit, esse ad hominem affectum. Nam unum relatorum non dicitur alterum:  
 sed ad alterum potius affectum.

ADIUNGE his, quia nihil idem sui ipsius est consequens: at qui unio idem  
 ualet quod coniunctio: non est igitur coniunctionis consequens.

CÆTERVM unionem esse creatum aliquid, hinc uel maximè efficitur,  
 quia non semper fuerit, sed certo quodam tempore cæpit esse: iam nihil tẽ-  
 porarium est æternum, & increatum.

ESSE uerò in relatis hinc colligitur: quia unio hoc ipsum quod est, alterius est.  
 Est enim unio rerum coniuictarum siue unitarum unio, & unita unione dicun-  
 tur unita, &c.

HUIUS quæstionis hæc est explicatio, unio duobus modis accipitur, se-  
 cundum formam. s. & secundum materiam: unio secundum materiam est  
 ipsa realis unitorum coniunctio, indiuisio, & conglutinatio: unio secūdu  
 formam est quædam affectio, siue relatio unius extremi uniti ad alterum, ex  
 ipsa unitarum coniunctione & indiuisione profecta. Nam unitum non ad  
 se dicitur sed ad alterum.

ILLVD præterea adiungimus indiuisiōnem, & indistinctionem nature  
 assumptæ: & personæ assumptis, positam esse in unitate, siue in diuisione  
 & indistinctione suppositi: siue subsistentiæ: & ipsius esse, vt quibusdam pla-  
 cet, nam humana natura ad cõmunionem diuini suppositi, subsistentiæ &  
 esse, assumpta est.

HINC iam consequitur in hoc sacrosancto incarnati Verbi mysterio, du-  
 plicem cerni unionem: unam, quæ est relatio: alteram, quæ est cõmuniō:  
 siue indiuisio suppositi, & esse, in qua illa prior fundatur: quæ uè est in causa,  
 quod humana natura unita, ad uerbum cui coniungitur, referatur. Illa prior  
 est quiddam creatum, re ipsa existens hærensque in natura humana as-  
 sumpta: intelligentia duntaxat in Deo: vt quæ Deo accesserit, nulla ipsius  
 ante-

antecedente mutatione: mutata tamen creatura. Eo enim quod humana natura est ad diuinam Verbi personam assumpta: est orta in humana natura, quædam ad verbum assumens dependentia relatiua. Posterior tamen vnio, est diuinum quippiam, æternum & increatum. Nam suppositum, subsistere & esse, in quibus diuina & humana natura sunt indiuisæ, sunt ipse Deus & diuina substantia. Est, quod obijci contra possit, illa suppositi & esse indiuisio temporaria est, vt satis constat: non igitur est aliquid increatum. Hoc facile explicatur, illud vnum esse: illud vnum subsistere, diuinæ & humanæ naturæ Christi: æternum quippiam increatum, ac diuinum est: cæterum communicatio illius vnus substantiæ, & esse, temporaria est.

ITA que cum indiuisio suppositi & esse, nihil sit aliud, quam esse vnum supposito & esse: illud autem vnum suppositum sit æternum: relinquatur cõiunctionem illam admirabilem: quoad id quod ponit in ipso esse, esse æternum aliquid, & increatum: quoad id vero, cuius interuentu huiusmodi vnitas communicata est, temporarium quiddam esse, est autem illud assumptio.

EST igitur, vnio duarum naturarum in Christo, relatio quædam creata, consequens vnitatem personalem earundem naturarum: quo efficitur, vt natura diuina & humana, sint extrema: vnitas in persona, fundamentum, habitudo vero vnus extremi vniti ad alterum sit relatio: quæ dicitur vnionis.

HINC iam perspici potest explicandorum argumentorum ratio. Primum itaque argumentum ita explicatur. Vnio fundamentaliter est substantia: formaliter vero est accidens: Adde quia illa vnio dicitur substantialis, quia terminatur ad esse substantiale, Deum videlicet esse hominem. Quocirca vnio hæc, quoad id quod significat, relatio est: quoad id vero, ad quod terminatur, est substantialis.

SECUNDI argumenti explicatio est huiusmodi. Relatio vnionis consequitur actionem, & passionem, hoc est, assumptionem tam actiuam, quam passiuam: quæ ipsa assumptio effectiuè ipsi Triadi conuenit: terminatiuè vero soli filio: is siquidem naturam humanam ad se sumpsit.

Tertio argumento facile occurritur. Etenim Verbum illud diuinum humanæ naturæ coniunctum, primo dependentiã suppositalẽ nature humanæ terminat, deinde vero ac cõsecutione quadã, dependentiã relatiuã. Quo efficitur, vt incarnari, siue humanã naturã sustentare: primũ sit naturã ipsam humanã, sic diuino Verbo cõiungi, vt vnũ quiddã sit in vtraq; natura subsistens.

deinde vero, ac consecutione quadam, nihil fit aliud quam terminare dependentiam relatiuam ad ipsam Verbi personam, ita fit vt Christus fit homo absolute, non relatione quadam.

Apud. c.  
3. sct. d. 5.  
q. 1. ar. 2.

**QUARTVM** argumentum dissoluitur hoc pacto, vnio vt est relatio, est habitudo quædam inter vnibilia orta ex ipsorum coniunctione: qua de vnione relatiua differimus: ac proinde Aureoli argumeta minus valent ad nostram sententiam refutandam: cum non solum ponamus dependentiã relatiuam, verũ etiam suppositalem: cuius est consequens illa dependentia, quæ posita est in habitudine, & relatione.

**CÆTERVM** de fundamento huius sacrosanctæ vnionis addubitari in hũc modum potest. Omnis recens nata relatio consequitur recentem alicuius rei absolutæ ortum, in vtroque extremo: vel certe in altero extremorũ, at dependentia relatiua vnionis est recens <sup>nata, accessoria.</sup> nata accesserit igitur oportet, ortu recenti rei absolute, non in persona Verbi: igitur in natura humana: At nihil noui est æternum, & increatum: non igitur fundamentum huiusce vnionis est aliquid æternum: & increatum. Ac totius huius ratiocinationis propositio ita ostenditur. Id quod omnino, quod ad se attinet, habet eodem modo: etiam relatione ad quoduis alterum eodem modo habet: quare si quicquã relatione ad alterum aliter sit affectum, sit etiam in seipso mutatum oportet.

Arist. 5.  
phy.

**ADDE**, quia alioqui relatio motum vel mutationem immediatè terminaret: contra quod sentit Aristo. docet enim motum primo non finiri relatione, secundario tamen & consecutione quadam finiri. Etenim relatio motu ad rem absolutam terminato, acquiritur: nam cum actio Ioannis, ad substantiam quæ est Petrus terminatur, oritur in vtroque extremo mutua affectio & relatio: in Ioanne quidẽ relatio paternitatis: in Petro vñ relatio filiationis. Ponenda est igitur in natura humana assumpta, res aliqua absoluta, ad quam sit assumptio terminata: cuius uè sit consequens relatio vnionis, & cæt.

Scot. 3.  
sen. d. 1.  
q. 1. ar. 3.

**IOANNES** Scotus nihil absoluti huiusmodi putat esse ponendum, id quod hisce rationibus confirmat. Illud absolutum si extaret, necessario esset coniunctum verbo: Etenim diuinum illud verbum vt per se primo sibi naturam humanam coniunxerit: concomitanter tamen omnia quæ inerant in humana natura sibi coniunxit. At nulla entitas huiusmodi videtur extare.

**ACCEDIT.** Quia si illud absolutum esset, aut esset in accidentibus, aut in

in substantijs: non in accidentibus. Nam humana natura prius natura omni accidente est assumpta à diuina persona: prius enim est assumpta in se, quàm in quouis posteriori: substantia autem, natura omne accidens antecedit. neque est in substantijs: illa siquidem substantia: aut esset eadem materiæ, aut formæ, aut toti ex utroque composito: quouis autem modo sit eadem, illud consequitur vt distractis vnionis extremis, vnio ipsa permaneat: nam distractis extremis adhuc fundamentum manet: nempe quod sit idem materiæ aut formæ, aut toti composito: at manente fundamento manet relatio: distractis igitur extremis vnionis manet ipsa vnio: quod pugnat. Accedit quia non posset natura humana à Verbi persona diuelli: nam semper manente relatione vnionis, vnibilia manēt vnita.

HISCE igitur argumenris Scotus persuasus, nihil absoluti statuendum esse censet in natura humana, quod fundet nouam illam vnionis relationem: quoduè necessario concomitetur vnio relationis: sed asserit illam vnionem immediatè fundari in natura humana, esseque immediatum terminū assumptionis. Quid est ergo illius vnionis efficiens? Respondet interpret Scoti: effectricem illius vnionis causam esse beatā Trinitatē, &c.

PORRO Scotus illa duo aduersaria argumenta explicaturus, tradit triplex esse relationum genus: sunt enim quædam relationes, quæ positis fundamentis continuo ponuntur, nempe quia natura & essentia fundamenti requirat naturam & esse extremi: iam verò posito fundamento, & extremo, ponitur relatio. Hæ sunt relationes creaturæ ad Deum quatenus creator, posita enim creatione, ponitur & res illa, quæ est creatura: qua posita continuo oritur relatio creaturæ ad creatorem. Item posita generatione Petri terminata ad rem quæ est Ioannes: cōtinuo existit mutua vtriusque ad vtrumque affectio: & relatio.

SVNT & aliæ relationes: quæ non necessario existunt posito fundamento: siquidem esse fundamenti non necessario coexigat extremum: vt relationes similitudinis & æqualitatis: non enim posito albo iam ponitur similitudo: cum non necessario album alterum ponatur. Est tertium relationis genus: quod ipsum etiam positis fundamento, & extremo, non necessario ponitur: sed potest poni, vel non poni: Quandoquidem esse vnus non coexigit esse alterius: hoc genere continentur omnes relationes vnionum & coniunctionum absoluti cum absoluto: positis enim extremis potest fieri coniunctio, vel non fieri.

INTEREST autem inter hoc postremum genus: & illa duo priora quo-

niam hoc postremum genus extrinsecus accedit: nempe quod acquiratur, nullius rei absolutæ acquisitione: quæ sit relationis fundamentum, sed actio vnitiua ad solam vnionis relationem terminatur. Illa vero duo priora relationum genera intrinsecus adueniunt: quo efficitur, vt non possint acquiri, nisi recenti rei absolutæ acquisitione: idq; vel motus: vel mutationis interuentu.

**HINC** iam constat argumentorum dissolutio: non enim omnis relatio est consequens acquisitionis alicuius rei absolutæ nouæ, vt satis declarant tertij generis relationes. Aristoteles autem differit de relationibus primi ac secundi generis, quæ intrinsecus adueniunt: terminatq; motum: vel mutatione non primo. Ad hoc genus pertinet sex illæ postremæ categoriæ: Etenim vbi, cum respectus sit quidam, non primo motum localem terminat. Hæc est Scoti sententia.

**HÆC** porrò Scoti sententia refellitur hoc pacto: omni actione, motu ac mutatione acquiritur aliquod esse: aut igitur absolutum, aut relatum: non relatum: igitur absolutum, omnino igitur relatio consequitur aliquod absolutum esse recens acquisitum: nulla igitur relatio immediatè actionem terminat: alteram deiuncti partem ita ostendo: nã quod acquiritur motu mutationeue: aut est substantia, aut quantitas, aut qualitas, aut locus: hæc autem sunt in absolutis: nullum igitur esse relatum motu, mutationeue immediatè acquiritur.

**CONTRA** nobis obijcit Scotus, vbi acquiritur motu: at vbi non significat formam absolutam, sed respectiuã: forma igitur aliqua respectiua immediatè motu acquiritur. Respondemus aduersario id primo terminare motum, quod primo motu acquiritur: at locali motu primo acquiritur locus: locus igitur primo localem motum terminat: cõsecutione tamẽ quadã acquiritur vbi, nam cū id quod mouetur locum obtinuit: cõsecutumq; est esse in loco, tum relatio quædam existit in corpore loci regione definito ad locum definientem, cõtinentemq;: Quo efficitur, vt illa loci ad re que cõtinetur loco, affectio & relatio, & contra, nouum esse consequatur, esse videlicet in loco.

**ADDE** quia fieri nullomodo potest vt aliquid ad aliud re ipsa sit affectum: quin aliter & ipsum in se ipso habeat: nam quod omnino in se eodem modo habet: qui fieri potest vt sit ad aliud re ipsa affectum? At qui aliter ipsum in se habere non potest, nisi acquisita re aliqua absoluta: omnis igitur cuiusque ad aliud relatio, absolutum aliquod esse nouum consequitur.

**ITEM** neq; actio vnitiua immediatè terminatur ad relationem vnionis:

nam



nam actione vnitiua aliquod esse nouum acquiritur absolutum immediatè: non igitur acquiritur immediatè ipsa relatio. Antecedens illud apertissimè declarant omnes coniunctiones: nam cum albedo corpori coniungitur, acquiritur esse album: cum animus corpori iungitur, acquiritur esse viuum: hæc autem in absolutis sunt, non in relatis, vt satis constat: distrahtis autem extremis conseruatisque, illa essendi genera amittuntur, scilicet esse album, & esse viuum: & variatis secundum numerum extremis: itidem secundum numerum euariantur: nam si albedo per se existeret, possetque sine sui interitu auelli à re cui coniungitur, alteraque albedo illi eidem rei adiungeretur, res illa esse album consequeretur à priori numero differens.

**EX** hisce iam multa conficimus ad propositæ quæstionis explicationem valentia: in quibus illud est primum. Relationem vnionis Verbi ac naturæ humanæ nequaquam in ipsa natura humana fundari immediatè, vt visum est Ioanni Scoto, sed consequens esse aliquod absolutum esse nouum coniunctione extremorum, siue actione vnitiua acquisitum: siquidem ostendimus nullam relationem posse esse immediatum terminum actionis.

**SCISCITABERE** quod nam sit illud esse absolutum nouum coniunctionis actione acquisitum? Dicimus illud esse aliud nihil, quam esse hominè: verbum enim Dei assumptione humanæ naturæ consecutum est, vt esset homo: quod quidem essendi genus est in substantijs: siue vt apertius loquar, est substantiale. Ad hoc igitur esse substantiale assumptio siue coniunctio terminata est: hoc ipsum efficit relationem vnionis: hoc ipsum amitti potest extremorum distractione, quemadmodum eorundem coniunctione efficitur: hoc idem recens natum est. Non enim ab eternitate Dei filius extitit homo: estque fundamentum proximum huiusce vnionis: nam vnitas personæ est fundamentum remotius.

**SECUNDO** conficimus illud nouum esse, vnionis relationem efficiens, esse verbo coniunctum: id quod vel hinc maxime liquet, quia esse hominem consistit in compositione suppositi & naturæ: est igitur esse hominem diuino supposito coniunctum: quod ipsum variū esset supposito euariato: nõ enim iam esset idem numero esse hominem, quemadmodum neq; idem numero homo: propter hypostaseos euariationem.

**TERCIO** colligimus illud absolutum, esse in substantijs: esseq; idem huic homini qui est Christus: ac proinde, si Verbum diuinum humana sese na-

tura exueret & spoliaret, maneret quidem eadem numero humana natura: non tamen idem numero hic homo: sed alius iam foret hic homo in humana natura subsistens. Quocirca hac distractione effecta, vnionis relatio minime remaneret.

**QVARTO** illud concludimus relationem vnionis esse verè relationem, ac cum cæteris essentia & ortu consentire, nulla siquidem relatio per se primo efficitur, sed nouum esse absolutum consequitur: sic autem habet relatio vnionis, quemadmodum satis superq; docuimus. Hæc fere ex Caietano decerpimus: quæ nobis vehemèter probatur. Ceterùm de assumptionis huius diuinæ extremo, paulo post latius ac fusius disseremus.

Caiet. 3.  
p. q. 2. ar.  
8.

**EXPENDE** igitur in hac sacratissima vnione tria. scilicet naturam humanam: & diuinam: intimam earum inter se coniunctionem: quæ posita est in vnitate personæ, & esse: ipsam vnus ad alteram dependentiâ relatiuâ: Ex quo iam efficitur, vt incarnari, sit dependentiâ suppositalē humane nature sustentare, ac terminare, idq; primo: nā secundario incarnari, est dependentiâ relatiuam nature assumptæ ad personam assumentē terminare.

Greg. 1.  
sēt. d. 27.  
q. 2.

**SVNT** qui nullam huiusmodi relationem vnionis ponant, distinctam ab extremis vnitis: verbo. scilicet & humana natura: sed vnionem nihil esse aliud affirmant, quam naturam humanam & verbum vnita, non per aliquod medium, sed ratione quadam homini incomprehensa. Nititur autem hæc opinio hoc vel maximè fundamento: quia denominatio nihil significat adiunctum extremis denominatis: Quo efficitur vt vnio nihil significet adiunctum extremis vnitis. Item similitudo nihil adijcit extremis similibus: sed significat res ipsas similes.

**QVOD** tamen fundamentum esse falsum hinc pèspici vel maximè potest, quia si ita res haberet nihil interesset inter abstractum, & cōcretum: interest autem plurimum: nam abstractum formam ipsam duntaxat significat: cōcretum vero eandem formā significat, interim rem formæ subiectā cōnotās: quæ ipsa re distinguitur à forma denominatē: non est igitur idem paternitas & pater: similitudo & simile: vnio & vnita.

**ADDE** quia quæcūq; sunt eadem re, eandem attributionem recipiūt: quod enim in vnum conuenit, & in alterum: at forma denominans, & res denominatæ non recipiūt eandem attributionem: nō igitur sunt vnum & idem.

Assumptio hinc liquet, quia aliquid attribuitur similibus extremis, quod ipsum non attribuitur similitudini: similia enim dicuntur alba, similitudo autem ipsa non dicitur alba: sed consensus in albedine. Ad eundem etiam

modū

modum extrema vnita in Christo dicuntur Deus & homo: at vnio ipsa non dicitur Deus & homo: est igitur vnio, aliqua entitas distincta à rebus vnitis.

HANC porrò entitatem Thomas, Scotus, Ochamis, Durandus: & ceteri Theologi horum studiosi in relatis ponendam esse statuunt: soli Gabrieli visum est, hanc vnionem esse entitatem quandam absolutam: nempe, quæ sit quædam qualitas humanæ naturæ diuinitus tributa: cuius interuentu eadem natura effecta est idonea, quæ à verbo assumeretur: quæue ad diuinam Verbi personam dependeret. Ita de Gabrielis sententia, vnio illa personalis quatuor declarat, scilicet diuinam naturam: humanamq;: intimam ipsarum præsentiam: donum illud supernaturale infusum, cuius interuentu natura humana & perficitur, ornaturque: & diuina Verbi hypostasi subnititur, ac sustentatur. Dicitur autem illa qualitas naturæ humanæ cœlitus tributa gratia vnionis: gratia quidem quia diuino munere est humanæ naturæ concessa: vnionis vero, quia est id, quo formaliter constat illa vnio: ac proinde non potest inesse in natura humana, nisi sit assumpta.

HANC huius Theologi sententiam expendemus: cum de gratia vnionis disputauerimus: illud sit persuasum, vnionem non esse formam aliquam absolutam: sed relatum, in natura humana inhærentem, & in personali vnitate fundatam.

### Quæstio. XI.

*Vtrum relatio vnionis sit relatio equiparantiæ?*

**R**ELIQUA est illa quæstio: qualis videlicet sit huiusmodi relatio? D. Thomashac de re non sibi constat: nam tertio Theologiæ libro hanc relationem, æquiparantiæ relationem esse tradit: siquidem vtrūq; extremū denominet: nam vt humana natura dicitur vnita diuinæ: ita & diuina e cōtrario dicitur vnita humanè naturæ. Cæterum alibi negat vnionem esse in relatis quæ dicuntur æquiparantiæ: siquidem natura humana, & diuina nō eodem modo sunt affectæ in hac vnione. Etenim nā humana refertur ad Verbi personam, cui iungitur hypostaticè, re ipsa: At verbum ipsum refertur ad naturam humanam sibi coniunctam, ratione duntaxat: & intelligentia. Hęc eadem sententia probata est, Thomæ Augustiniano: quandoquidem relatio æquiparantiæ mutua parèq; in vtroq; extremo affectionem: & de-

Gabr. 3  
sent. d. 4  
q. 1. ar. 1.

Thom. 3.  
sent. d. 5.  
q. 1. ad. 2.

Thom. 3.  
sent. d. 5.  
q. 1. ar. 8.

Thom. 3.  
sent. d. 5.  
q. 1. ad. 2.

Tho. ar.  
gē. 3. sen.  
d. 5. q. 1.  
ar. 4.

pendentiam requirat: hæc autem natura parq; dependentia, vt cernatur in vnione coniunctione uè creaturæ cum creatura, non tamen in coniunctione creaturæ cum creatore.

Scot. 3.  
sent. d. 1.  
q. 1. ar. 2.

IOANNES Scotus ob eandem rationem hanc, de qua differimus, vnionis relationem, negat esse relationem æquiparantiæ: namq; huic relationi in altero extremo: scilicet in verbo nulla, vel certe nulla relatio realis respondet. Quocirca hanc relationem, disquiparantiæ relationem esse confirmat, quã eandem appellat relationem ordinis, siue dependentiæ: Etenim humana natura ordinem quendam habet ad diuinam personam: ex ipsaq; dependentiam sortitur, non quidem dependentiam effectus ex causa, sed dependentiam vt ex termino: humana siquidem natura affecta est ad verbum, ceu ad suppositum personans & sustentans ipsam naturam humanam in se, idq; vnitate personæ. Est igitur relatio vnionis, relatio disquiparantiæ, ordinis & dependentiæ vnus extremi ad alterum, ceu ad hypostasim externam, qua illud extremum subnititur, ac sustentatur. Hæc nobis sententia probatur.

Caiet. 3.  
p. q. 2. ar.  
8.

CAIETANVS cupiens dissidentes hæc inter se sententias conciliare, adhibuit huiusmodi distinctionem. Relatio vnionis potest accipi duobus modis: vno modo secundum formalem rationem, altero modo, secundum esse reale: priori modo est relatio æquiparantiæ, posteriori non item: siquidem in sola natura humana habet esse: in verbo autem est ens rationis solum: relatio vero æquiparantiæ eque affecta est ad vtrūq; extremū, &c.

mod. 1.  
p. q. 1.  
ar. 2.

EXISTIT tamen hoc loco haud contemnenda dubitatio: nam si relatio vnionis est ens rationis in verbo: sequitur Verbi personam non esse humanæ naturæ realiter vnitam: sed intellectu solum: & ratione: quod tamen falsissimum est, & fidei, religioniq; nostræ contrarium: illa siquidem vnione effectū est, vt & homo esset Deus vere, ac realiter: & Deus itidem esset homo vere & realiter: Porro vim consecutionis ita confirmo. Quo pacto quicque affectum est ad vnionem: eodem modo se habet ad esse vnitum: at vnio in verbo est ens rationis: est igitur vnitum humanæ naturæ ratione dūtaxat. Ioannes Scotus non diffitetur verbum esse vnitum humanæ naturæ vnione rationis, vel certe nulla vnione: siquidem in verbo nulla sit omnino ad assumptam naturam dependentia: sed verbum eatenus dicitur vnitum humanæ naturæ, quatenus terminat dependentiam naturæ humanæ. Eadē est D. Thomæ sententia: vt satis declarat primi argumenti explicatio libr. 3. q. 2. ar. 7. sic enim inquit. Hæc vnio non est in Deo realiter, sed secundum rationem tantum, dicitur enim Deus vnitus creaturæ, ex hoc quia creatura

Thom.  
3. P. q. 2.  
ar. 7. ad. 1.

est vnita Deo: ita de sententia D. Tho. Deum vniri creaturæ est aliud nihil, quam terminare relationem vnionis naturæ assumptæ ad ipsam personam Verbi. Nulla ergo relatio: nulla dependentia est in verbo, sed terminat dūtaxat relationem vnionis: & dependentiā suppositalem.

**OBIICI** cōtra potest, nam vnitum dicitur vnione vnitum, id igitur in quo nulla est vnionis relatio, non est quod dicatur vnitum: at in verbo nulla est vnionis relatio: non est igitur vnitum. Respondemus esse vnitum capi bifariā, formaliter, scilicet & terminatiuè: illud dicitur vnitū formaliter, quod est vnione reali vnitum: Terminatiue verò, quod relationem vnionis rei vnitæ terminat: priori modo verbum non dicitur vnitum: posteriori vero modo dicitur vnitum.

**CONTENDET** tamen adhuc aduersarius hanc incomprehensibilem: et inenodabilem vnionem euertere: Nam si verbum vnione reali non est humanæ naturæ vnitum: non igitur est eidem realiter vnitum: Dicimus realiter vniri, accipi duobus modis posse, vno modo vt idem valeat quod relatione reali vniri: altero modo vt idem significet quod esse indiuisum supposito: & esse: priori modo diuinum Verbum non est vnitum realiter, posteriori tamen modo est re ipsa humanæ naturæ coniunctum: nam diuina illa persona non terminat quouis modo relationem vnionis humanæ nature ad ipsam, sed vt vna personaliter cum humana natura: ac proinde ob hanc in persona & hypostasi vnitatem Verbum Dei dicitur vere ac realiter humanæ nature coniunctum. Hęc mihi videtur huiusce quæstionis quam facilissima explicatio.

## Quæstio. XII.

*Quid differat vnio, ab assumptione?*

**E**X hisce quę hætenus docuimus intelligi potest, interesse plurimum inter vnionem & assumptionem: Nam vnio relationem: & habitudinem significat. Assumptio vero actionem, & passionem, actionem inquā ex parte assumptis: passionem vero, ex parte assumpti. Est enim assumptio alicuius ad se sumptio: ita assumptionis verbo, & actio assumptis: & assumpti passio continetur. Accedit, quia vnio: & assumptio re ipsa seiunguntur, neq; enim sese mutuo ponunt. Est enim vnio citra assumptionem: neq; enim aut omne vniciens est assumens: aut omne vnitum est assumptū: nam pater æternus

æternus humanam naturam coniunxit filio: non tamen humanam naturam assumpsit: item diuina natura humanae dicitur vnita non tamen assumpta. Ita fit vt latius pateat vnio quam assumptio.

ITEM assumptio ad vnionem comparatur: Est enim assumptio quasi via, vnio verò ceu terminus: terminatur enim assumptio ad vnionem, non primo tamen, sed quadam consecutione: vt paulo post docebimus. Adde his quia vnians sibi quicquam, eidem dicitur vnitum: at assumens, quatumuis ad se sumat nunquam dicitur assumptum.

PRÆTEREA assumptio vtrunq; extremum, agens scilicet & patiens indicat. Est enim assumptio alicuius ad se sumptio: vnio verò nihil huiusmodi indicat: coniunctionem enim duorum solum declarat, nullam interim inter vtrunq; differentiam connotans. Quocirca vnio sine vilo discrimine attribuitur extremis, vtrunq; enim extremum dicitur vnitum: assumptio vero non tribuit appellationem eque ac consimiliter vtrunq; extremo. Etenim vnium dicitur assumens: alterum assumptum.

SEI VNGVNTVR igitur vnio & assumptio re, & ratione: vt satis declarant posita discrimina: idq; vel ex eo maxime ostenditur, quia vnio est relatio consequens assumptionem: iam vero relatio re ipsa distinguitur à motu actione uè, cuius est consequens.

### Quæstio. XIII.

*Quod nam sit assumptionis immediatum extremum?*

QUONIAM verò de assumptionis immediato extremo summa apud Theologos solet esse disceptatio, susceptæ quæstionis ratio postulat, vt hanc ipsam disceptationem exponamus: quæue sit vero similior sententia doceamus.

Thom.  
3. p. q. 2.  
ar. 8.  
Item q.  
3. ar. 1.

SVNT qui diuinam hypostasim immediatum assumptionis terminum esse asserant: nam assumptio est naturæ humanæ ad diuinam Verbi personam assumptio: ita scilicet vt Verbum in ipsa subsistat: assumptionis igitur extremum à quo, est humana natura, extremum vero ad quod, diuina Verbi personalitas.

Scot. 3.  
sent. d. 1.  
q. 1.  
Du. 3. s.  
d. 1. q. 1.

ALIIS contra visum est: Ioannes enim Scotus, & Durandus putauerunt: Assumptionem primo & immediatè terminari ad vnionem: Ac Scoti quidem sententiam iam supra explicauimus: reliquum est vt Durandi sententiam

tiam

tiam exponamus: quam paucis sic complectimur. Neque diuina persona, neque diuina natura possunt esse immediata assumptionis extrema: vt quæ assumptioni præexistant: iam verò motus extremum non præexistit motui, sed motu ipso acquiritur: alioqui frustra suscipiatur motus, vnio tamen ipsa est immediatus assumptionis terminus: nempe quæ assumptione fit acquisita & effecta: iam autem id est terminus actionis, quod actione fit, & acquiritur. Neque est quod aduersarius nobis locum, inquit, obiecit: nam locus non est terminus localis motus: quippe quia præexistat motui: sed mobile esse in loco, quod significatur aduerbio, vbi. Hoc siquidem acquiritur locali motione.

NEQVE est etiam quod aduersarius opponat, relatione non finiri motum, id siquidem vere dicitur de illo relationum genere, quod est quædam ex multis orta appellatio, vt similitudo, æqualitas: quod genus relationum & refertur ad categoriam relatorum: & à fundamento minime distinguitur: ac proinde non finit motum. Cæterum illud relationum genus, quod est quidam essendi modus ex intima natura rei profectus: vt hæere in subiecto: perse existere: vel extrinsecus adueniens, vt esse in loco: quod declaratur aduerbio vbi: item esse propinquum, quod exprimitur verbo tangere: item esse vnium, quod significatur vnionis nomine: hoc inquam relationis genus non pertinet ad categoriam relatorum: ac finire proinde potest motum. Quocirca Arist. tradidit, vbi, localem motum primo terminare. Hæc est Durandi sententia.

THOMAS Caiet. asserit terminum immediatum assumptionis esse ens quiddam absolutum, fundans relationem vnionis: hoc porrò ens absolutum, non est diuina persona solum, neque itidem humana natura: neutrum enim effectum est per assumptionem: tametsi humana natura effecta sit cū assumptione: eodem siquidem temporis puncto natura humana facta est, & assumpta: illud igitur ens absolutum, est filium Dei esse hominem, id quod ostenditur hoc pacto. Illud proprie est terminus assumptionis quod fit, & acquiritur assumptione: effectum est autem & acquisitum Deum esse hominem: iuxta illud, & incarnatus est de spiritu sancto ex Maria virgine, & homo factus est, Deum igitur esse hominem, est proprius & immediatus terminus assumptionis, &c.

NEQVE tamen inquit Caietanus à D. Thoma dissentimus. Nam D. Thomas expressit terminum assumptionis, prout in verbo assumendi implicatus tenetur, qui ipse est diuina personalitas: est enim natura humana ad  
 CA diuinā

Caiet. 3.  
 p. 9. 2. ar.  
 8.

Nota.

diuinā personalitatem assumpta: seu ad terminum ad quem. Nos autem loquimur de termino actionis & passionis: quæ assumptionis nomine declarantur: est autem is, diuina personalitas vt subsistens in natura humana: siue quod idem valet, Deum esse hominē.

Argen.  
3. sē. d. 5.  
q. 1. ar. 4.

THOMAS Augustinianus medium sese inter hos duas sententias interijcit. Neq; enim inquit, aut diuina persona absolute: neque vnio absolute est terminus assumptionis: sed in termino assumptionis vtrumq; continetur. Etenim diuina persona vt vnita humanæ naturæ est assumptionis terminus. Atqui & si persona præcise præexistit assumptioni, non tamen persona vt vnita: sed per assumptionem effecta est vnita: præintelligitur tamen assumptio vnitioni: namq; prius natura intelligitur humanitas assumpta, quam vnita. Ad eundem modum, locus absolute vt præexistat motui, non tamen vt circūscribēs mobile: sic enim acquiritur. Si diligenter Caietani, & Thomæ Augustiniani sententias expendamus, comperiemus eas non esse dissidentes: Nam Deum esse hominem, idem est, quod diuina persona vt vnita humanæ naturæ, &c.

QVOCirca illud asserendum est, immediatum assumptionis terminum, esse diuinam personam vt vnitam: siue diuinam personam vt subsistentem in humana natura: siue Deum hominem: qui ipse est fundamentum relationis vnionis: hæc siquidem relatio consecuta est id ad quod primo assumptio terminata est. Cæterū terminus vnionis, siue dependentiæ suppositalis naturæ humanæ, est diuina hypostasis vt vna personaliter cum natura humana: interuentuque huius termini, relatio vnionis largitur homini esse Deum.

Nota  
magno-  
pere.

NOTANDVM tamen est diligenter, quod cum de coniunctione naturarum, diuinæ scilicet & humanæ, loquimur, naturas ipsas vt extrema summimus: at vnitatem personalem vtriusq; naturæ vnioni subiicimus vt fundamentum. Cum vero de vnione naturæ cum diuina persona loquimur: tum vnitatem personalem vt terminum vnionis ponimus: fundamentum autem est id, ad quod consecuta est huiusmodi vnitas personalis: hoc vero est, diuinam personam esse vnitam naturæ humanæ, inde enim profectū est, vt vna persona in duabus naturis subsisteret. Ac de relatione vnionis hætenus.

## Quæstio. XIII.

*Fuerit ne hæc sacratissima vnio per gratiam effecta?*

AD



**A**D qualitatem etiam huiusce, qua de agimus coniunctionis pertinet & illa quaestio: qua quaeri consuevit, Vtrum vnio incarnationis per gratiam fuerit effecta? Certe sanctissimus ac doctissimus Augustinus, multis locis testatur hanc sacratissimam coniunctionem fuisse Dei gratia effectam. Etenim. 14. de Trinitate libro, ita ait. Cum lego, verbum caro factum est, & habitauit in nobis: in verbo intelligo verum Dei filium: in carne agnosce verum hominis filium: & vtrunq; simul in vnam personam Dei, & hominis, ineffabili gratiae largitate coniunctum. In rebus enim per tempus ortis, summa gratia illa est, quod homo in vnitae personae coniunctus est Deo. In eo praeterea, quem de praedestinatione sanctorum scripsit libro, in eadem sententiam loquitur in hunc modum. Ea gratia fit ab initio fidei suae homo quicumq; Christianus: qua gratia homo ille ab initio suo factus est Christus: est igitur de sententia Augustini homo ille effectus Christus per gratiam. Alibi inquit quicquid conuenit filio Dei per naturam: conuenit filio hominis per gratiam: at filio hominis conuenit esse Deum: conuenit igitur id ipsum illi per gratiam.

Augusti.

HANC porrò Augustini multis locis explicatam sententiam: illa vel maxime ratio confirmat: quia maior & mirabilior quaedam res est, hypostatica cum verbo naturae create coniunctio, quàm illa quae cognitionis & amoris interuentu fit animorum cum Deo copulatio: at haec cum Deo per amoris coniunctio: non potest non fieri per gratiam: multo igitur magis vnio hypostatica, gratiae interuentu conciliatur.

HAC quaestio positae distinctione explicatur hoc pacto. Gratiae appellatione duo continentur, & ipsa voluntas Dei gratuita, hoc est, gratis aliquid donans, aut efficiens: & ipsum met donum munusque gratis creaturae tributum. Vtroq; modo D. Paulus verbo gratiae vtitur: ac priori quidem significatio ne vsus est, cum dixit. Gratia Dei vita aeterna. i. vita aeterna pijs mentibus diuino munere ac beneficentia donatur. Ad eandem etiam significationem referenda est illa sententia alibi posita: Gratia Dei estis saluati, id est, diuina benignitate & munificentia. Ad posteriorem verò significationem pertinet ille locus. Gratias ago Deo meo semper pro vobis in gratia Dei quae data est vobis in Christo IESU: quod in omnibus diuites facti estis in illo: in omni verbo, & in omni scientia, ita vt vobis nihil desit in vlla gratia spiritali, id est, abundetis diuinis muneribus Dei vobis benignitate tributis. Hoc porrò diuinum munus gratis in hominem collatum: aut hominem gratum efficit, diciturq; gratia habitualis: est enim quidam habitus hominis

Rho. 6.

Ephes. 2.

1. cor. 1.

1. cor. 1.

nis

nis animo infusus: omnes hominis actiones, quae scilicet ad Deum actu vel habitu referuntur, perficiens: grataeque Deo, dignaeque premio vitae sempiternae reddens: hominem praeterea cum Deo copulat, atque coniungit: Deoque simillimum efficit: vel certe munus istud diuinum non sic hominem perficit, ut ipsum cum Deo coniungat, sed ornet potius, & idoneum reddat ad aliquid egregie praestandum: hoc genus muneris appellari consuevit, gratia gratis data: tribuitur enim homini ad utilitatem. Hac igitur praeposita distinctione, quaestione tribus positae assertionibus, explicamus.

**PRIMA** assertio. Unio incarnationis est effecta per gratiam, hoc est, per gratuitam Dei voluntatem: id quod sic ostenditur. Ad ea quae vim naturalem rei cuique à Deo tributam exuperant, prouehi homo non potest, nisi diuino munere & concessu: vis enim naturae certis limitibus continetur: quos viribus suis nixa, excedere nulla ratione potest: At unione incarnationis, humana natura ad id prouecta est, quod vires naturae omnino vincit, ad esse videlicet hypostaticum diuinum, diuino ergo munere & concessu eò prouecta est. Est igitur unio incarnationis per gratiam, hoc est, gratuitam Dei voluntatem effecta.

**SECUNDA** assertio. Unio incarnationis est summa gratia, id est, summum donum, diuina munificentia in hominem collatum: id vero sic ostenditur. Unio incarnationis posita est in coniunctione hypostatica naturae humanae cum Dei Verbo: at huiusmodi coniunctio humanae naturae, gratis ac nullis id meritis postulantibus, concessa est: est igitur unio incarnationis summa gratia.

**TERCIA** assertio. Unio incarnationis non est effecta per gratiam habitualem, ceu per dispositionem: aut medium formale: aut medium congruentiae.

**PRIMAM** huiusce assertionis partem ita ostendo. Dispositio antecedens formae in materia generationem, materiam preparat formae conceptui: reddat enim ipsam ad concipiendam formam idoneam: At natura humana ex sese, nulla forma adiecta idonea erat, ut à verbo assumeretur: Est enim natura, inquam summa beatitudo (quae in conspicienda ac fruenda diuinitate consistit) cadere possit: nulla igitur dispositione gratiae opus fuit, cuius interuentu idonea assumptioni efficeretur. Adde quia dispositio antecedit id, ad quod rem subiectam preparat: at gratia habitualis, neque tempore, neque natura antecedit unionem: immo vero consequitur unionem, iuxta illud Ioannis: Vidimus gloriam eius: gloriam quasi unigeniti à Patre, plenum gratiae,

tiæ, & veritatis: quibus verbis subindicat D. Ioannes, omnem gratiæ plenitudinem in Christo, fuisse consecutam vnionem hominis illius cum vnigena filio Dei: Non est igitur gratia habitualis dispositio antecedens, & præparans humanâ naturâ assumptioni.

**NEQVE** itidem esse formale medium, ita ostendimus: Est autem formale medium illud, cuius interuentu aliquid recipitur in aliquo, ita. s. vt ei quod recipitur substernatur: hoc pacto superficies est formale medium receptionis coloris in corpore: non enim recipitur color in corpore, nisi interuentu superficiæ, cui color coextenditur: non esse itaq; gratiam formale mediū hinc intelligitur: quia quemadmodum se habet natura ad suppositum creatum, eodem modo se habet natura humana ad suppositum illud increatū: At natura coniungitur hypostasi creatæ, nullius formalis mediij interuentu: Etenim naturæ cum supposito coniunctio, spectatur penes esse hypostaticū, quod ipsum immediatè à natura ortū habet: non est igitur gratia habitualis, formale mediū coniunctionis humanæ naturæ cū diuina filij hypostasi.

**PORRO** non esse gratiam habitualem, medium quod dicitur congruentiæ, hinc effici potest: nam si gratia habituali, natura humana effecta fuisset congrua assumptioni, & vnioni: gratia habitualis saltem natura vnionem antecessisset: ita. s. vt verbum assumeret naturam gratia habituali perfectâ: at gratia habitualis nullo modo potuit natura ipsâ vnionem antecedere: nō igitur fuit medium congruentiæ. Assumptioni fidem facit D. Thom. hoc pacto. Quemadmodum operatio affecta est ad suppositū: eodem modo & habitus perficiens potentiam ad actionem obeundam, affecta est ad suppositū: at operatio præponit hypostasim: actiones enim singularū rerū sunt: & hypostaseon, habitus igitur agendi vim perficiens, hypostasim præponit, at gratia habitualis vim animi perficit, idoneamq; reddit ad actiones Deo gratas suscipiendas: præponit igitur hypostasim. At per vnionem, hypostasis diuina effecta est in natura humana: quatenus. s. vnione effectum est, vt hypostasis diuina esset hypostasis humana: Non igitur habitualis gratia natura antecedit vnionē, sed consequitur potius, ceu proprietas & effectus ipsius: quemadmodū splendor consequitur solem.

**SCOTVS** idem efficit eodem fere modo. Nā inquit, eo momento naturæ, quo hypostasim propriam natura obtineret, si ad alienum suppositum non assumeretur, eodem prorsus, hypostasim alienam consequitur, cum assumitur ab alio: At prius natura hypostasim propriam obtineret, quā habitu gratiæ perficeretur, igitur & quando assumitur ad alterius hypostasim, prius na-

Thom.  
3. P. q. 7.  
ar. 1. §.

Scot. 3.  
sen. d. 2.  
q. 2. ar. 2.

tura esse hypostaticū cōsequitur, quā gratiæ munere donetur: non igitur gratia media est. Assumptionem porrò ita ostendit: Habitus valet ad agēdum: estq; proinde perfectio agentis & operantis: actionem vero suscipere soli cōuenit hypostasi: prius igitur naturaliter creatura esse hypostaticum consequitur, quam habitum habeat aliquem: qui est principium operandi.

ITA concludit Scotus naturam humanam prius natura fuisse personatam, ac suppositatam in verbo: quam intelligeretur gratiam, aut quemuis alium habitum habere: contra quod videntur existimare ij, qui gratiam habitua-lem medium esse asserunt: medium inquam externum, quod dicitur medium condecenciæ: ac illorum existimatio videtur fuisse huiusmodi: putant enim aliquo instanti naturæ, fuisse naturam humanam non vnitam: deinde fuisse ei gratiam infusam: ad extremum gratia decoratam & affectā, diuinæ Verbi personæ fuisse coniūctam.

RELIQVA est aduersariorum argumentorum explicatio: Augustini igitur testimonia, ad voluntatem Dei gratuitam, admirabilis huiusce vnionis effectricem, referenda sunt. Fuit enim hoc diuina gratia, id est, diuina munificentia humanæ naturæ tributum, vt diuinæ personæ coniungeretur: esseq; hypostaticum diuinū consequeretur.

QUOD vero ad rationem attinet eam, qua Augustini testimonia confirmata esse voluimus: dicimus multum interesse inter vnionem hypostaticam, & vnionem quæ in cognitione, & amore consistit: vt enim illa maior longeque excellentior sit: hæc vero multo minor, hæc tamen medium gratiæ habitum requirit, illa non item: quoniam illa ad operationem, cognitionis scilicet, & amoris comparatur: ac proinde potentiam requirit habitu perfectam, & excultam, habitu inquam luminis supernaturalis, quo mens hominis Numinis contemplationi idonea redditur: & habitu gratiæ, quo dilectionis operatio perficitur. Cæterum vnio hypostatica comparatur ad esse primum: cui non præponitur aliquod accidens in natura assumpta, quemadmodum neque esse primum gratiæ, quod est supernaturale, postulat formam aliquam: quæ naturam ad illud esse obtinendum idoneam efficiat: alioqui nullus esset finis dispositionum supernaturalium.

ADDE quia esse personale, ad quod per vnionem est prouecta humana natura, ex natura pendet immediate, natura enim personam constituit: Christus autem ex humana natura esse personale humanū est consecutus: vt iam supra diximus, & cæt.

## Quaestio. XV.

*Vtrum unio hypostatica sit maior, quam unio per amorem?*

**Q**VONIAM nonnullis venit in dubium, vtrum unio hypostatica sit maius aliquid, quam unio cum Deo per actionem cognitionis, & amoris, id nobis etiam hoc loco putauimus esse excutiendum. Sunt itaque qui hominis cum Deo per amorem coniunctionem, hypostaticæ coniunctioni hisce de causis anteferendam esse putent. Namque unio hypostatica tam naturæ rationis participi, quam experti cõuenit: At amoris cum Deo coniunctio soli conuenit naturæ mentis cõpositi: est igitur hæc excellentior. ITEM, unio hypostatica conuenit naturis ratione præditis, eius perfectionis interuentu, quæ est illis cum cæteris substantijs cõmunis, id est, quatenus sunt naturæ, quæ nixæ hypostafibus, valent subsistere: unio vero per actionem visionis: & fruitionis, conuenit eisdem naturis, quatenus per adoptionis gratiam diuinæ nature sunt participes: iam vero hæc adoptionis gratia, excellentius, ac maius quiddam est, quam illud quod in omni substantia spectatur.

TESTATUR etiam Augustinus, beatiorum fuisse virginem Dei param, Deum mente concipiendo, quã ventre, sed Deus corpori coniungitur personaliter, menti vero amoris & benevolentie complexu: est igitur beatorum hæc coniunctio, quam illa.

CAIETANVS putat simpliciter & absolutè maius quiddam, perfectius & absolutius esse, longeque excellentius, Deo coniungi hypostatice, quã per actionem cognitionis, & amoris.

Caiet. 3.  
P 9. 4.  
ar. 1. ad. 2

ID vero ita ostendit. Illa coniunctio est maior quæ naturæ creatæ aliquid maius tribuit: At unio hypostatica aliquid maius naturæ humanæ tribuit quam unio & adhesio per amorem: illa siquidè naturæ humanæ largitur esse personale diuinum: hæc vero similitudinem quandam: ac participationem diuini esse: iam vero longe maius est, esse Deum per naturam: quam esse Deum similitudine, & participatione: est igitur multo maior & excellentior unio hypostatica: quã unio per amorem.

ITEM multo perfectius est esse Deum per substantiam: quam accidentario: At unio hypostatica efficit hominem Deum secundum substantiã: unio vero per amorem, accidentario, id est, per operationem, qua animus cū Deo coniungitur: est igitur unio hypostatica longe maior, &c.

**ADVERSARIA** porò argumenta ita diluit, vt dicat, illis argumentis illud effici, multo plus perfectionis, & excellentiæ requiri in natura creata ad vnionem per operationem, quam ad vnionem personale: illa enim vnio naturam, actionemq; intellectus: gratiam: & beatitudinẽ requirit: quæ ipsa in vnione personali minime desyderantur. Vt igitur maius aliquid sit id quod conuenit naturis intelligentia præditis qua huiusmodi, quam id quod est omnium substantiarum cõmune, cæterũ id quod ex parte Dei tribui potest naturis intelligentibus quatenus sunt naturæ substantialis participes, longe maius est eo, quod cõsequi à Deo possunt operatione, & actione: potest enim Deus naturis huiusmodi esse personale diuinum impertire: quod ipsum tribui non potest per operationem.

**AUGVSTINI** porò sententia nobis non aduersatur: nã concipere Deũ ventre, non est Deo personaliter coniũgi: ac proinde nihil mirũ, si felicius sit mente Deum concipere per actionẽ cognitionis, & amoris: quam ventre. Non enim ventre Deũ concipiẽs est Deus.

Du. 3. s.  
d. 2. q. 1.  
ad. 2.

**ALIIS** placet, felicius & excellentius esse vniri Deo personaliter, quam amare, si modo natura vtriusq; vnionis sit capax: secus autem minime. Quocirca putant esse excellentius hominem esse filium Dei adoptionis gratia: & beneficio: quam lapidem coniungi Deo hypostatice. In homine vero cõtra res habet. Obijci tamen contra potest, id quod lapidi tributũ est vnione personali: est longe maius: & excellentius eo quod homini adoptionis gratiam confecuto tributũ est, lapidi siquidẽ tributũ est esse personale diuinũ: filio vero adoptato similitudo quædã diuini esse donata est: illud igitur hoc longe maius, & diuinius est. Quocirca sentiendum existimo cum Caietano.

**DICI** etiam non incõmode potest, vniri Deo hypostatice esse longe diuinius: & excellentius simpliciter, Deo vero amore cõiungi, multo esse vtilius: idq; si extrema comparationis inuicem seiungatur.

### Quæstio. XVI.

*Vtrum vnio incarnationis cadat sub meritum?*

**SVBINDE** excutiendũ videtur, anne vnionis & coiũctionis huius sacratissimæ beneficii sit homini meritis vllis antecedentibus tributũ.

**HVIVS** quæstionis hæc est explicatio. Incarnationis hæc vnio potest trifariã spectari, quoad substantiam videlicet, quoad efficientiã, vel effectũ potius: quoad temporis circũstantiã. Ponũtur igitur non nullæ assertiones.

**PRIMA** assertio. Nullius hominis puri, neq; etiã ipsius Christi merito, potuit obtineri unio incarnationis quo ad substantiam operis.

D. Thom. 3.  
p. 9. 2. ar. 21.

**PRIOR** huiusce assertio nis particula ita ostenditur. Initium, origo, ac fundamentum totius meriti, non cadit sub meritum: at Christi incarnatio est origo ac fundamentum totius meriti nostri, non cadit igitur sub meritum. Propositio hinc cõstat, quia effectus non antecedit causam: sed cõtra potius causa effectum tempore vel natura antecedit. Assumptio vero hinc liquet: quoniã gratia, Christi causa, hominibus data ac concessa est: quæ eadẽ efficit hominum actiones meritorias. Ac gratiam esse hominibus datam Christi causa, testatur Ioan. inquit, lex per Mosem data est: gratia, & veritas per **IESVM** Christũ facta est. Item de plenitudine eius nos omnes accipimus gratiã pro gratia. Hanc eandẽ sententiam D. Paulus multis locis confirmat: cum dicat, per Christũ omnia esse restituta ac instaurata. Item Christi merito homines cõ Deo in gratiã redisse. Item per Christum fuisse homines gratos Deo effectos: adhuc adoptionem filiorum consecutos. Hæc omnia eo pertinent, vt ostendat Paulus cum inchoatã, tum perfectã gratiã electorum, quæ in conspiciendo ac fruendo Deo consistit, causam, fundamentum, & originẽ, esse diuini Verbi incarnationem.

Ioan. 1.

Ephes. 1.

Rho. 5.

Ephes. 2.  
Gal. 4.

**PRÆTEREA** quod diuina clementia, bonitate ac beneficentia hominibus tribuitur, nõ obtinetur hominis merito: nã qui meretur aliquid illud efficit suũ, iureq; illi debetur, vsq; adeo vt si non reddatur iustitię ratio violetur. At Verbi incarnatio diuina clemẽtia, liberalitate & munificẽtia effecta est, id quod multis locis docet Paulus: ad Ephesios siquidẽ scribẽs ita ait, Deus autem qui diues est in misericordia: propter nimiam charitatẽ suã, qua dilexit nos, cum essemus mortui peccatis cõuiuificauit nos Christo: cuius gratia estis saluati. Item alibi. Manifeste magnum est pietatis sacramentũ, quod manifestatum est in carne: iustificatum est in spiritu, &c. Alibi. Apparuit gratia Dei saluatoris nostri omnibus hominibus, &c. Non igitur Verbi incarnatio fuit vllis hominum meritis effecta.

Ephes. 2.

1. Tim. 3.  
Tit. 2.

**ADDE** his, quia actio meritoria est Deo accepta, probata, & grata: at nulla actio puri hominis fuit vnquam Deo accepta, & probata, nisi merito satisfactionis Christi præuisã, vel iam per actã: omnis igitur actio meritoria hominis, Chri satisfactionẽ præuisã vel iã perfectã preponit, nullius igitur reconciliãdi hominis meritũ antecedit illã satisfactionẽ: ac proinde neq; unio nẽ.

**POSTERIOR** porrò particula ita ostenditur. Mereri est quiddam agere: actio vero soli hypostasi conuenit: igitur & mereri soli conuenit personę. At

Christus ante vnionem nõ fuit humana persona: Namq; persona illius hominis, qui est Christus, est persona filij Dei, fuit autẽ ille homo filius Dei hypostatice, ipso ortus ac conceptus puncto & momento: iuxta illud quod est ab Angelo virginis sacratissime dictũ: Quod.ñ. ex te nascetur sanctũ, vocabitur filius Dei: nõ igitur illius hominis actio aliqua potuit vnionẽ antecedere.

**OBIICI** tamen contra potest. Natura humana, naturæ ordine præponitur assumptioni, nam id quod assumitur necessario assumptioni præponitur: potuit igitur et aliqua operatio naturæ humanæ, vt velle, & intelligere, quæ momento tẽporis perficiuntur, ipsam assumptionẽ naturæ antecedere: volitio igitur aliqua animæ Christi, potuit naturæ ordine, vnionem ipsam antecedere: ac proinde illa actione charitate informata, potuit anima Christi promereri vt ad Verbi personam assumeretur eodẽ temporis momento: & prius natura.

**EXPLICATIONI** huiusce dubitatiunculæ illud præponimus. Mereri solũ hypostasi conuenire: Namq; mereri est actionem aliquam suscipere, suscipit autem sola hypostasis actionem. Hinc iam illud efficitur, esse suppositabile naturæ ordine actionem antecedere: ac proinde prius natura personam naturam, siue in hypostasi inesse, quam actionem suscipiat: Namq; agere hypostasi conuenit: prius igitur natura, quæq; natura propriam hypostasim consequitur, quam operetur.

**ADDE**, quia generatio simplex primo terminatur ad esse substantiale rei, deinde ad esse adiunctum, hoc est, accidentarium: at esse personale siue hypostaticum est esse substantiale: operari vero pertinet ad esse accidentarium, prius igitur natura gignitur Socrates, quam actionẽ vllam suscipiat: ac proinde prius naturæ ordine quæq; substantia esse hypostaticum consequitur, quam operetur. Ac hoc sit nobis in hunc modũ præpositum.

**PONITVR** iam hæc conclusiuncula. Nulla naturæ humanæ Christi actio potuit vnionem antecedere: id vero ita ostenditur. Natura humana Christi assumpta est ad diuini Verbi personam, & hypostasim: quo igitur modo, quoue ordine affecta est natura humana Socratis, ad ipsam Socratem, eodẽ modo, eodemq; ordine affecta est natura humana Christi ad ipsam personam Verbi: At naturæ ordine humana Socratis natura prius personatur, quam operetur, natura igitur humana Christi prius est Verbi Dei hypostasim, & personam consecuta, quam actionem vllam susciperet: non potuit igitur anima Christi prius natura intelligere, aut amare, quam Verbi Dei personæ coniungeretur.

**ACCEDIT** ijs, quia fieri non potest vt simul eodem temporis instanti aliquis



quis mereatur, & præmium siue mercedem consequatur: nam mereri, & præmio affici, repugnantiam includunt. Etenim mereri ad acquisitionem pertinet, præmio affici ad possessionem: iam acquirere, & id quod acquiritur simul possidere, non mediocriter pugnant: non igitur fieri potuit vt eodẽ temporis momento anima Christi mereretur assumptionem, & esset assumpta. Hinc etiam intelligitur, meritum non natura solũ necessario: verũ etiam tempore præmiũ antecedere.

**SECUNDA** assertio. Incarnatio Verbi vnio quoad effectum, partim cadit sub meritum, partim non cadit. Namq; huiusce sacratissimæ incarnationis effectus est duplex, scilicet, liberatio à culpa, & à pœna, quæ in carentia diuinæ visionis consistit. Quoad priorem effectum, nullo modo potuit cadere sub meritum hæc vnio sacratissima: alioqui prima gratia caderet sub meritum, namque infusione gratiæ, impius peccati onere liberatur, & iustus efficitur: quare si peccati expiatio vllõ hominis merito posset obtineri: & prima gratia qua impij iustificatio perficitur, sub hominis meritum caderet, id quod fieri nequit: nam gratia meriti radix, origo, ac causa est: si igitur gratia caderet sub meritum, effectus esset causa rei eius, quæ sui est causa: quod fieri nullo modo potest.

**QVOAD** posteriorem verò effectũ, nihil est dubij vnionẽ cadere sub meritum, nam sanctissimi illi patres, vitæ sanctimonia & integritate, regnũ Dei promeruerunt, quo regno simul ac potiuntur sancti homines, Dei summi cõspectu fruuntur: meruerunt igitur sancti patres fide, pietate, & religione erga Deũ, ab illo incõmodo liberari, quod est possum in carentia diuinæ visionis. Hoc tamen regnũ Adami impietate & peccato, cunctis hominibus occlusum, Christi Domini nostri merito duntaxat erat aperiendũ.

**TERTIA** assertio. Quod attinet ad circumstantiam temporis, sancti patres incarnationis beneficiũ meruerunt. Namq; equissimũ est, & diuinæ bonitati decentissimum, vt Deus piorum, seq; amantiũ & colentiũ votis, præcibusq; annuat: At patres illi sanctissimi ardentissimis votis: perpetuisque præcibus exhibitionem destinate incarnationis postulabãt, fuit igitur equissimum, vt tandem aliquando compotes huius sanctissimi votifieret. Quocirca notandum est, veteres illos patres Dei amantißimos non postulasse à Deo vt Dei filius humanã sibi naturam coniungeret, hoc siquidem certo nouerant futurum: sed vt sempiternum Dei consilium: & institutum quam citissime perficeretur. Nam & si certam dominicæ incarnationis spem, ob diuinam pollicitationem, conceperant, tempus tamen illud ignorabant, quo tantum

beneficium erat hominum generi praestandum: ac proinde ne tantum beneficium diutius differretur, obnixissime & ardentissime postulabant. Cuius vero deceret diuinam bonitatem, ut piorum preces exaudiret, hinc effectum est, ut patres illi sancti dominicae incarnationis accelerationem promeruerint, eo genere meriti, quod dicitur congruētia.

Scotus.

HINC iam intelligitur, id quod quarto libro, dist. 2. q. 1. Ioannes Scotus disertissime annotauit, opus. s. incarnationis, in effectis Dei fuisse meræ gratiae & munificentiae: nempe quod nullis meritis potuerit obtineri: si qua tamen merita antecesserūt, ijs meritis sancti patres non incarnationem ipsam absolute, sed celeriore ipsius exhibitionem sunt consecuti: id quod virgo Maria praeter omnibus meruit, nempe quae fide, religione, ac pietate erga Deum, ceteris omnibus antecelluerit: ac proinde gratior Deo extiterit. Meritum tamen hoc virginis ad genus illud meriti refertur, quod dicitur congruētia.

Gab. 3.  
sen. d. 4.  
q. 4.

EST qui putet virginem illam sacratissimam, merito condigni, ut dicitur, fuisse consecutam ut esset mater Dei: id verò ita vult esse persuasum. Deus potuit sanctissimas virginis actiones acceptas habere, & approbare hoc nomine: ut ex purissimo ipsius sanguine corpus Christi formaretur, potuit igitur beata virgo merito condigni obtinere ut esset mater Dei.

Luc. 11.

PRÆTEREA qui meretur id quod maius & excellentius est: meretur etiam id quod minus est: At beata virgo merito condigni beatitudinem promeruit: quae ipsa tamen diuinae maternitati antecellit. Maius est enim, ac foelicus esse beatum: quam esse matrem Dei, id quod Dominus IESVS apertissime declarauit, qui spiritalem maternitatem, quae in eo posita est, ut quis preceptis Dei pareat, carnali antetulerit, inquiens: Quinimo beati qui audiunt Verbum Dei: & custodiunt illud. Meruit igitur virgo beata merito condigni esse mater Dei.

Luc. 2.

HOC idem videtur subindicasse sanctissima Elisabetha, quae fidei Mariae tribuit, quod Christus ipsius utero conciperetur, id quod fuerat ab Angelo ipsi virgini praedictum. Beata (inquit Elisabetha) quae credidisti, quoniam perficitur quae dicta sunt tibi à Domino per Angelum. Dixerat autem coelestis ille nuntius Mariae, ecce concipies in utero & paries filium, &c.

Gab. 3.  
sen. d. 4.  
q. 4.

PORRO autem ut meruerit virgo beata esse mater Dei: non tamen domini incarnationem promeruit: nam simpliciter & absolute potuit Christus aliam sibi deligere ex qua carnem sumeret: neque hac ipsa maternitas fuit causa: & fundamentum meriti Mariae, aut ceterorum electorum, sed Christi potius incarnatio: & satisfactio. Nihil igitur est incommodi asserere virginem beatam

me-

merito condigni obtinuisse vt esset mater Dei. D. Bon. non putat esse asserendum, hanc virginem merito condigni esse consecutam vt filium Dei utero conciperet & gestaret, nempe cum hoc superet meritum creaturæ: & sit fundamentum causæ meriti Mariæ: fuit tamen, inquit, ob summam vitæ sanctimoniã illa virgo idonea, quæ efficeretur mater Dei: post vero quam salutata ab Angelo amplissimis est diuinæ munificentiamuneribus affecta, fuit longe omnium tantę dignitatis, & excellentię dignissima. Hæc huius sancti hominis opinio & verior, & peruulgatior est; illa tamen prior defendi quamcõmodissimè potest: neq; enim pugnat cum religionis christianæ decretis.

Bona. 3.  
sen. d. 4.  
q. 2. cum  
Bonau. con-  
cordat D. 14.  
3. p. q. 2. ar.  
xi. ad 3.

CÆTERVM pro Bonauentura respondeo: potuisse Deum illo nomine acceptas habere virginis actiones gratia informatas, potetia tamè absoluta, non tamen ordinata: siquidè & hominem esse filium Dei: & virginè matrè Dei, non congruat cū statu creature, ac proinde vtrumq; meritū creature lōge exuperet: sitq; summę gratię, & dignationis.

QVOD vero ad secundam argumentationem attinet. Negamus id quod initio proponitur. Est enim quod cõtra obijciatur: etenim gratia cõsumata, quæ in visione diuinitatis consistit, lōge aliquid maius est: quàm habitus gratię, qui actiones nostras efficit meritorias: & tamè beatitudo illa cadit sub meritum: gratia nõ item: Damus igitur, Deo frui esse lōge maius, quàm virginè esse matrem Dei: non tamen illud concedimus, quod & si virgo illud prius sanctissimis actionibus potuerit promereri: hoc etiam posterius eodè genere meriti cõsequi potuerit: Nam illud cadit sub meritū, cum sit præmium pijs hominibus diuinitus constitutū, hoc vero non item, & quia omnè meritum creature longissimè exuperet: & quia sit meriti fundamentū. Dici etiam nõ incõmode potest, matrem esse Dei, longe esse dignitate excellentius: at frui Deo, esse vtilitate, ac foelicitate maius.

### Quæstio. XVII.

*Vtrum gratia vnionis fuerit homini Christo naturalis?*

QVÆRI etiam consuevit, an fuerit hæc beatę vnionis gratia homini Christo naturalis? Certe nõ fuisse hæc vnionis gratiã Christo homini naturalè, vel ipsum nomè gratię facile declarat: nã gratia opponitur nature,

quo efficitur, vt id quod munere diuino creaturæ concessū est, non sit eadem naturale.

**HVIVS** quæstionis hæc est explicatio. Naturale dicitur bifariam: vno modo id quod à principijs naturæ ortum habet, quomodo naturale est homini ridere: & lapidi deorsum ferri. Altero modo dicitur quippiam naturale, id quod rei cuique à primo ortu conuenit. Hoc modo cæcitas dici potest naturalis homini à primo ortu cæco: sic etiam imbecillitates quædam à primo ortu hominibus conuenientes, dici consueuerunt imbecillitates naturales. Hæc porro imbecillitates, non solum dicuntur naturales, quia à primo ortus initio animalibus conueniūt: verū etiam quia ex vi ipsius ortus: & generationis naturalis proficiscitur: ex defectu. s. vel abūdantia materię in generatione: & ex materiæ victoria, &c.

**ILLVD** est præterea annotandum. Vnionem hanc sacratissimam posse bifariam spectari: vno modo quoad substantiã: altero modo quoad ea quæ ipsius sunt consequentia: vt gratia, beatitudo: & cæteræ Christi hominis excellentiæ. His ita constitutis, iam ponuntur nonnullæ assertiones.

**PRIMA** assertio. Vnio ipsa quoad substantiã non est homini Christo naturalis priori modo: Aut enim manaret ex principijs naturæ humanæ, aut ex diuina natura: nõ priori modo, alioqui vnio huiusmodi omnibus hominibus cõueniret, nempe qui eiusdẽ sint naturæ humanæ participes: neq; itidẽ posteriori modo: alioqui sacræ Triadi vnio cõueniret, ita. s. vt cui libet personæ diuinæ humana natura esset vnita: id quod falsum est: Etenim diuina natura in tribus personis cernitur.

**SECVNDA** assertio. Gratia vnionis quodam modo priori modo est homini Christo naturalis. ostenditur. Vnionis gratia ex diuina natura in humanam sibi coniunctam proficiscitur: at diuina natura est ipsius Christi natura: Ex natura igitur Christi ortum habet gratia vnionis: ac proinde est ipsi quodammodo priori modo naturalis: Adiunximus, particulam illam, quodam modo: quoniam quod proprie fluit ex natura, naturaliter fluit, at hæc vnionis gratia est in humanã naturã ex diuina libere profecta: Etenim diuini illius esse hypostatici cõmunicatio, est actio extranea: quæ libere Deo conuenit, non naturaliter.

**TERCIA** assertio. Gratia vnionis est homini Christo posteriori modo naturalis: Etenim non solum ab ortu eidem conuenit esse filium Dei hypostatice: sed etiam ex vi illius conceptus & ortus. Nam Christi generatio ex virgine, huc instituta ac comparata diuinitus est, vt factus ille partusque

que virgineus, esset filius Dei hypostatice, in quo posita est admirabilis hæc vnionis gratia. Hanc huiusce sanctissimæ generationis: ac natiuitatis vim Angelus expressit: cum virgini, huiusce admirabilis conceptus rationem inquirenti, ita respondit, Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi: ideoque quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei, coniunctione illa causali significauit Angelus actionem Spiritus sancti in virgine, eo pertinere: vt quod ex virgine nasceretur, vi natiuitatis esset filius Dei hypostatice, vt idem videlicet esset Deus, & homo.

Luc. 3.

**QUARTA** assertio. Quæ consequitur vnionem, ceu gratia, sapientia, & beatitudo: sunt homini Christo naturalia vtroq; modo: etenim ex diuina natura Christi ceu ex fonte manant: verbum namq; diuinum humane nature coniunctum, est veluti fons quidam in humanam naturam admirabiliter influens: ipsamque excellentissimis donis complens & exornans. Quæ ipsa dona & ornamenta sunt illi homini à primo conceptu ortuq; tributa. Hinc illud Ioannis: vidimus gloriam eius: gloriam quasi vnigeniti à patre, plenum gratia, & veritate: fuit autem ille, homo vnigena patris simul ac conceptus est, fuit igitur eo puncto, omnibus diuine munificentie muneribus exornatus, locupletatusq;.

Ioan. 1.

**VTRAQUE** igitur gratia, tam vnionis, quam habitualis: & gratia dicitur & naturalis: gratia quidem, quia nullis meritis antegressis, est vtrumq; illi homini cõcessum, naturalis vero, quia ex diuina Christi natura in humanam sibi coniunctam proficiscitur, nihil autem est incõmodi idem relatione ad diuersa dici gratuitum, & naturale.

**AC** gratiam conuenire Christo naturaliter quodam modo testatur Augustinus, ita inquiens. In humane nature susceptione, fit quodam modo ipsa gratia homini Christo naturalis, qua nullum possit admittere peccatum. Diligenter expendenda sunt verba Augustini, his enim verbis declarat, gratiam habitualem, siue vnionis, Christo conuenire, non solum à conceptu, & ortu, verum etiam ex vi conceptus, & ortus: ac proinde esse illi homini naturale. Ceterum quia Spiritus sancti actio libere: & non naturaliter huic effectui destinata est, proinde effectus illius actionis dicitur quodam modo naturalis, &c.

Augustinus in Enchiri.

### Quæstio. XVIII.

*Vtrum gratia vnionis sit aliquid creatum?*

ILLVD

**ILLVD** præterea versatur in quæstione, sit ne gratia vnionis aliquid cre-  
 latum? Huiusce quæstionis hæc est explicatio: namque verbum illud gra-  
 tia referri potest vel ad gratuitam Dei voluntatem, vel ad gratuitum Dei do-  
 num. Ac priori modo, gratia vnionis est aliquid increatum: namque vo-  
 luntas Dei effectrix huiusce admirabilis coniunctionis, est increata: posteri-  
 ori vero modo, partim est aliquid creatum, partim aliquid increatum. Id vo-  
 ro quo intelligatur: notandum est in hac sacrosancta coniunctione præter  
 extrema, tria spectari, scilicet, entitatem quandam positiuam, in qua ipsa v-  
 nio consistit, est autem ea esse hypostaticum Verbi, in quo humana, & di-  
 uina natura coniunguntur, & vniuntur, ad hæc illius esse hypostatici com-  
 municationem, quæ per assumptionem effecta est: ad extremum relatio-  
 nem quandam vniti ad vnitum, quæ ipsa est consequens assumptionis, &  
 fundatur supra illud esse personale quod est vnum vtriusque naturæ: siue su-  
 per hoc: quod est Deum esse hominem: quod effectum est communi-  
 onis esse hypostatici. Ponuntur igitur assertiones tres. Prima assertio. Sum-  
 pta gratia pro gratuito dono Dei, ipso autem dono sumpto pro illa enti-  
 tate positiua communicata humanæ naturæ: in qua duæ Verbi naturæ ita  
 conspirant: vt sit verbum ipsum vna persona, & vnum ens: hoc inquam  
 modo accepta gratia: vnionis gratia est aliquid increatum: nempè quia  
 sit diuina personalitas, gratis ac diuino munere humanæ naturæ commu-  
 nicata, &c.

**SECUNDA** conclusio. Gratia vnionis sumpta pro cõmunicatione diuini  
 esse, partim est aliquid increatum, partim creatum, increatum quidè: qua-  
 tenus est quædam actio Dei: iam autè actio Dei est ipse Deus: creatū vero ex  
 parte termini, hoc est, humanæ naturæ assumptæ: Assumptio nãq; passiuæ  
 humanæ nature, res temporaria est & creata.

**TER TIA** conclusio. Gratia vnionis, accepta pro relatione consequen-  
 te, creatum quidam est, ac temporarium: ab ipsa sacra Triade effectum.  
 Etenim sancta Trinitas vni Verbi personæ naturam humanam admira-  
 biliter coniunxit.

**QVANTA SIT ILLA VNIO.**

**Quæstio. XIX.**

*Anne vnio incarnationis sit omnium vnio.*

*num maxima?*

**A**D extremum explicanda nobis est huiusce sacratissimæ vnionis quæ-  
 titas: hoc est, inuestigandum est: sit ne vnio incarnationis omnium v-  
 nionum maxima? D. Thomas in hac sacratissima vnione duo spectari di-  
 cit: & extrema quæ iunguntur: & id in quo extrema cõiunguntur: ac relatione  
 quidem ad extrema, hanc vnionem nõ maximam illam quidem: sed minimam esse  
 asserit: nempe cum extrema sint diuina, & humana natura, quæ ipsa infinite  
 dissident: relatione tamen ad id in quo illa extrema iunguntur & quasi coeunt,  
 maximam esse conspirationem, & vnionem.

Thom. 3.  
 sent. d. 5.  
 q. 1.  
 3. P. q. 2.  
 ar. 9.

**HANC** D. Thomæ asseritionem minus probat Durandus: immo vero  
 asserit coniunctionem formæ cum materia esse multo maiorem. Nam cum vnio-  
 ne efficiantur aliqua vnum: ratio vero vnus in indiuisione consistat: illa vnio  
 est maior necessario: qua efficitur, vt aliqua sint magis vnum; magisque indi-  
 uisa: at vnione formæ cum materia efficitur aliquid magis vnum: magis-  
 que indiuisum: est igitur illa vnio maior quam vnio incarnationis. Assum-  
 ptio hinc intelligitur: quia coniunctione formæ cum materia efficitur vnus  
 natura. Item vnum non potest ab altero ita diuelli, vt interim incolume  
 permaneat: id quod declarat intimam ipsorum coniunctionem: at coniun-  
 ctione humanæ naturæ cum diuina, non fit vnum natura: & essentia: po-  
 testque vnus ab altero, saluo statu, seiungi. Quocirca concludit Durandus vnionem  
 formæ cum materia, quo ad rationem internam vnionis esse multo maio-  
 rem: tamen si vnio incarnationis sit excellentior: nempe cuius extrema sint  
 excellentiora. Adde quia destinata est fini omnium præstantissimo, libera-  
 tioni videlicet hominũ, & restitutioni in pristinum dignitatis gradum.  
 Ac hoc modo putat esse accipiendam diui Bernardi sententiã, vnionem  
 incarnationis omnibus vnionibus ( vnica Trinitatis vnione excepta ) ante-  
 ferentis.

Dur. 3.  
 sent. d. 5.  
 q. 2.

**CAIETANVS** S. Thomæ sententiam defendit: infirmaturusque refuta-  
 tionem Durandi: ponit huiusmodi distinctionem. Vnio incarnationis tam  
 quoad extrema: quam quoad id in quo iunguntur & vniuntur extrema po-  
 test duobus modis spectari: vno modo quoad extrema inter se: altero mo-  
 do quoad extrema in se: item id in quo iunguntur extrema spectari potest,  
 vel secundum se: vel vt iungens, & vniens illa extrema, hoc est, vt est vnum  
 vtriusque nature. Ponuntur ergo nonnullæ asseritiones.

Caiet. 3.  
 p. q. 2. ar.  
 9.

**PRIMA** asseritio. Vnio incarnationis ex parte extremorum inter se non est  
 maxima. Namque diuina natura coniungitur humanæ ceu causa instrumẽ-  
 to, hæc autem vnio non est maxima.

**SECUNDA** assertio. Vnio incarnationis ex parte diuinæ personæ, vt iungentis illa duo extrema: siue vt est vna vtriusq; naturæ: est omnium creaturum vnionum maxima. Nam vnitas personalis cōmunis vtriusq; nature, est diuina: ac proinde simplicissima: indiuisibilis, incomponibilis, ad quā vnitatem nulla omnino vnitas: neq; personalis: neq; essentialis, neq; vtraq; simul potest attingere.

**TERCIA** conclusio. Vnitas incarnationis ex parte: ac quodammodo est maior quam vnitas trinitatis: nō quidem quoad naturam: sed quoad suppositum: nam homo declarat cum naturam humanā: tum suppositum diuinum: at vnum idemq; est hominis & filij Dei suppositum: non tamen idē est suppositum patris, & filij, & spūs sancti, igitur, &c.

**ARGVMENTVM** igitur Duran. ita diluendum putat Caiet. vt dicat propositionem illam sumptam à Dur. sic esse interpretandam: Illa est maior vnio, qua efficitur, vt extrema sint magis vnum vel inter se, vel in tertio: id siquidem postulat ratio vnitatis: vt quæ sunt vnum, sint indiuisa, vel inter se, vel in tertio: quomodo tres diuinæ personæ sunt vnum essentia: & humana, ac diuina natura, vnum persona: ita assumptio falsa est. Nam illud vnum, quo iunguntur materia & forma: in quoue sunt indiuisa: est minus vnum quam id in quo vniuntur humana, & diuina natura. Illud enim est essentia Socratis: & persona Socratis, quorum vtrumq; est compositum: hoc vero, est diuina persona vtriusq; naturæ communis, quæ ipsa est simplicissima & incomponibilis. D. igitur Thomas spectauit extrema secundum se vel inter se: diuinam vero personam non secundum se: sed vt iungentem vtrumq; extremum.

**QVOD** vero ad inseparabilitatem attinet, hanc etiam cadere in hanc vnionem asserit Caiet. Nam salua consistentia, neq; hæc extrema possunt à sese mutuo diuelli. Etenim si natura humana se iungeretur à verbo, iam non esset idem, sed alius homo: nempe quia esset aliud iam suppositum: humanum videlicet suppositum, quod consequeretur natura humana sibi derelicta. Item diuinum Verbum amitteret esse hominem: quod ipsum est esse substantiale. Adde quia esse alium hominem, est esse aliam substantiā.

Vt fit à Caietano D. Thomæ sententia: & disertissimè explicata: & eruditè defensa: puto tamen Durandi sententiam posse quam facillime defendi: si recipiatur quædam à D. Bonauē. 3. sent. tradita distinctio. Namque vnitas siue vnio qua efficitur, vt aliqua sint vnum: posita est vel in couenientia nature: vel in conspiratione personæ. Ac priori quidem modo vnio incarna-

tionis



tionis non modo minima: sed neque vlla quidem est, non enim ex duobus illis extremis coaluit vna natura: at ex vnione formæ cum materia, vna natura, vnaque essentia constituitur. Et haftenus vnio ac coniunctio formæ cum materia: est maior quam vnio incarnationis. Adde quia vnio formæ cum materia est maior extensiuè: ex illa siquidem coniunctione existit & vna essentia, & vnum suppositum. Posteriori tamen modo vnio incarnationis est omnium maxima: nam diuina persona, in qua illæ duæ naturæ sunt vnum, & indiuisæ: est simplicissima. Priorem vnionem videtur spectasse Duran. cum vnionem formæ cum materia, praeposendam esse putauerit vnioni incarnationis. Ac de ipsa vnione: & coniunctione haftenus,

&c.

PRÆ

Q. 1. 1.

Quæstio prima de vnione personarum in deo.

PRINCIPIO exponendum est, quod non primo conueniat simpliciter vnio personarum in deo, sed de ratione vnionis tractandum est. Et de ratione vnionis tractandum est, quod vnio personarum in deo non est vnio simpliciter, sed vnio secundum rationem. Et de ratione vnionis tractandum est, quod vnio personarum in deo non est vnio simpliciter, sed vnio secundum rationem. Et de ratione vnionis tractandum est, quod vnio personarum in deo non est vnio simpliciter, sed vnio secundum rationem.

D. 1. 1. 1.

PRÆLECTIONVM SIVE ENARRA-  
tionum sacrosanctæ diuini Verbi incarnationis.

Liber tertius.

DE EXTREMIS VNIONIS, ET DIVINA

persona assumente.



AD HVC DE HAC SACRATISSIMA VNI-  
one secundum se, disseruimus: ipsiusq; rationem, quo ad  
eius facere potuimus, exposuimus: reliquum est, quo-  
magis hæc diuina cõiunctio explicetur, vt extrema ipsi  
expendamus: ac primum de persona assumente, deinde  
de natura assumpta, disseramus: hæc enim sunt sacratis-  
simæ huius vnionis extrema.

Quæstio. I.

*Cui nam primo conueniat assumptio, personæ ne, an naturæ?*

Dur. 3.  
sent. d. 5.  
q. 2.

PRINCIPIO exponendum est, cui nam primo conueniat assumptio,  
personæ ne, an naturæ? Hac de re omnino inter Theologos non constat.  
Ac Durandi quidem sententia hisce conclusiunculis explicatur. Assummes  
& est assumptionis causa, & extremum: est siquidem assumere, aliquid ad  
se sumere, illud pronomen se, cum sit reciprocū, significat idem bis ad acti-  
onem concurrere: semel vt causam, iterū vero vt extremū terminas assum-  
ptionem, cuiq; id quod assumitur, coniūgitur.

QVOD igitur ad causam assumptionis attinet, ponitur hæc assertio à Du-  
rado. Diuinæ personæ magis proprie conuenit assumere, quam naturæ, id  
vero sic ostenditur. Diuinæ personæ conuenit assumere, ceu ei quod agit: di-  
uinæ vero naturæ, ceu rationi agendi: esse igitur assumptionis causam ma-  
gis proprie conuenit personæ, quam naturæ: consecutio notissima est, ante-  
cedens quo ad priorem particulam, ita ostenditur. Perfectæ rei est agere, at  
perfectissimum in quaq; natura est suppositum: supposito igitur conuenit  
actio: ceu illi quod agit. Posterior vero particula in hunc modum ostendi-  
tur. Actio Dei extraria conuenit ipsi Deo interuentu potentia, quæ nume-  
ratur in attributis essentialibus: at assumptio est actio Dei extraria, cõuenit  
igitur

igitur Deo interuentu potentie essentialis: ac proinde diuina essentia est ratio per qua diuine persone conuenit huiusmodi actio, ex quo iam efficitur, vt prima assumptionis causa sit persona diuina, secundaria vero, essentia: id enim quod agit est suppositum, quo vero agit est natura: vnde Aug. ad Volusianum, In mirabilibus factis, tota ratio facti est potentia facientis, procul dubio essentialis.

August.

SECUNDA assertio. Esse extremum unionis conuenit tam persone, quam nature: Namque assumptę nature cum assumente coniunctio: per similes est coniunctioni forme accidentarie cum re subiecta, inhaerentia tamen sublata: at forma accidentaria coniungitur tam supposito, quam nature, natura igitur humana coniungitur vtrique, hypostasi. f. diuine & nature. Quo circa diuina natura dici potest incarnata: quemadmodum testatur Da-

Damasc.

TER TIA assertio. Assumere terminatiue, perfectius conuenit diuine persone, quam nature. Id vero ostenditur hoc pacto. Vnio nature assumptę cum persona diuina, duplici vnione perficitur. f. coniunctione eiusdem nature cum diuina essentia: & coniunctione cum proprietate relativa: in qua vnio hypostatica absoluitur, alioqui quaelibet persona dici posset incarnata: At vnio nature assumptę cum natura diuina, in vna duntaxat vnione posita est, in vnione. f. cum diuina natura: perfectius igitur assumpta natura persone coniungitur: quam nature, &c.

HINC consequitur, de sententia Durandi, diuinam personam primo terminare assumptionem, interuentu essentię, ac proinde immediatius vniri naturam assumptam essentię, quam persone. Huic vero assertioni fidem ita facit Durandus. Per id primo conuenit persone diuine coniungi assumptę nature: cuius ope eidem conuenit dependentiam nature assumptę terminare: at diuine persone conuenit nature assumptę dependentiam terminare, interuentu diuine essentię: diuine igitur persone primo conuenit assumere terminatiue, diuine nature interuētu. Porro propositio hinc liquet, quia quemadmodum natura assumpta ideo vnitur, quia dependet: ita assumens ob id coniungit eam sibi: quia ipsius dependentiam terminat. Assumptio ita ostenditur. Diuina persona per id terminat dependentiam inexistentię nature assumptę, quo efficitur, vt subsistat: at diuina persona subsistentiam consequitur non ex proprietate relativa, sed ex diuina essentia: interuentu igitur essentię, nature assumptę dependentiam terminat. Assumptio ostenditur. Nam subsistere significat esse, secundum perfectissimum modum

essendi: at perfectissimus essendi modus est in se existere: non autem affectum esse ad aliud: at diuina essentia efficit ut persona in se formaliter existat: proprietas vero relatiua, ut sit ad aliud affecta: essentia igitur & non proprietas relatiua largitur personæ diuinæ subsistentiam. Confirmatur hoc ipsum Augustini testimonio, et authoritate. Omnis inquit, res ad se ipsam subsistit: quanto magis Deus.

Aug. 5.  
de Trini.  
c. 7.

HINC duo intelliguntur, de sententia ac sensu Durandi, illud est prius: suppositum increatum per aliud subsistere, & per aliud esse suppositum: subsistit quidem per essentiam: est autem formaliter & completiue suppositum per proprietatem relatiuam: contra quod habet in supposito creato: hoc siquidem non solum est illud quod subsistit, verum etiam formalis ratio suppositi, consistit in ratione per se subsistendi. Est igitur in diuinis subsistere vnicum: idq, absolutum.

POSTERIVS vero illud est, terminare assumptionem, primo conuenire naturæ, deinde interuentu naturæ ipsi personæ, ac proinde vnioni personali naturæ humanæ cum persona diuina, coniunctionem naturæ humanæ cum natura diuina, esse præpositam. Hæc Dur. &c.

D. Thomas cōtra sentit, namq; esse principium assumptionis, diuinæ naturæ ex se assertit conuenire, personæ verò, ratione interuentuque naturæ. Etenim omnis actio extranea conuenit personæ interuentu naturæ: cuius vi actio perficitur. Cæterum terminare assumptionem, naturæ conuenit secundo loco: nempe interuentu personæ: vnio namque naturæ assumptæ, terminata est ad personam, non ad naturam. Ita de sententia S. Thomæ, persona primo assumit terminatiue, natura vero secundario, hoc est, quatenus cernitur in persona: ac proinde prima terminandi ratio est personalitas, siue proprietas relatiua. Cæterum natura primo assumit effectiue.

Scot. 3.  
sent. d. 1.  
q. 1. ar. 2.

IOANNES Scotus suam hac de re sententiam ita pronuntiat, ut duplicem ponat assertionem: quarum vna, ut ait, est defacto, altera de possibili. Ac defacto quidem assertio est huiusmodi. Diuina personalitas defacto est ratio terminandi dependentiam suppositalem naturæ humanæ. Id vero ostendit in hunc modum, nihil potest terminare dependentiam suppositalem naturæ, nisi sit ipsum independens independentia opposita dependentiæ naturæ: hæc porrò independentia, est incommunicabilitas: at sola diuina personalitas est hoc pacto independens: Diuina igitur personalitas est ratio, &c. Propositio vel hoc exemplo maximè liquet, nam cum accidens

ex re subiecta dependeat dependentia inhaerentiae, & existentiae, id quod huiusmodi dependentiam terminat, sit independens oportet independentia opposita huic dependentiae, hoc est, ut sit per se existens, neque in re altera inherens: ad eundem etiam modum cum dependentia nature posita sit incommunicabilitate cum supposito: non enim per se existit natura, relinquatur ut id quod nature dependentiam terminat: sit necessario independens independentia huiusmodi dependentiae opposita. Assumptio vero hinc intelligitur, quia diuina personalitas est incommunicabilis, tam ut quod, quam ut quo. Etenim diuina persona neque cum altera persona communicatur, neque est id cuius interuentu aliquid formaliter constituitur: id quod conuenit relatiue proprietati: quae ipsa ut sit incommunicabilis ut quod: est tamen communicabilis ut quo. Ita de sententia Scoti terminans dependentiam nature humanae, neque est ipsa natura diuina precise: neque ipsa proprietas relatiua solum: sed constitutum ex essentia & proprietate relatiua: quod ipsum est diuina persona: ratio vero terminandi est personalitas independens: non proprietas relatiua, quemadmodum Gabriel sensisse putat Scotum. In eadem sententia est Ochamus prima quaestione tertij libri, quae eundem Gabriel sequitur.

# ind  
tin

Gab. 3.  
sent. d. 1.  
q. 1. ar. 1.  
Ocham.  
ibi,

POSTERIOR assertio de possibili est huiusmodi, Diuina essentia potuit terminare assumptionem: esseque ratio terminandi, id vero ita ostenditur. Incommunicabilitas non est necessario ratio terminandi istam dependentiam: sed subsistentia singularis: at diuina natura ex sese est singularis, & subsistens, tamen si non incommunicabiliter, potest igitur esse assumens: ac terminans dependentiam humanae naturae. Propositio liquet vel hinc maxime: quia subsistentia alicuius, satis superque valet ad terminandam ac sustentandam dependentiam in existentiae alterius, ut satis intelligi potest ex supposito creato: & ex re subiecta accidenti: utrumque enim terminat in existentiam, quia subsistit: iam si naturae creatae, & finitae subsistentia hac vim habet, non ne multo potius vim eandem habuerit diuinae naturae subsistentia? Huic propositioni tamen Scotus non adiunxit probationem, adiunxit autem assumptioni. Namque diuina natura est prior naturaliter persona: neque esse consequitur a persona: sed contra, ipsa largitur personae diuinae esse.

Scot.  
sent. d. 1.  
q. 2.  
Item d.  
5. q. 1.

IAM si diuina natura foret immediatus, ac proximus terminus unionis, tunc hic Deus subsistens foret carni coniunctus: essetque eadem numero natura in tribus personis. Vtraque Scoti assertio Thomae Augustiniano probata

Arget. 3.  
sent. d. 5.  
est: q. 1. ar. 2.

est: quam eandem & ipsi comprobamus.

ITAQVE de facto esse terminum assumptionis conuenit naturæ interuentu personæ Verbi: hæc tamen mediatio non tollit quin verè humana natura coniuncta dicatur diuinæ naturæ, & ab eadem assumpta. Estque tota diuina natura in vna Verbi persona incarnata, hoc est, humanæ carni coniuncta, vt asserit Damascenus: non tamen quælibet persona est incarnata: siquidem prima terminandi ratio posita est in personalitate: siue proprietate relatiua: nun verò quod conuenit diuinæ naturæ interuentu personæ, nõ conuenit omnibus tribus personis: siquidẽ hypostaticis proprietatibus inter se seiungantur. Potuit tamen diuina natura immediate vnionem terminare: persona verò interuentu naturæ; &c.

Damas.  
li. 3. c. 6.

Capr. 3.  
sent. d. 1.  
q. 1.

ARGVMENTVM porrò Durandi variè dissoluitur. Ac Ioan. Cap. ita diluit, vt dicat duplicem esse dependentiam assumptæ naturæ ex persona Verbi: vna secundum esse actualis existentia: accipit enim illa natura ex Verbo: & in verbo actualem existentiam: altera secundum personalitatem: est siquidem ille homo ipsum Verbi suppositum: priorem igitur dependentiam terminat essentia diuina immediate, persona verò, interuentu essentia: posteriorem verò dependentiam sola terminat persona, non essentia. Personæ igitur diuinæ per id conuenit naturæ humanæ coniungi: cuius ope terminat posteriorem assumptæ naturæ dependentiam: id vero est personalitas.

Quocirca id quod assumitur, negandum est: quod vero ad probationem attinet: dicitur, personam diuinam per id terminare dependentiam assumptæ naturæ, cuius interuentu subsistit personaliter, nõ essentialiter: etenim subsistere essentialiter, est ipsum diuinum esse, cum tribus personis cõmuni: subsistere verò personaliter, est ipsum diuinum esse adiuncta proprietate relatiua personam constituyente.

Caiet. 3.  
p. q. 3. ar.  
2.

HOC vero quo melius percipiatur, notandum est, Deum nostrum subsistere formaliter deitate, ac proinde subsistere essentialiter & communiter: essentialis siquidem subsistentia cum tribus personis communis est: estque vnica, & vnum subsistens: quemadmodum vnus Deus.

AT persona quælibet subsistit formaliter proprietate personali qua constituitur, non solum in esse relato: verum etiam in esse personali. Cum igitur proprium sit personæ subsistere: relatiua autem proprietate personam siue hypostasim constituat, siue quasi rem subiectam relationi: sequitur vt proprietate relatiua, vt pote personalis sit subsistentia: & subsistens: ac proinde diuina persona formaliter subsistat personalitate, ceu paternitate, filiatione,

spiratione passiva.

**OBIICIT** nobis doctissimus Durandus. Subsistere significat perfectissimum modum essendi, at perfectus essendi modus positus est in eo, ut aliquid sit ad se, ad aliud verò non item, at relatio efficit, ut aliquid sit affectum ad aliud: non igitur efficit, ut aliquid subsistat. Hoc facile diluitur: namque diuina relatio spectari potest duobus modis, vno modo qua relatio: & dependens: altero modo qua proprietas personalis, & forma hypostatica, diuina igitur persona est & subsistit, interuentu relationis, non qua relatio est, sed qua forma hypostatica: qua verò huiusmodi, non est ad aliud. Ita fit ut persona diuina constituatur & subsistat per esse ad aliud: non qua huiusmodi, sed qua forma hypostatica: quæ re ipsa relatio est: fit etiam ut substantia indiuidua siue subsistens, qua huiusmodi non sit ad aliud, idque sensisse putandus est Augustinus. Cum verò tres sint diuine personalitates, efficitur, ut tres sint subsistentiæ personales: cumque personæ ratio in eo potissimum posita sit ut sit, subsistens in natura, conficitur profecto, ut subsistere sit personale potius quam essenziale.

**IN** diuina tamen illa natura, origo & fons totius subsistentiæ est ipsa diuina natura: habet enim rationem primo subsistentis, ut quæ prius naturaliter sit, quam insit in persona. Quo efficitur ut largiatur personæ esse, ac subsistere, diuinaque proinde persona radicaliter ex diuina natura subsistit, formaliter verò sua personalitate.

**HINC** iam facile perspicitur discrimen inter naturam creatam & diuinam, illa enim consequitur subsistentiam ex supposito: non enim hæc humanitas subsistit, nisi ope hypostaseos, nempe huius hominis: at diuina natura se ipsa subsistit, ac personæ tribuit subsistentiam. Hæc ex Caietano decerpimus, quæ ipsa non sunt aspernanda improbanda uè.

Caiet. 3.  
p. q. 3. ar.  
2.

**CÆTERVM** Durandi sententia non est omnino explodenda: nempe cū facile defendi possit, tueaturque reconditam hanc inexplicabilis huiusce unionis rationem: quam christiana religio, ac persuasio profitetur. Namque dicimus diuinam naturam esse humanæ carni coniunctam: itemque solam personam filij esse incarnatam, hæc duo tuetur sententia Durandi, namque humana natura primo est vnita diuinæ nature, deinde diuinæ personalitatis qua coniunctione perficitur unio personalis. Quamuis igitur diuinæ Patris nature sit coniuncta humana natura: non tamen persona Patris dicitur incarnata: siquidem unio hypostatica posita sit non solum in coniunctione cum natura, verum etiam in coniunctione cum persona & proprietate re-

latiua. Hęc porro relatiua proprietates cum in diuinis sit alia, & alia: hinc fit, vt non quælibet persona dicatur incarnata, sed illa solum, cuius cū proprietate coniuncta est humana natura.

Gab. 3.  
sent. d. 1.  
q. 1. ar. 1

**HINC** iam liquere potest nonnullorum argumentorum dissolutio, quæ contra ab aduersarijs afferri consueuerunt. Gabriel igitur ita argumentatur: In quo inest ratio terminandi vnionem, illud terminat vnionem: Etenim ubi est ratio agendi, illud agit: at in quauis persona diuina cernitur ratio terminandi vnionem, nempe diuina essentia, in quam confers rationem causamq; terminandi, terminat igitur quælibet persona vnionem: id quod falsum est, & fidei repugnans. Confirmatur argumentum. Namq; ob id Trinitas creat, quia essentia est ratio creandi: essentia autē inest in tribus personis.

Scot. 3.  
sent. d. 1.  
q. 5.

Hoc eodem argumēto ostendit Scotus rationē terminandi vnionē, non esse positam in natura: sed in proprietate personali.

**ARGVMENTATVR** præterea Gabriel: Æque interna, & essentialis est Patri proprietates personalis atq; essentia, & contra: qua igitur ratione diceretur Patri cōiuncta humana natura, propter cōiunctionē ipsius cū proprietate personali: eadem prorsus dicatur oportet cōiuncta eidē humana natura, propter cōiunctionē eiusdem cū diuina Patris essentia.

**ADDE** his, quia quod conuenit personæ interuentu naturæ, conuenit toti Trinitati: at assumptionem terminare conuenit personæ interuentu naturæ, toti igitur Trinitati cōuenit, &c.

**HÆC** facile pro Durando diluuntur. Etenim natura non est tota, ac perfecta: siue sufficiens terminandi ratio, nō enim ad vnionē personale sufficit cōiunctio cum natura, sed præterea requiritur cōiunctio cū proprietate personali: siquidem diuinam personam non solum constituit ratio subsistēdi: sed formaliter ipsam complet proprietates relatiua. Iam vero creandi vis ac ratio tota in diuina essentia consistit, &c.

**QVOD** vero ad secundum argumentum attinet: Antecedēs facile conceditur, negatur tamen id quod consequitur. Namq; ad vnionē personalem non sufficit vnio cum natura: sed accedat oportet cōiunctio cum proprietate personali: neque est hæc argumentandi ratio firma. Essentia est idem quod paternitas: at humana natura est coniuncta essentia Patris: coniuncta est igitur paternitati: Namque & si paternitas, & essentia sint idem re: differunt tamen forma: quo discrimine efficitur, vt aliquid conueniat paternitati, quod non conueniat essentia, & contra: Etenim paternitas gignit: essentia non generat. Essentia est cum tribus personis communis, Paternitas

non



non item.

CONSIMILI etiam ratione humana natura coniuncta est diuinitati, quæ ipsa cum tribus personis cõmunis est: non tamen Patri, aut Spiritui sancto: sed soli filio personaliter coniuncta est.

ARGVMENTVM porrò tertium ita dissoluitur, Quod conuenit personæ interuentu naturæ præcisè, id toti conuenit Trinitati: iam vero assumptionem siue vnionem personalem terminare, non conuenit personæ interuentu naturæ præcisè: sed adiuncta etiam personali proprietate: in qua vnione tandem consistit vnio hypostatica.

ITA Durandi opinio vindicari à calumnia in hunc modum potest.

## Quæstio. II.

*Vtrum seiuncta proprietate personali per intellectum, adhuc natura possit assumere?*

CÆTERVM, vtrum seiuncta proprietate personali per intellectum adhuc natura possit assumere? quæstio est: quæ ipsa explicari in hunc modum consuevit. Seiunctio siue abstractio fieri potest vel ab ipso Deo: idque bifariam, vel vt omnino personalitas remoueatur, comprehendatur autem animo nuda essentia ab omni hypostasi seiuncta: vel certe proprietates relatiua seiungatur animo: concipiatur autem animo Deus quemadmodum Ethnici, & à religione christiana alieni homines ipsum animo concipiunt, complectunturque. Aut certe seiunctio relatiuæ proprietatis fieri potest ab assumptione duntaxat. His ita præpositis ponuntur tres conclusiones.

PRIMA assertio. Abstracta per intellectum omni personalitate in diuinis, ita. s. vt nuda essentia ab omni hypostasi seiuncta animo comprehendatur, fieri non potest, vt assumptio naturæ creatæ diuinæ illi essentiæ conueniat. Id vero ita ostenditur, Verbo assumptionis duo continentur. s. principium efficiens assumptionis, & terminus assumptionis: at nuda essentia ab omni que hypostasi abiuncta, neque efficere, neque terminare assumptionem potest: non igitur nuda essentia assumere potest. Ac nudam essentiam non posse efficere assumptionem ex eo intelligitur, quia naturæ non conuenit agere nisi qua est in supposito; sunt enim actiones suppositorum: nuda igitur es-

Bona. 3.  
sent. d. 1.  
q. 4.  
sentia, & ab omni hypostasi seiuncta a rationem minimè obierit. Adde quia actio illi soli conuenit quod existit: at nuda essentia ab omni hypostasi abiuncta non existit: sed comprehensione animi duntaxat continetur, non agit igitur.

Dur. 3.  
sent. d. 1.  
q. 4.  
**QVOD** autem non possit assumptionem terminare, hinc liquet, quod non existit: neque subsistit, terminare, siue sustentare dependentiam inexistentiæ alterius non potest: at seiuncta omni personalitate, essentia neque existit, neque subsistit: non igitur terminare inexistentiam alterius potest. Propositio vel hinc liquet maximè: quia id quod assumitur ad aliud, non in se existit, sed in alio: quo efficitur, vt illud necessario existat, perque se subsistat, quo dare alteri existentiam possit. Assumptio vero ita ostenditur. Etenim quod subsistit est hypostasis: si uero in natura rationis compote subsistat, est persona: sublata igitur omni personalitate, tolleretur omnis subsistentia: natura igitur ab omni personalitate seiuncta non subsistit, neque etiam existit, siquidem sola animi comprehensione contineatur. Præterea quicū fieret illa coniunctio? aut cum persona, aut cū natura, nō cum persona, iam enim posuimus omnem esse amotam personalitatem, neque cum natura: alioqui natura commutaretur in naturam: vel ex duabus existeret vna natura, vt iam supra docuimus: nullus igitur relinquitur coniunctioni locus, si nuda essentia intelligatur.

**SECUNDA** assertio. Abiuncta personali proprietate, ita scilicet, vt perinde animo concipiatur Deus, atq; Ethnici, & Iudæi ipsum concipiunt, etenim illi diuinitatem intelligunt, non vt communicatam cum tribus personis relatis: sed vt communicatam cum vna persona absoluta, quam ipsam Deum appellant, cuique omnia diuina attribuunt: hoc igitur modo si intelligatur Deus, potest eidem assumptio conuenire: quod ipsum ita ostendimus. Omnis persona potest assumere cum effectiue, tum terminatiue: at abiuncta, vi intellectus, proprietate relatiua, insidet in animo, comprehenditurque diuina essentia vt persona, potest igitur intelligi assumens. Propositio iam ex ijs quæ docuimus patet. Nam personæ proprie conuenit actio: & persona sola subsistit, ita efficere potest assumptionem: & interuentu subsistentiæ assumptæ naturæ inexistentiam terminare. Assumptio verò ita ostenditur. In Deo idem est quod est & quo est, remotis igitur per intellectum personalibus proprietatibus, remanet essentia: occurritque animo vt subsistens: at omne subsistens in natura vi intelligendi prædita est persona, occurrit igitur animo vt persona: ac proinde interuentu subsistentiæ: & persona-

sonalitati intelligi potest assumens.  
 OCCVRES hoc loco. Apud diuinam naturam hæc consecutio nihil habet firmitatis: est subsistens: igitur est persona: namque diuina essentia comunicata cum tribus personis est subsistens: quæ ipsa tamen non est persona. Dicimus ex subsistentia simpliciter nõ posse colligi personalitatem in diuinis: sed ex <sup>subsistentia</sup> substantia remotis alijs.

DVRANDVS eidem assertioni ita fidem facit: manente illo subsistere quod sufficit ad assumptionem: manet vis, facultasque assumendi: at remota per intellectum personalitate, relinquitur illud subsistere quod satis est assumptioni: Etenim manet subsistere absolutum & infinitum: quod ipsum est prima ratio substantiandi omnem aliam naturam quoad existentiam, sublata igitur personalitate per intellectum, adhuc diuina essentia potest intelligi vt assumens.

HVIC conclusioni refragatur Thomas Augustinianus, hac potissimum ratione ductus: nam quod non existit non potest assumere naturam aliquam: at remota diuina personalitate, nullus locus relinquitur essentiae, non igitur remota personalitate, diuina essentia poterit assumere. Propositio ostenditur vel hinc maxime, quia assumptio est actio: at actioni, rei essentia statusuè præponitur. Assumptio hinc liquet, quoniam fieri non potest vt diuina natura aliter existat atque existit: at diuina natura in tribus personis existit, remotis igitur personis, nullus plane existentiae naturæ locus relinquitur: non potest igitur assumere. Adde quia hæc conclusio quartam aliquam personalitatem nempe absolutam videtur inducere: id quod tamen non exiguum erratum est.

### Responsio.

DIVINA natura re ipsa est in tribus personis: quæ admodum animal re ipsa est in homine: quo efficitur, vt quæ admodum animal nõ potest existere sumotis rebus singulis, ita etiam diuina natura nõ possit existere sumotis personis: cæterum quemadmodum animal cogitatione: & intellectu sciungitur à rebus singulis: ita etiam essentia à personis, non enim in conceptu essentiae includitur persona: ac hoc modo potest diuina essentia intelligi assumens. Non enim fit abstractio re ipsa: sed sola actione intellectus, qua efficitur, vt vnum intelligatur altero interim non intellecto: cum er-

Du. 3. se.  
d. 1. q. 4.Argët. 3.  
sen. d. 5.  
ar. 2.

go possit intelligi essentia non cointellecta persona: fit, ut remotis per intellectum proprietatibus personalibus, diuina essentia intelligatur ut assumens: nempe cui sic animo comprehensæ conueniat subsistentia, quæ valet ad assumptionem,

**OBIICI** contra potest, cum Deus sic intelligitur, vel intelligitur sicuti est: vel secus, non potest intelligi hoc modo perinde atque est ut qui sit diuinitas in tribus personis: aliter igitur atque est intelligitur, ac proinde fictitia est illa animi comprehensio. Dicimus non intelligi Deum perinde atque est: Deus enim cum sit simplicissimus, non sic potest intelligi, ut vno remoto, alterum sit reliquum: sed intelligitur Deus consentaneæ nostro intelligendi modo, nos enim ea quæ sunt vnū, variè & seiunctim intelligimus.

**POSTERIVS** argumentum ita dissoluitur. Personalitas absoluta in diuina potest induci duobus modis, vno modo de facto, ut dicitur, altero modo ex hypothese: siue ex adiunctione, nempe si non esset Trinitas personalitatum: sic enim essentia esset persona aliqua absoluta, & hoc modo philosophi Deum intelligunt: & conclusio sic est accipienda, non de facto, &c.

**TERTIA** assertio. Seiunctis relatiuis proprietatibus ab assumptione, diuina natura potest assumere: ita scilicet, ut ipsa immediate terminet assumptionem: persona verò interuētū naturæ. Huic assertioni iam supra fidem fecimus sumpto ex Scoto argumento. Thomas August. eidem conclusioni hanc approbationem adiungit: Quod conuenit tribus personis, immediate conuenit naturæ: nam omne huiusmodi conuenit personis, qua natura consentiunt, & conspirant: At naturam humanam assumere, assumptionemque terminare, tametsi de facto soli personæ filij conueniat, tamen de possibili potuit conuenire tribus personis, potuit ergo diuina natura terminare assumptionem.

**SVNT** hoc loco duo diligenter annotanda: illud est prius, huiusmodi unionem & assumptionem non terminari primo ad diuinam essentiam ut sic, sed ad diuinam essentiam ut significatur inconcreto, siue in habente: multum enim interest inter deitatem & Deum, siue hunc Deum: nam deitas non generat, & gignitur: Deus tamen generat, & gignitur. Eodem modo deitas non terminat assumptionem sed Deus, etenim assumens, siue terminans assumptionem est subsistens: at diuina essentia qua huiusmodi non significatur ut subsistens: ut sit subsistens: significatur autem ut subsistens nomine concreto, &c. Notandum est etiam quod data huiusmodi hypostasi, natura assumpta dependeret ad essentiam, non dependentia

sup-

Argēt. 3.  
sen. d. 5.  
ar. 2.

suppositali, sed existentiae: nam natura diuina, cum non sit suppositum, nulli dare potest esse suppositale, dependeret tamen hypostatice ad diuinas perso-

nas: secundario tamen, ex Gab. 3. d. 1. q. 1. ar. 3. POSTERIVS illud est. Hanc eandem vnionem & assumptionem differre ab ea quae effecta est: partim quia illa quae effecta est ad solam Verbi hypostasim ceu ad per se primo terminum assumptionis terminata est, at haec qua de agitur assumptio, ad omnes tres personas terminatur, secundario tamen, hoc est interuentu diuinæ naturæ: Etenim quod conuenit Deo secundum se, conuenit omnibus tribus personis: partim quia vnio quae facta est, terminatur ad subsistens incommunicabile: at huiusmodi vnio terminaretur ad subsistens communicabile: nempe ad hunc Deum. Hastenus nobiscum sentit Durand. in ea siquidem est sententia vt putet: huiusmodi vnionem fore communem cum tribus personis: nempe quia esset vnio secundum existentiam: quae cum tribus personis communis est. Negat tamen huiusmodi vnione consequi, vt Pater, filius & Spiritus sanctus, sint incarnati, quando quidem Patris filij & Spiritus sancti nominibus declarantur relatiuæ proprietates: quibus cum non esse factam coniunctionem, positum est. Adde quia sic vna persona non posset carni coniungi sine altera, id quod tamen falsum est.

Du. 3. se.  
d. 1. q. 4.

OBIICIT Caiet. nonne à Durande citra omnem adiunctionem sed simpliciter. Pater, filius & Spiritus sanct. dicuntur effecisse assumptionem, quam eandem tamen interuentu naturæ effecerunt? Cur etiam non consimili ratione dicentur terminare assumptionem, ac proinde incarnati, tametsi ope diuinæ naturæ ipsam terminet? Nos pro Durando respondemus: quod si vis vocabuli expendatur, huiusmodi vnione & assumptione Patrē non proprie dici incarnari: Nam illa oratio significat naturam humanam esse coniunctam cum relatiua proprietate Patris, ita. s. vt sit primarius vnionis terminus: contra quod tamen positum est. Dicitur tamen Pater incarnatus, quatenus hic Deus: fusiustamē sumpto vocabulo, Pater dici posset incarnatus: itidem & filius, &c.

Caiet. 9.  
p. 9. ar.  
3.

EX hisce quæ adhuc de hac sacratissima: & inexplicabili coniunctione tradidimus, conficiuntur duæ conclusiones omnibus Theologis probatae: Ac prior conclusio est huiusmodi.

Thom.  
3 p. 9. 3.  
ar. 4.

VNA diuina persona potest assumere naturam creatam, altera interim nõ coassumente. Namque creata natura cum non possit adsumi ad vnitatem diuinæ naturæ, vt iam docuimus: sequitur vt assumatur ad vnitatem diui-

Scot. 3.  
sent. d. 1.  
q. 2.  
Bona. 3.  
sent. d. 1.

Dur. 3.  
sent. d. 1.  
q. 2.  
Gab. 3.  
sent. d. 1.  
q. 1. ar. 2.

nae personæ: ita scilicet, ut diuina persona terminet ac sustentet dependentiam hypostaticam assumptæ naturæ: at vna persona potest sine altera huiusmodi dependentiam terminare, potest igitur vna persona assumere naturam creatam, altera interim non assumente. Assumptio hinc liquet, quia diuinæ personæ inter se distinguuntur: terminare autem dependentiam suppositalem soli conuenit personæ: Potest igitur vna diuina persona sine altera hypostaticam naturæ assumptæ dependentiam terminare. Ceterum effectio assumptionis huiusmodi, cum tribus diuinis personis cōmūnis est: nempe quia effectrix huiusmodi assumptionis causa, sit diuina essentia, quæ cum tribus illis diuinis personis cōmūnis est.

POSTERIOR conclusio ita habet. Quælibet trium personarum potuit humanam naturam assumere. Namque quælibet potuit assumere naturam humanam ad vnitatem suppositi, ita scilicet, ut dependentiam ipsius hypostaticam terminaret: potuit igitur quælibet trium personarum naturam assumere, &c. Antecedens illud hinc constat, quoniam diuina vi effectum est, ut persona diuina filij carni humanæ coniungeretur ipsiusque hypostaticam dependentiam sustentaret: At diuina illa vis æqualiter, & indiscriminatim est affecta ad omnes diuinas personas: potuit igitur ad quælibet actionem terminare: ac proinde quemadmodū vis diuina humanam naturam diuinæ personæ filij hypostaticæ coniunxit: ita etiam potuit & Patri, & Spiritui sancto coniungere, &c.

VTRAQUE tamen assertio hisce argumentis refutatur. Ac prior quidem refellitur hoc pacto: Omnis actio extranea est cū tribus diuinis personis cōmūnis: at terminare dependentiam hypostaticam assumptæ naturæ, est actio extranea: cōuenit igitur tribus illis personis simul.

AD hanc idem est principium effectiuum, & terminatiuum actus reciproci: at assumptio actio quædam est reciproca, est enim assumptio ad se sumptio, principium igitur assumptionis est & extremum assumptionis: quælibet autem persona est principium assumptionis: & terminans igitur assumptionem.

POSTERIOR vero conclusio hoc vel maximè argumento infirmatur, nā Patri æterno nullo modo potuit carnis assumptio cōuenire. Etenim incarnatio ipsa quædā est diuinæ personæ in mundum missio: ad hanc incarnationis illud est cōsequens: ut. s. persona carni coniuncta genita dicatur ex tēpore: vtrūque autem pugnat cum sanctissima, nimiumque veneranda ac suspicienda persona patris: Etenim pater æternus est innascibilis, hoc est, ex alio non procedens

cedens: Est enim principium non de principio ortum habens: ac proinde eidem ipsi non cōuenit mitti. Nam illa persona solum mittitur, quæ alteri originem sui acceptam refert, non igitur potest personæ Patris assumptio carnis conuenire.

**HORVM** argumentorum hæc est explicatio. Ac primum argumentum ita explicatur. Omnis actio extraria conueniens diuinis personis interuentu diuinæ naturæ in qua sunt vnum ipsæ diuinæ personæ: conuenit ipsis tribus diuinis personis: non tamen actio extraria conueniens naturæ interuentu personæ: cuius generis est terminare dependentiam suppositalem assumptæ naturæ. Hæc enī actio cōuenit diuinæ personæ, per id quod diuinas personas inter sese distinguit, non tamen per id quo efficitur vt sint vnum. Sunt qui dicant hanc terminationem non esse actionem extrariam, sed quiddam potius cōsequens actionem extrariam, nempe assumptionem quæ ipsa hoc finita est, vt diuina persona filij, dependentiam hypostaticam assumptæ naturæ terminaret.

**SECVDVM** argumentum ita soluitur. Cum multi ad principium actionis reciprocae pertinent, tum non est necesse vt illi multi actionem terminent: sed vnus duntaxat terminat: cum enim multi trahunt lapidem, vnus duntaxat tractum terminat: semper tamen vnum idemque & est effectrix causa tractionis, & terminans tractionem. Ad eundem modum, vt effecerint Pater, & filius, & spiritus sanctus assumptionem: solus tamen filius terminauit assumptionem: nempe qui solus ad se sumpsit naturam humanam: Pater autē & spiritus sanctus eandē personæ filij hypostaticè coniūxerunt. Id vero perinde intellige: ac si tres homines vni vestem aliquam circundēt: vnus autem illa veste amiciatur. Etenim, Pater filius & spiritus sanctus, personæ filij carnis humanæ candidissimam tunicam circundederūt: at solus filius hac carnistunica indutus & amictus est: iuxta quod dictum est à Paulo, Exinaniuit semetipsum formam serui accipiēs: in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.

Philip. 2

**TERTII** argumēti hæc est explicatio, Pater dicitur ingenitus, eo quia nulli sui originem ab æternitate acceptam referat: cui tamen non repugnat esse genitum ex tempore ex matre virgine, ipsaque eius carnis assumptio non diceretur missio: siquidem carnis assumptio non sufficit ad rationem missionis, nisi adsit processio, quæ ipsa non cadit in diuinam personam Patris: cæterum quia conuenit personæ filij, proinde per carnis assumptionem dicitur missus.

QVAM-

QUAMVIS autem quælibet diuina persona potuerit carnem assumere: hæc tamen carnis assumptio fuit diuinæ personæ Verbi conuenientior. Id quod facile colligi potest, cum ex ijs quæ ipsius sunt propria: tum ex ijs quæ illi ipsi attribuuntur. Ac propria in filio quatuor cernuntur, nempe, quod sit filius Dei, quod sit verbum patris, sit eiusdem imago, sit postremo media in Trinitate persona.

PRINCIPIO, Dei filium decebat carnis assumptio, & humanæ restaurationis expletio, decebat enim vt qui in diuinitate erat Dei filius, idem in humana natura esset virginis filius, itaque effectum est, vt in trinitate non essent multi filij.

PRÆTEREA, cum humanæ nature ad diuinam personam assumptione effectum sit, vt homines à Deo in filios adoptarētur, hæredesq; coelestis regni instituerentur: hæc adoptione ab eo perfici oportuit, qui erat Dei filius naturalis, vt ab eo cuius erat naturalis hæreditas, cæteri in filios adoptarētur, & cohæredes efficerētur, iuxta apostoli sententiam ad Rhom. 8. Si autem filij & hæredes: hæredes quidē Dei, cohæredes autē Christi.

Rho. 8.

DEINDE, hoc ipsum mysterium cum Dei Verbo maximè congruebat: nam coelestia mysteria erant hominibus aperienda: regnum coelorum erat annuntiandum: homines erant ad pietatem & religionem instituendi: hoc porrò docendi munus & officium, Dei Verbo erat aptissimum. Nam verbum dicentem ipsum patefacit & demonstrat: At Christus coelestem patrem hominibus occultum patefecit, & agnoscendum præbuit: quem admodum ipse testatus est, inquit, Pater manifestaui nomen tuum hominibus, &c.

Ioan. 17.

QUA vero Christus Dei filius erat patris imago, carni humanæ iungendus fuit potius, quam pater: aut Spiritus S. quoniam hæc carnis assumptio eò comparata est vniuersa, vt imago Dei animis hominū diuinitus insculpta: que peccato fuerat deformata, reficeretur, & nitore pristino: atq; splendore restitueretur, at decebat vt imago imaginem reficeret, & in veterem candorem & splendore restitueret.

POSTREMO, huius tanti muneris expletio mediæ in trinitate personæ aptissimè cōueniebat. Namq; incarnationis effectus hic fuit præstātissimus, vt homines à Deo propter peccata abalienati, in gratiam cum Deo rediret, & coelesti Patri reconciliarentur: At fuit decentissimū, vt qui medius erat in Trinitate, foret Dei et hominū mediator.

IAM si ea quæ filio attribuuntur expendamus, comperiemus carnis assumptionem

ptionem



ptionem ipsi fuisse cōuenientissimam. Etenim in diuinis literis hæc duo, nē-  
pē sapientia, & virtus, attributa filio leguntur, quemadmodum satis constat  
ex sententia D. Pauli. i. ad Corinth. c. i. Christum Dei virtutem, & sapiētiā.  
Quā igitur Dominus IESVS Christus est Dei sapientia, ipsi hominum re-  
stauratio maximē congruebat. Decebat enim vt quę per diuinam sapienti-  
am effecta erant, eadem sapientia restaurarentur: & homo qui per inanem  
sapientię appetitionem interierat, per sapientiam ad immortalē vitam re-  
uocaretur. Quā vero Dei virtus est, homo à dæmone superatus, per ipsum  
liberandus fuit, & non ab alio, quam à Dei virtute, erat de hoste victoria  
reportanda.

1. Cor. 1.

NOTAND VM est tamen incarnationem quo ad efficientiam, æque tri-  
bus diuinis personis conuenire, attribui tamen hanc efficientiā Spiritui san-  
cto: quoniam charitas Dei est causa incarnationis: iuxta illam sententiā: Sic  
Deus dilexit mundū, vt filiū suum unigenitum daret, &c. Iam autem chari-  
tas attribuitur Spiritui sancto.

Ioan. 3.

### Quæstio. III.

*Vtrum eadem numero natura creata possit assumi à  
tribus personis?*

**R**ELIQVÆ sunt duę quæstiones ad assumentem personam attinen-  
tes: quarum illa est prior, vtrum eadem numero natura creata possit  
assumi à tribus diuinis personis: ita. s. vt quælibet persona dependentiā hypo-  
staticam illius assumptæ naturæ primo terminet: Posterior vero quæstio est,  
vtrum vna diuina persona possit multas easq; aut numero solū: aut etiā spe-  
cie dissidentes naturas assumere? &c.

AC de priori quidem quæstione ambigitur inter Theologos: neque cōue-  
nit inter eos: quibusdam enim negatio: alijs vero affirmatio probata est. Di-  
uus Bona. & Ioannes Scotus, negationem comprobauerunt: suntq; in eam  
sententiam, hisce vel maximē argumentis inducti. Ac Bon. ita argumenta-  
tur: Quod manifestā continet repugnantiam, non cadit sub diuinam om-  
nipotentiam: at vnā numero naturam assumi à multis personis diuinis  
manifestam continet repugnantia, non potest igitur adsumi. Posterior sum-  
ptio ostenditur: namque assumptio terminatur ad vnitatem: aut igitur ad  
vnitatem assumentis, aut assumpti: neutro modo: Etenim in assumente  
duo

Bona. 3.  
sen. d. 4.  
q. 3.

duo cernuntur: cum vnitas naturæ, tum vnitas personæ: at ad neutram vnitatem potuit natura adsumi: non ad vnitatem naturæ: siquidem natura creata non potest in diuinam & increatam naturam commutari: neque contra: vt iam alibi docuimus: neque itidem ad vnitatem supposito: ita enim fieret vt diuinæ personæ essent vnum supposito, & hypostasi, ac proinde nõ essent multæ personæ. Accedit quia pugnat vehementissimè multas personas conspirare in vnica hypostasi: non enim potest vlllo modo coniungi vnitas personæ cum multitudine personarum.

**NEQVE** etiam potest adsumi ad vnitatem indiuiduam assumpti: ita enim fieret vt assumens traheretur ad assumptum, non contra: id quod non congruit cum natura assumptionis: est enim assumptio ad se, & non ad aliud assumptio.

**ADDE**, quia hoc ipsum tolleret diuinarum personarum distinctionem: namq; idem esset pater, filius, & spiritus sanctus, ille in quâ homo diuinis personis coniunctus, idq; per idiomatum cõmunicationem: indeq; propterea eueniret, vt pater esset filius, & contra. Hæc vero omnia cum sint absurdissima, concludit Bon. non modo non fieri: sed neq; cadere sub intelligentiam posse, eandem numero naturâ, adsumi à tribus personis, &c.

Scot. 3.  
sent. d. 1.  
q. 2.

**IOANNES** Scotus eandem conclusionem hisce argumentis confirmat. In omni dependētia essentiali, vnum dependens non dependet præcise, nisi ad vnum quod totaliter terminat eius dependentiam: at in hac vnione est dependētia essentialis vnus naturæ: & vna persona ipsam totaliter terminat, non igitur potest idem hypostaticè ad multas personas depēdere.

**PROPOSITIO** satis liquet in dependētia effectus ad causam. Etenim fieri nequit, vt idem numero effectus pendeat ex multis causis, quarum quæuis sit tota illius effectus causa, idque eodem genere causæ: sic enim fieret, vt nulla ipsarum esset tota effectus causa: namque totalis causa est, quæ rem cuius est causa valet efficere, omni vi causæ alterius sublata. Constituamus igitur A. & B. esse causas totales effectus. C. iam sic licet argumentari: A est totalis causa effectus. c. omni igitur causa alia submota, potest ipsum efficere: ita B. causa remota, adhuc ab A. proficiscetur effectus. c. non igitur effectus. c. pēdet à B. Eodem modo licet argumentari, si B. est tota causa effectus. c. ita in omni genere dependentiæ hoc spectari licet, quod cum dependentia alicuius fuerit ad aliud omnino terminata: non possit illud dependentia eiusdem rationis ad aliud dependere. Cum igitur, &c.

**ASSUMPTIO** ita ostenditur. Non minus terminat dependentiã suppositalem

fitalem assumptę naturę personalitas diuina & increata, quam personalitas creata terminet dependentiam eiusdem naturę: cum à propria hypostasi sustentaretur: At si à propria hypostasi sustentaretur, omnino eius dependentia terminaretur: ita fanè, vt non possit ad aliam hypostasim siue creatã, siue increatã hypostaticè dependere: igitur & à diuina personalitate omnino huiusmodi dependentia terminatur, &c.

ITEM idem numero accidens non potest depēdere ex multis subiectis primis: quorum quoduis dependentiam inexistentiæ omnino terminat: igitur nequē eadem numero natura potest dependere primo ad multas hypostasies, quarum quæuis suppositalem dependentiam omnino terminat. Antecedens perinde intelligitur atq; in causis. Etenim nullum esset subiectum primum: namq; subiectū primum accidentis est, quod alio quouis sūmoto dependentiã inexistentiæ accidentis ipsius terminat, &c.

ITEM ob id efficitur diuinam essentiam esse formaliter infinitam: quia eadem numero existens potest inesse in multis suppositis: igitur si natura creata potest inesse in multis suppositis per assumptionem: relinquatur naturã illam esse infinitam. Etenim idem numero in multis inesse, illimitationem quandam & infinitudinem eiusdem declarat: infinitudinem inquam perfectionis, efficit enim id, quod alioqui alterum eiusdem naturę, potuit efficere. Ita si eadem numero forma posset multas materias perficere, & actuare: esset illimitatę perfectionis: cōtineret enī virtualiter & eminēter perfectionē formarum, quę illis materijs actum largiri potuerūt.

DE sententia igitur Scoti, eadem natura non potest hypostaticè dependere ad multas personas, ceu ad per se primo terminos, vt possit depēdere ad multas personas mediate: siue vt ad secundarios terminos: id quod tum maxime fieret, si natura humana primo & mediatè ad diuinã naturã terminaret; ab eadēq; sustentaretur: quemadmodū iam supra docuimus.

CÆTERVM omnis fere reliqua Theologorum turba affirmationem est amplexata, hoc vel maxime argumento ducta: quia diuinę illę personę, cum relationibus oppositis constituentur, à cōmunionē consensioneq; eiusdem absoluti non sese excludunt: id quod vel hinc maxime intelligitur: quia omnia absoluta sunt trium personarum cōmunia. Adde inquit Varro, quia eadem numero anima potest esse in diuersis partibus corporis: & idem numero corpus, vi diuina locari potest in abiunctis, lōgeque diuersis locis: igitur eadem vi effici potest, vt eadem natura creata possit in multis hypostaticè inesse. Accedit, quia natura humana ante Verbi assumptionem

I fuit

immediate

Thom.

3. P. q. 3.

ar. 6.

Item, 3.

set. d. 1. q.

2. ar. 4.

Durā, 3.

sent. d. 1.

q. 3.

Henr.

q. 6. lib. 6.

q. 7.

Gab. 3.

sent. d. 1.

q. 1.

Var. li. 3.

q. 5.

Arg<sup>o</sup> 3.  
Sent. d. 1.  
q. 2.

fuit assumptibilis à Patre, & nunc igitur est assumptibilis, consecutio ostenditur. Namque huiusmodi assumptio posita est & in vi efficacitateque adsummentis, & in obedientia creaturæ: at eadem est Patris & filij potentia, quæ ipsa non est exhausta naturæ humanæ ad diuinam Verbi personam assumptione: Neque item vis ad obediendum, quæ cernitur in creatura, est omnino consumpta hac eiusdem ad personam Verbi adsumptione: potest igitur assumi à persona Patris. Assumptionis particula posterior ostenditur. Namque non est eadem potentia obedientialis ad personalitatem Patris & filij, quemadmodum neque ipsæ personalitates sunt eadem: igitur si vna ad actum traducitur, non necesse est & reliquam traducere.

**NOBIS** placet hoc potuisse effici à Deo vt. s. diuinæ illæ tres personæ in vna numero natura humana subsisterent, illique personalitates suas imperirent, nempe cum nihil illud contineat repugnantia, iam vero omne illud quod non repugnat cadit sub diuinam omnipotentiam. Hoc ipsum etiam sensit D. Bon. etenim inquit. Cum multa Deus valeat efficere quæ ipsi animis concipere: & intelligentia consequi non possumus: quis audeat asserere diuinæ illas tres personas non posse vnum eundemq; hominẽ assumere? Certe nihil obstat quin diuinæ personæ possint efficere, vt in vna singulari & indiuidua natura subsistant ex tempore: cum illa natura nõ sit factu impossibilis, sitque parata parere cuiuslibet sacræ Triadis personæ. Neq; pugnat cum hac sententia Anselmus: nam qui ita sentiunt non id asserunt, nempe naturam hanc singularem adsumi ad vnitatem personalem: hoc siquidem pugnat, estq; factu impossibile, quemadmodum asserit Anselmus: sed id potius aiunt quod si tres illæ diuinæ personæ assumerent eandem numero naturam, essent vnus homo vnitatem assumptæ naturæ, non personæ.

Anselm.

**NEGAT** tamen idem. Bon. posse illud fieri eo genere assumptionis quod consequitur comunicatio idiomatum. Nam ita eueniret vt filius esset Pater, & cõtra. Hoc vero quã verè dictum sit mox expendemus.

**QV**O circa argumenta illa iam nobis diluenda sunt, quibus negatio cõfirmata est. Primum igitur argumentum ita explicatur. Dicimus assumptam à tota triade naturam, assumi illam quidem ad vnitatem adsummentis: non quidem ad vnitatem nature, vt iam alibi docuimus, sed ad vnitatem personæ: non quidem vnus personæ, id quod argumento illo conficitur: sed ad vnitatem personæ adsummentis: ita. s. quod quæuis persona adsumens trahat illam naturam, adiungatq; ad vnitatem proprii suppositi: essetq; proinde natura illa singularis, & quæ

& quælibet persona adsumens vnum supposito.

**QVÆRAS** hoc loco, num forent tres homines: an vnus homo? Sunt qui dicant fore tres homines: nam homo est nomen suppositum declarans: sunt autem illic tria supposita: tres homines igitur eandem numero naturam habentes. **D. Thomas** asserit esse hominem vnum: propterea quod sit vnica numero natura humana in tribus diuinis personis: quemadmodum etiam tres diuinæ personæ sunt vnus Deus: quia vnica est in tribus essentia, & natura.

Gab. 3.  
sent. d. 1.  
q. 1. ar. 3.

Thom. 3.  
P. 9. 2.  
ar. 6. ad. 8.

**OBICI** contra potest non videri parem rationem: namq; diuina natura est idem omnino cuilibet diuinæ personæ: natura autē assumpta re ipsa differt à quavis diuina persona: ac proinde personæ humanæ carni adiunctæ sunt multi homines: at personæ diuinæ vnus omnino Deus.

**ADDE**, quia iuxta vsitatam loquendi formam, vnus homo significat vnā naturam singularem in vnico supposito.

**DVRANDVS** hanc affert rationem: quoniam nomen substantiuū significat singulariter, aut pluraliter iuxta vnitatem formæ significatæ, vt contra nomen adiectiuū iuxta hypostasis aut vnitatem, aut multitudinem. Iā vero homo nomen est substantiuum vnicam ac singularem naturam humanam declarans: ac proinde tres illæ personæ humanæ carni coniunctæ sunt vnus homo, non tres homines: quæadmodū vnus Deus, non tres dij.

Du. 3. 2.  
d. 1. q. 3.

**CAIETAN.** putat neq; esse vnum hominem simpliciter, neque vnum hominem numero: sed vnum hominem: non vnum hominē simpliciter: siquidem vnus homo simpliciter vnicam ac singularem naturam significat in vnica hypostasi: nō vnum numero hominem, siquid ē vnitas numeralis expendatur quoad hypostasim: itemq; multitudo: at sunt tres hypostases numero: non igitur vnus homo numero, sed tres numero homines. i. tres personæ humanæ in vna numero humana natura subsistentes. Esset tamen vnus Deus, vnusq; homo: non tamen perinde vnus homo, ac vnus Deus: nam tres diuinæ personæ sunt vnus numero ac simpliciter Deus, qui idem est cū Patre, filio & Spiritu sancto cōmunis: at non vnus numero ac simpliciter homo, cum tribus diuinis personis cōmunis. Dicit potest apertius esse tres homines hypostaticè, vnum hominem essentialiter. Verum hac de re sequenti quæstione latius differemus.

Caiet. 3.  
P. 9. 3. ar.  
6.

**SECVNDVM** argumentum ita diluitur. Damus cum illa assumptione coniunctam esse mutuam idiomatum cōmunicationem: non tamen vllam inde diuinis personis confusionem asserri concedimus. Vt enim Pater esset

I 2 homo,

homo, itidem, filius & Spiritus sanctus: non tamen Pater esset idem homo qui filius aut Spiritus sanctus: sed alius, siquidem est alia persona: homo vero hypostasim declarat. Pater tamē eadem numero natura foret homo, qua filius. Quia vero perinde accipitur subiectum ac postulat attributum, ex ipso attributo facile posset internosci: ad quam personam subiectum esset referendum: cum igitur hominem ingentum diceremus: facile intelligeremus personam Patris: quemadmodum etiam cum dicimus, Deus ingentus, &c. Minus ergo efficaciter hoc vel maximè argumento cōcludit Bonau. nullo modo fieri posse, vt seruata idiomatum cōmunicatione, eadem numero natura à tribus diuinis personis assumatur. Adde quia non videtur posse intelligi, esse aliquā assumendi rationem citra idiomatum cōmunicationem. Nam vnione hypostatica ex assumpto: & assumēte vna persona oritur: fitq; vtro citroq; idiomatū cōmunicatio, &c.

QVOD vero attinet ad Scoticam argumentationem: propositionem illā putat Caietanus Capreoli auctoritatem secutus, esse intelligendam accipiendamq; de causali dependentia: non vero de essentiali dependentia non causali: cuiusmodi dependentia cernitur in relatis. Etenim relatorum vis omnis & natura, in mutua vnus ad alterum affectione: siue vnus ex altero dependentia posita est: quæ ipsa dependentia à correlato terminatur, totaliter illa quidem intensiue, non tamen totaliter extensiue: cum possit poni adhuc alterum extremum è quo dependeat. Nam si quicquam album. 4. alboris gradus continens extiterit, ponaturque album totidem alboris gradus cōtinens: illud ex hoc relatione similitudine pendebit, quæ ipsa dependentia totaliter intensiue ab eodem terminabitur, non tamen totaliter extensiue: cum possit interim & album alterum adhiberi: cui sit simile. In causis verò & effectis aliter res habet: nam si aliquis effectus pōdet ex aliqua causa ceu totali, vt pendeat ex altera causa fieri non potest, siquidem dependentia causalis ex causa totali omnino, hoc est, intensiue, & extensiue terminatur.

QVOD vero ad assumptionem attinet: falsum esse asserit id quod assumitur, Quilibet diuinam personam dependentiam assumptæ naturæ terminare omnino: Nam dependentia assumptæ naturæ non est eiusdem rationis in quauis persona: siquidem neque termini, hoc est, diuinæ personæ sunt eiusdem rationis specificæ, vt conueniant atque consentiant generali personalitatis ratione. Etenim cum diuersitate terminorum coniuncta est diuersitas vnionum, assumptionum & terminationum: ex quo iam efficitur, vt non quilibet persona omnino terminet dependentiam assumptæ naturæ, omni-

no inquam, hoc est, intensiue, & extensiue, non enim terminat omnem dependentiam alterius rationis: sed illam solum qua eiusmodi natura ex illa hypostasi dependet: in eadē sententia est Thomas Aug. Argētina.

AC probatio assumptionis non efficit quod est propositum, est siquidem lōgè dispar ratio: nam vt inquit Caiet. Natura proprio supposito sustentata, ob id non potest ad alteram personam adsumi, siquidem dependentia ipsius ex propria hypostasi omnino terminetur, non enim valet constituere, nisi vnicam dūtaxat personam, ac proinde personalitas creata est adæquabilis à natura, cuius interuentu perficitur, Quod si adsumeretur eiusmodi natura, simul etiam propria personalitas adsumeretur, quod fieri nequit: quandoquidem repugnet: non enim persona adsumi potest ad vnitatem persone: ita enim eueniret, vt esset vna persona, & non vna. At natura aliena hypostasi subnixa, adhuc est assumptibilis: nam cum personam ad quam assumpta est non conficiat, hinc fit vt ab ipsa non adæquetur: sed possit adhuc ab altera persona adsumi: quia enim in aliena hypostasi inest: potest adsumi, non interim assumpta personalitate aliena.

Argent.  
3. sent. d.  
1. q. 2. ar. 3

THOM. Aug. ob id vel maximè negādam esse putat consecutionem, quia natura quæ in propria inest personalitate per se existit: natura vero subnixa aliena personalitate tametsi excellentiori, non per se existit: sed in alio, & ex alio subsistit: ac proinde hæc est assumptibilis, illa non item, alioqui idem per se existeret: & non per se existeret: quod repugnat. Idem fere tradit Durandus, hoc loco. Non proinde igitur inquit Caiet. natura humana ad diuinam Verbi hypostasim assumpta: potest adhuc ad diuinam Patris personam adiungi: quia non omnino à Verbi persona illius naturæ dependentia, aut imperfectè terminetur, sed quia tanta est vis diuina, vt possit eidem nature Pater etiam hypostasim propriam impertire. Hęc in summa Caiet.

Argēt. 3.  
sent. d. 1.  
q. 2. ar. 3.

GABRIEL idem argumentum planius, & facilius, mea quidem sententia, diluit. Nam causa totalis dicitur bifariam, vel sufficiens, vel adæquata: est autem causa sufficiens, quæ aliquid ex se valet efficere, alterius cause operam interim non requirens: vt possit alteri coniuncta illud idem præstare. Si duo pares viri eundem lapidem comportent, quorum quisque seorsum lapidem illum perferre possit: quisque illorum est sufficiens illius deportationis causa: nam quiuis potest illud efficere citra operam alterius. Cæterum causa adæquata nullum prorsus locum alteri cause relinquit, ac proinde vnius effectus possunt esse multæ cause totales sufficientes, non tamen totales adæquate. Diuina igitur persona terminat dependentiam adsumptæ nature

Caiet. 3.  
P. q. 3. ar.  
6.  
Gabr v.  
bisupra.

totaliter sufficienter: non tamen totaliter adæquate. Etenim diuina personā ad sustentandam dependentiam assumptæ naturæ, non eget opera alterius personæ, potest tamen simul cum altera persona eandem numero naturam sustentare. Ita Scoticus illè aries euersus ac fractus facilimo negotio est, &c.

**SECUNDVM** Scoti argumentum variè diluunt Theologi: quidam negant consecutionem, ob id s. quia est longe dispar ratio: nam accidens ex re subiecta numeralem vnitatem consequitur: ac proinde vnitas accidentis nō potest cum subiectarū rerū multitudine coniūgi: at natura humana ex sese est vna, oritur enim vnitas naturæ ex forma, vt tradit Arist. octauo Metaph. ac proinde potest cum multis suppositis cōmunicari.

**HVIC** responsioni repugnat Dur. hac vel maxime ratione ductus: quoniam Deus potuit largiri vnitatem accidenti citra subiectum: ipsum igitur hoc accidens inesse potuit idem numero in multis subiectis, nempe quod ex re subiecta vnitatem minimè adsequeretur. Quocirca illud argumentum sic putat diluendum Dur. vt dicat: personas diuinas esse relatas: subiecta vero accidentis esse absoluta: ac proinde distinctione subiectorū distingui omnia, quæ in ipsis insunt, in personis vero diuinis solas distingui relationes, absoluta non item. Vtraq; solutio pulchra est.

Scot. 3.  
sent. d. 1.  
q. 2.

**TERTIVM** argumentum Varro, vt author est Scotus, ita diluebat, vt diceret, esse longè dissimilem rationem. Nam diuina natura est eadem supposito diuino: estq; fundamentū omnium relationum, quibus constituuntur diuinæ personæ: ac proinde ex eo quia eadem numero est in multis, facile concluditur ipsius infinitas. At humana natura non sic affecta est ad diuinas hypostasies, ac proinde esse eandem numero in multis, ipsius infinitudinem minime declarat.

**DICI** etiam hoc pacto potest. Cum natura largitur hypostasi actum: & sustentiam, tum si eadem numero est in multis, est dubio procul infinita: non tamen cum accipit ab hypostasi sustentiam. Hinc iam intelligitur Scoticam illam refutationem, sumptam ex forma naturali, minus valere ad id quod est propositum refutandum: Nam formā tribuit actum materiæ, ipsamque sustentat: at non sic affecta est ad diuinam personam humana natura.

Hent.  
q. 7.  
q. 8.

**EST** operæ precium breuissimè hoc loco referre, quæ doctissimus Henricus de Gandano hac de re in scriptis reliquit Quol. 7. questione. octaua. Inquit enim, tria cerni in humana natura ad diuinam hypostasim adiuncta: illud est primum. N naturam scilicet illam ex se esse vnā ac singularem: qua re

differt



differt ab accidente: Namque accidens vnitatem & finitionem ex re subiecta capit. Deinde natura illa ex se non est personata: sed ab eo ad quod assumitur, personalitatem consequitur. Postremo non est origo: & fundamentum relationum, quibus diuinæ personæ constituuntur.

QVA igitur humana natura ex se est hæc, ac definita, non addicitur certæ hypostasi: sed potest à multis adsumi, & in ipsis inesse: contra quod conuenit accidenti. Qua verò non est fundamentum relationum oppositarum, quibus diuinæ personæ constituuntur, potest inesse in multis: neque proinde concludi potest ipsam esse infinitam: secus si relationibus originis ortum ac fundamentum præstaret. Etenim quod diuinæ naturæ fecunditas eo procedat, vt sit in multis personis, ex infinitate diuinæ naturæ ortum habet. Quatenus vero aliunde personalitatem consequitur: nõ sic eandem capit ex hac hypostasi, quin possit ab alia quoque hypostasi simul eandem recipere.

HÆC omnia summo ingenio & magna eruditione, quod ad hanc opinionem attinet, dicta sunt: contraria tamen opinio videtur esse cum rationi magis consentanea, tum perceptu, & intellectu facilior. Nam lubenter hoc loco rogarem aduersarios: num data hac hypostasi, tres illæ personæ carne vestitæ, cernerentur sub forma vnius hominis: aut trium hominum? Si forma vnius hominis solum spectaretur: non potuisset hominibus persuaderi, illum hominem visum, esse tres humanas personas. Adde quia inde summa afferretur distinctioni personarum confusio. Si tres hominum formæ apparerent: tres homines cernerentur eandem numero natura habentes: quorum quilibet loco circumscriberetur ac contineretur: at vt idem numero corpus sit in diuersis: ac disiunctis locis, fieri nequit, non igitur, &cæte. Assumpt. hinc liquet, quia quod loco continetur, loci ambitu circumscribitur ac diffinitur: iam verò quod loco definitur est hîc & non alibi: non igitur idem numero corpus potest diuersis locis simul contineri.

IAM argumenta aduersaria diluamus. Ad primum. Diuinæ personæ omne absolutum internum commune habent: non interim absolutum externum: idque si relationem, & distinctionem personalem includat: cuiusmodi est natura adsumpta. Etenim affectionem & dependentiam relativam habet ex persona ad quam adsumitur, quæ ipsa ab eadem persona omnino terminatur.

AD secundum. Est dispar ratio. Nam anima est tota in toto corpore

Hypotesis #

primo : in quavis autem parte secundo : & quadam consecutione. Natura verò est in persona ad quam adsumitur primo : est siquidem persona primus terminus huiusce dependentiæ : iam vero ut idem primo insit in multis fieri nequit.

AD tertium. Negatur consecutio : nam corpus quod loco continetur : non pèdet ex loco, neq; ut ex subiecto : neq; ut ex hypostasi : Natura verò assumpta pèdet ex assumente : ceu ex hypostasi omnino ipsius dependentiam terminante. Vel certe negandum est antecedens.

AD quartum. Illa vis ac potentia, quæ dicitur obedientialis, omnino est ad actum traducta, vna diuina persona carni coniuncta : quandoquidem illius naturæ dependentia hypostatica omnino ab vna persona terminatur : neque terminanda iam alteri relinquitur : potuit tamen ante illam assumptionem ab alia quavis persona terminari. Nam calefactibile à sole & igne : cum est omnino à sole calefactum : omnem concalefactioni ignis locum intercipit : Nam prior concalefactio est adæquata tam intensiue quam extensiue. Consimili etiam ratione, actus potentiae obedientialis ad assumptionem est adæquatus tam intensiue, quam extensiue : ac proinde : cum natura humana est ad diuinam personam assumpta : manente illa assumptione : non relinquitur vllus assumptioni alterius personæ locus.

Quod vero ad fundamentum Scoti attinet, illud est verissimum cum illa multa non sunt quadam inter se serie coniuncta ac cohærentia. Quare cum hypostases diuinæ non sic inter se cohæreant : neq; ordinem essentialem inter se habeant, sunt enim oppositæ : sequitur, ut idem ex diuersis illis personis non possit totaliter dependere, &c. Ac prior quidem quæstio sit in hunc modum profligata.

### Quæstio. III.

*Vtrum vna diuina persona possit multas naturas assumere?*

QVOD vero ad posteriorem quæstionem attinet : omnibus affirmatio probata est. Etenim multarum naturarum siue numero, siue specie dissidentium ab eodem supposito sustentatio, neque diuinæ potentiae :

tentiæ: neque personalitati repugnat: fieri igitur potest vt idem numero suppositum multas easque aut numero, aut specie differentes naturas sustentet: non repugnat diuinæ potentiæ: siquidem sit infinita, ac proinde non sit alicui certæ rei addicta: ita igitur diuinum Verbum hanc humanam naturam adsumpsit: vt interim potuerit aliam atque aliam subinde assumere. Non repugnat diuinæ personalitati, siquidem eius ad terminandam naturæ dependentiam vis ab vna natura minime comprehensa teneatur: est enim infinita: iam autem infinitum à finito minimè comprehenditur, aut adæquatur: Potest igitur diuina persona multas naturas adsumere, ipsarumq; dependentiam sustentare, cum præsertim illæ naturæ nihil reale ipsi adsumeti adiungant, sed relationes quasdam rationis afferant.

**ADIVNGIT** Scotus, neq; id naturis ipsis repugnare: nempe cum actualis dependentia vnus, possit cum actuali dependentia alterius simul cōspirare, non enim illæ vniones ac dependentiæ inter se pugnant, &c.

**CÆTERVM** multæ hoc loco existunt dubitationes: quæ ancipitem quæstionem ipsam efficiunt, nec sinunt animum sibi omnino constare. Nam illud afferre in primis solet quæstionem: vtrum suppositum illud diuinum esset vnus homo, an multi homines? Certe hæc dubitatio Theologos malè torfit, & in variaseos sententias distraxit. D. Thomas variam hæc dere protulit sententiam: namque collectas à Lombardo sententias explanans asserit, suppositum diuinum duabus naturis humanis coniunctum non dici: neque esse vnum hominem: sed duos homines: siquidem nomen substantiuum singularitatem ac pluralitatem significationis, ex singularitate, aut multitudine naturæ, quæ illo nomine declaratur: non autem ex vnitatem aut multitudine suppositorum consequitur. At data hac hypothese, essent duæ naturæ, & vnum suppositum: duo igitur homines, & non vnus homo.

**CÆTERVM** tertio Theologiæ libro ab hac sententia, vel hac maxime ratione sibi putauit esse discedendum: quoniam, quod ad nominum significationem, vel consignificationem attinet, receptus loquendi vsus omnino expendendus est: At iuxta tritam loquendi consuetudinem, nomē ex forma sumptum, nunquam numero multitudinis effertur nisi propter multitudinem suppositorum: est autem vnicum suppositum habens duas naturas humanas: est igitur vnus homo.

**IOANNES** Scotus hæc D. Tho sententiã hoc argumēto refellit. Cōcre-

I s positi:

Thom. 3.  
sent. d. 1.  
q. 2. ar. 4.

Thom.  
3. P. q. 2.  
ar. 7. ad.  
2.

Scot. 3.  
sent. d. 1.  
q. 3.

positi, sunt igitur tres personæ non vnus sed multi dij.

ILLVD præterea obijci contra potest: propter vnitatem naturæ, de tua sententia, tres personæ sunt vnus homo, igitur propter naturarum multitudinem vna persona sunt multi homines.

Caiet. 3.  
p. 9. 3. ar.  
. 7.

PRIVS illud argumentum ita dissoluit Caietan. vt dicat non poni à D. Thoma regulam generalem affirmantem, sed negantem: non enim dicit multiplicari concretum multiplicato supposito: sed nunquam concretum multiplicari, nisi suppositum multiplicetur. Etenim ad multiplicationem naturæ, accedat oportet multiplicatio suppositi, non tamen contra euenit, vt scilicet multiplicationis suppositorum sit consequens multiplicatio naturæ.

Gab. 3.  
sent. d. 1.  
q. 2. ar. 3.  
dub. 4.

HINC collige, ex vnitatem suppositi confici vnitatem naturæ: non tamen ex multitudine suppositorum, effici multiplicationem naturæ: ita tres diuinæ personæ, non sunt tres dij: Neque suppositum habens duas naturas humanas, sunt duo homines, sed vnus homo. Hinc iam liquet posterioris argumenti explicatio: nam iuxta receptam loquendi formam, nomen concretum nunquam in multitudine dicitur, nisi adsit suppositorum multitudo. Est autem nominibus vtendum perinde, atque est in peruulgato vsu loquendi.

Argët. 3.  
sent. d. 1.  
q. 2. ar. 4

THOMAS Augustinianus putat priorem D. Thom. sententiam tertio sententiarum explicatam, esse anteferendam ei, quam tertio Theologiæ libro tradit, in eamque est opinionem, vel hoc maximè argumento inductus: quia numerus, siue vnitas in significando spectanda est ex significato nominis primario: non autem ex secundario: At concretum nomen primum significat naturam: deinde hypostasim, qua nititur natura, vt docet Auer. 5. Metaphy. positus igitur in vnica hypostasi duabus naturis humanis: illud erit duo homines non vnus homo, &c. Richardus tamen tertio sententiarum sentit personam duabus humanis naturis coniunctam: neque esse vnum hominem: neque esse duos homines: non vnum hominem: propter multitudinem naturarum: non duos homines, propter vnitatem suppositi: esset tamen homo: quandoquidem vere esset suppositum huius naturæ humanæ assumptæ, & illius.

Richar.  
3. sen. d. 1.  
q. 5. ar. 1.

Scot. 3.  
sent. d. 1.  
q. 3.

OBIICIT contra Scotus. Ens immediatè tribuitur in vnum, & multa: omne siquidem quod est, aut vnum est, aut sunt multa: quare si diuinum suppositum est homo, sit oportet aut vnus homo: aut multi homines: alioqui non esset. Porro quæ nam sit hac dere Scoti sententia, non est facile explicatu.

Qui-

Quibusdam placet Scotum sentire, suppositum illud diuinum esse multos homines: nam nomen adiectiuum antecedens nomen connotatiuum substantiuum, valens terminare dependentiam adiectiui, formale significatum confert in formale significatum substantiui, cum igitur dicitur illud suppositum esse duos homines: significatur dualitatem cadere supra naturam humanam: estque proinde illius orationis hæc significatio. Suppositum diuinum est habens duas naturas humanas: homo tamen multis scientijs præditus non dicitur multi scientes: siquidem verbum illud sciens sit adiectiuum: ac proinde non potest alterius adiectiui dependentiam terminare. Sunt qui dicat non fuisse Ioannem in ea opinione, & sententia: sed potius sensisse suppositum duabus naturis humanis coniunctum, neque esse vnum hominem: nam vnitas cadit supranaturam humanam: iuxta superius axioma dialecticum: iam vero suppositum illud est duabus naturis humanis coniunctum: neque itidem esse duos homines: nam concretum nunquam numero multitudinis effertur, nisi adsit hypostaseôn multitudo. Quid est igitur illud suppositum? Respondetur esse suppositum humanum in duabus naturis humanis subsistens. Porrò vnum & multa diuiduntur vel in recto, vel in obliquo. Est enim omne quod est vel vnum vel multa, vel habes vnũ, vel multa: ita illud suppositum est humanum habens duas naturas humanas. Ego in hanc sententiam descendo. Etenim homo significat naturam humanam vt in habente, quo efficitur vt vnus homo significet habens vnicam naturam, & multi homines significant multa naturam habentia. At hoc interim posito, quod versatur in controuersia, est vnicum suppositum habens, & duplex natura: non igitur est vnus homo, neq; multi homines: sed vnum habens multas naturas humanas.

DVBITARI præterea consuevit. Anne suppositum illud duabus naturis coniunctum duplicem præferret figuram, an vnicam? Responderi solet, hoc posito euenturum, vt duplex cerneretur effigies, quarum vna ab altera cum quãtitate, tum omnium lineamentorum conformatione distingueretur. Itemque qualitate differret: exhiberentur siquidem hominum conspectui duo homines, id est, vnum suppositum in duabus naturis humanis subsistens: Ac vt suppositum istius naturæ, quantitate, effigie, & qualitate secerneretur à seipso, qua suppositum alterius naturæ numero à priori differentis. Essent præterea nomina seiuncta, namque vt suppositum vnius naturæ potuit appellari Ioannes: vt suppositum vero alterius, vocari potuit Antonius. Cæterum Ioannes,

& An-

Lique-  
tus,

476

& Antonius de se mutuo dicerentur, si quidem hæc nomina hypostasim declarant: est autem vna hypostasis duabus naturis coniuncta: quo efficitur, vt idem sit Antonius qui Ioannes: non tamen eadem est natura Antonij, quæ Ioannis.

HINC præterea intelligitur Ioannem & Antonium, posse abiungi locis, vt scilicet Antonius sit Romæ, & Ioannes Lutetiæ. Concedi etiam potest Ioannem & Antonium eodem loco contineri, si quidem idem sit Antonius, qui Ioannes: item illud intelligitur corpus Ioannis non penetrare in corpus Antonij: si quidem natura non adsumitur ad naturam, sed duæ illæ naturæ ad vnius suppositi vnitatem assumuntur. Liquet etiam ex hisce diuinum suppositum simul posse esse Angelum: hominem, leonem: namque in hanc sententiam hæc accipiuntur, diuinum suppositum simul naturam Angeli, hominis & leonis sustentat. Quare hoc, de quo quæritur posito, idē indiuiduum ad diuersas species, per diuersas naturas quibus supponeretur, referretur.

AD extremum illa assertio hoc argumento refutatur. Nam sub eadem specie nunquam natura multiplicatur, nisi multiplicatione suppositi: si igitur diuinum suppositum habet multas naturas humanas: necessario consequitur, vt sint multa supposita in diuina persona, vel certè non sint multæ naturæ humanæ. Huic refutationi ita occurritur. Natura multiplicatur multiplicatione suppositi, quod constituit, natura enim finita constituens suppositum multiplicatur, si naturæ illius supposita multiplicentur: contra res habet, si suppositum non constituat, sed ad suppositum iam constitutum assumatur, adiungaturque: tum enim multitudo naturarū potest cum vnitatem suppositi conuenire. Illa vero multitudo ex diuisione materie proficiscitur: si natura ex forma ac materia constat.

### Quæstio. V.

*Vtrum suppositum creatum possit multas naturas sustentare?*

**V**ERSATUR etiam in quæstione: vtrū hypostasis creata possit multas naturas sustentare? Hac de re dissident Theologi inter sese. Magnæ ac doctissimo viro Durando negatio probata est: ac ipsius sententia duplici assertione continetur. Prior assertio est huiusmodi. Natura quæ alioqui sibi

decre-

derelicta est suppositum: est tamē huiusmodi quæ alteri perfectiori, ceu pars possit adiungi, potest in alieno, hoc est distincto secundum numerum supposito naturaliter existere. Hanc conclusionem exemplis confirmat: namque corpora simplicia, & mista homogenia saltim humentia, ac fluentia sunt huiusmodi: nam aqua quæ sibi derelicta est suppositum, continuata cum antecedente aqua, integrum quiddam efficit suppositum, quod ipsum est totum relatione ad aquam, quæ adiuncta est. Hoc ipsum etiam declarat ramus insertus arbori, qui ipse est vnum supposito cum arbore cui inseritur, &c.

**POSTERIOR** assertio. Natura quæ sibi derelicta constituit suppositum, neque potest alteri ceu pars eiusdem adiungi, neque creata, neque increata vti potest ad vnitatem suppositi creati adsumi. Non potest illud effici vi creaturæ: quoniam nulla vis creaturæ potest generales essendi modos: qui naturam entis creati consequuntur immutare: iam vero per se existere, vel in alio inesse, sunt generales essendi modi, naturam entis consequentes: non igitur vis creaturæ potest efficere, vt natura quæ sibi derelicta constituit suppositum, inque ipso subsistit: neq; potest esse pars naturæ perfectioris, in alieno supposito creato subsistat.

**NEQVE** etiam vis diuina illud potest efficere. Namq; dependentia naturæ, subsistentia eius naturæ cui adiungitur terminatur: at nullius creaturæ potest esse talis subsistentia, quæ dependentiam alterius terminet ac sustentet: nõ igitur, &c. Assumptionis probatio. Subsistentia creaturæ est naturalis: dependentia naturæ ex creatura quo ad esse hypostaticum, est supernaturalis: at subsistentia naturalis non potest terminare dependentiam supernaturalem: igitur, &c.

**ADDE**, quia si posset terminare dependentiam vnus naturæ creatæ: etiam infinitarum naturarum dependentiam terminauerit: id vero supposito creato nullo modo potest conuenire, nam dependentiam infinitam: ceu infinitorum non potest sustentare nisi subsistentia infinita, quæ non cadit in naturam creatam: consecutio vero illa ostenditur, quoniam si non pugnat duo corpora eodem loco contineri: neque repugnauerit, multa immo vero infinita eundem numero locum obtinere, quare si vis diuina præstare & efficere potest, vt duæ naturæ insint in eodem supposito creato, vt multæ: vt infinitæ insint potest efficere.

**D. Thomas** in eadem est sententia. Etenim tertio Theologiæ libro. q. 2. ar. 3. primum argumentum diluens ita inquit. In rebus creatis, idem numero po-

Thom.  
3. p. q. 2.  
ar. 3. ad. 8

test

est diuersis accidentibus subesse, non tamen idem numero potest in diuersis essentis, aut naturis subsistere. Ac huius rei causam positam esse asserit in finitate suppositi creati: id quod. 7. 3. ar. 1. secundum argumentum dissoluens expressit hoc pacto. In persona creata possunt multæ naturæ accidentario concurrere: vt quantitas: & qualitas. Cæterum illud est diuinæ personæ proprium vt multarum naturarum concursus possit in ea, propter sui infinitatem fieri, non quidem accidentario: sed secundum subsistentiam. Cum ergo suppositum creatum sit finita vi præditum: sequitur vt non possit multarum naturarum dependentiam sustentare.

Thom.  
3 P. 9. 3.  
ar. 1. ad. 2.

Var. li. 3.  
d. 1. q. 2.

VARRO, vt author est Scotus, eandem asserit omnino causam. Nam cum suppositum creatum sit finitæ perfectionis, non cõtinet formaliter, aut eminenter perfectionem alterius suppositi: ac proinde naturam ab illo supposito sustentabilem minime potest sustentare. At suppositum diuinum perfectionem totius creatæ personalitatis continet & complectitur, ac proinde omnem potest naturam, à creato supposito alioqui sustentabilem, sustentare. Non probatur Scoto hæc causa, nempe infinitas suppositi: & continentia virtualis omnis eius quæ in suppositis creatis cernitur perfectionis. Nam inquit, diuinum suppositum quoad eam rationem qua dependentiam naturæ assumptæ terminat non est infinitum. Etenim diuinum suppositum terminat dependentiam assumptæ naturæ interuentu suæ personalitatis: at diuina personalitas non est formaliter infinita, alioqui perfectio aliqua conueniret vni personæ, quæ alteri minime conueniret: igitur non ob id diuina persona multarum naturarum hypostaticam dependentiam potest sustentare, quia est formaliter infinita.

Scot. 3.  
d. 1. q. 4.

Scot. 3.  
d. 1. q. 5.

QVOCirca Scotus propositam quæstionem, allatis ad vtrâq; partem probabilibus argumentis, eisdem que subinde explicatis, ancipitem efficit affirmationem tamen magis amplectitur, quam hisce argumentis confirmat. Deus potest largiri creaturæ omnem perfectionem, quæ non repugnat perfectioni creaturæ, aut vim facultatemque ipsius superat: ac dependentiam naturæ alterius sustentare: quædam est huiusmodi perfectio: potest igitur eam Deus creaturæ tribuere. Assumptioni fidem facit hoc pacto. Huiusmodi perfectio non adiungit infinitatem supposito creato: Namq; suppositum creatum, & natura dependens sunt finita: finitum vero adiunctum finito non efficit infinitum: illa igitur perfectio non pugnat cum perfectione creaturæ. Ad hæc, Maior est conuenientia naturæ creatæ cum supposito creato: quam cum supposito increato: etenim & suppositum creatum: & natura

tura



tura creata sunt finita, & vtrunq; est absolutum: suppositum vero diuinum est infinitum: itemq; relatum: natura vero ab eodem sustentabilis finita & absoluta: Quocirca si persona diuina relata potest dependentiam terminare externæ & assumptæ naturæ: multo id magis effecerit suppositum absolutum, cuiusmodi est suppositum creatum. Hæc tamen argumenta diluit Scotus. OCHAMVS affirmationem hoc argumento ostendit. Si hoc esset factum impossibile: id propterea esset impossibile: vel quod Deus non posset illud efficere: vel quod repugnaret creaturæ adsumenti: vel naturæ assumende: id Deo non est factum impossibile: potest enim Deus efficere, vt hypostasis creata præueniatur ab alia hypostasi increata, cui vnione hypostatica coniungatur natura creata: quemadmodum re ipsa effectum est in sacrosancta Verbi Dei cum humana natura coniunctione. Etenim hypostasis hominis præuenta est ab hypostasi Dei. Neque id repugnat creaturæ adsumenti, siquidem huiusmodi assumptio creaturæ non prouehat supra statum creaturæ, non enim postulat ac requirit in assumente infinitatem, alioqui diuina persona non posset assumptionem terminare: siquidem diuina personalitas, cuius interuentu persona diuina creatam naturam sustentat, non sit formaliter infinita. Hoc ipsum etiam assumptibilis natura non impedit: nempe cum non repugnet ei proprio supposito defraudari: & ad alienum adsumi: alioqui neque humana natura potuisset ad diuinum Verbi suppositum adiungi.

ITA concludunt Scotus: & Ohamus posse suppositum creatum aliene nature dependentiam terminare: esseque id diuine personæ cum creata comune, non tamen suppositum creatum illud vi sua efficere posse, sed id soli Deo conuenire. Adiungente igitur Deo naturam externam ad hypostasim creatam, illius dependentiam potest creata hypostasis terminare.

HÆC fere sunt que de hac questione scripta nobis Theologi reliquerunt. Vtraque igitur questionis pars, quoniam à magnis ac doctissimis viris asseritur, defendi facile potest: tamen si affirmatio videatur esse probabilior. Quocirca argumenta ad vtramque partem confirmandam allata dissoluenda sunt.

PRO Thoma Caiet. respondet Scotus: negatque antecedens: immo vero docet diuinam personam secundum rationem suam personalitatis esse formaliter infinitam. Etenim diuina persona informali ratione substantiam includit: at substantia est perfectio simpliciter, continet ergo diuina personalitas perfectionem simpliciter, at omnis perfectio simpliciter est in Deo infinita formaliter, est igitur diuina personalitas formaliter infinita.

MAIOR propositio hinc liquet, quoniam constitutum persone, que alioqui est

est formaliter subsistens, est subsistens: at diuina personalitas est huiusmodi: est igitur subsistens.

ITEM diuina personalitas se tota est constitutiua personæ: est que ipsa diuina persona, at omnis persona, qua huiusmodi, est formaliter subsistens: diuina igitur personalitas est formaliter subsistens.

ADDE, quia omne diuinum est perfectum, non esset autem perfectum nisi esset subsistens: est igitur diuina personalitas subsistens. Assumptio ostenditur hoc pacto: Subsistentia non solum est perfectio, verum etiam maxima perfectio: est igitur perfectio simpliciter. Item perfectio simpliciter est illa, quam in quolibet melius est esse, quam non esse: at subsistentia est huiusmodi: est igitur perfectio simpliciter.

CONTRA obijci potest, Personalitas est relatio, non igitur est perfectio simpliciter, alioqui inesset aliqua perfectio simpliciter in Patre, quæ ipsa desideraretur in filio, ac proinde filius non esset summe perfectus: nempe cui aliqua perfectio deesset. Respondemus aduersario: personalitatem diuinam, siue relatiuam proprietatem, posse duobus modis spectari, vno modo quatenus est relatio: altero modo qua est forma hypostatica. Priori modo abstrahit à perfecto & imperfecto: finito & infinito: solum enim respectum & habitudinem quandam declarat: est que ratio cum diuina natura comparata, nempe cum sola ratione ab essentia secernatur. Posteriori tamen modo est perfectio simpliciter: nempe quæ sit subsistens, subsistentia autem est perfectio simpliciter. Neq; tamen proinde abest aliqua perfectio à filio, quæ ipsa tamen cernitur in Patre: Nam quam perfectionem personalitas Patris adiungit Patri, eadem prorsus personalitas Verbi adiungit filio: est autem ea, perfectio subsistentiæ: quæ vna est in tribus personis. Aduersarij igitur ad personalitatem diuinam attenderunt quatenus est relatio, non autem quatenus est forma hypostatica.

SECUNDVM Scoti argumentum ita dissoluitur: Sustentare hypostaticam alienæ naturæ dependentiam, requirit necessario in assumente infinitatem quandam: id quod sic ostenditur. Possesse subsistere in infinitis naturis, postulat infinitam subsistentiam, at persona valens in duabus naturis subsistere, valet in infinitis naturis subsistere: subsistentia igitur personæ duas sustentantis naturas, est formaliter infinita. Propositio hinc liquet, quoniã per eandem numero proprietatem, per quam persona subsistit in duabus naturis, subsistit etiam in multis: & in infinitis etiam subsisteret: si esse possent infinite nature.

AD tertium. Ad terminandam hypostaticam dependentiam nihil omnino affert absolutio: sed independentia: & infinitas: quæ ipsa desideratur in supposito creato.

AD quartum Ochami. Illud non congruit cum natura assumentis: Næq; suppositum creatum est finitæ: & naturalis subsistentiæ: at terminans alienæ naturæ dependentiam, sit oportet infinitæ: & supernaturalis subsistentiæ: ut iam ostendimus. Quoniam vero huiusmodi subsistentiæ infinitas creaturæ non potest convenire: hinc efficitur, ut neque Deo sit factu possibilis huiusmodi alienæ naturæ cum supposito creato coniunctio.

PORRO autem argumenta ad asserendam negationem allata dissolui in hunc modum possunt. Ad primum Dur. ita respondetur. Hypostatica alienæ naturæ dependentia est supernaturalis effectivè: sola enim supernaturali vi effici potest, ut natura ex alieno supposito dependeat hypostaticè, terminativè vero non est supernaturalis. Etenim suppositum creatum, interuentu naturalis subsistentiæ, potest alienæ naturæ dependentiam sustentare: id siquidem solum requirit independentiam terminantis: independentiam inquam non simpliciter, sed oppositam dependentiæ naturæ: requirit etiam subsistentiam: quæ duo cernuntur in supposito creato. Notandum est hoc loco: quòd posse dependere ex alieno supposito: indeque capere subsistentiam, pertinet ad potentiam quæ dicitur obediens: quæ ipsa refertur ad primam ac summam causam: cuius facultati & efficacitati omnia quæ non repugnant subiiciuntur: iam vero naturam externam ex creato supposito dependere non pugnat: solam enim requirit terminantis independentiam, & subsistentiam: ut satis potest ex ijs, quæ sunt à nobis hætenus disputata intelligi.

AD secundum: negatur consecutio, potest enim Deus efficere, ut duæ: aut multæ naturæ insint in supposito creato: ut infinite autem non item: illud enim finitam: hoc infinitam subsistentiam requirit. Neq; urget consecutionis approbatio: namq; est longe dissimilis ratio. Ad continenda enim corpora, loci, siue continentis circumscriptio desideratur solum: ad terminandam vero dependentiam hypostaticam requiritur subsistentia, quæ si fuerit finita, largiri subsistentiâ infinitis naturis nullo modo poterit.

DIVI Thomæ argumentum iam est ab Scoto dissolutum: non enim in assumente infinitas: sed independentia, & subsistentia requiritur. Neque itidem in assumente postulatur virtualis illa continentia: sed assumentis duntaxat independentia opposita dependentiæ naturæ: & subsistentia. Ita suppo-

fitum creatum potest interuētū naturalis subsistentiæ, aliene nature dependē-  
tiam terminare, Deo ipso efficiente coniunctionem.

DE NATURA ASSUMPTA, DEQUE  
partibus ipsius.

EXPENDIMVS admirabilis huiusce vnionis alterum extremum: nem-  
pe personam adsumentem: Sequitur vt de natura assumpta: de que ipsius  
partibus differamus.

Quæstio. VI.

*Vtrum sola humana natura fuerit assumptibilis?*

PRINCIPIO venire illud in quæstionem consuevit: vtrum sola huma-  
na natura fuerit idonea: que ad diuinam hypostasim assumeretur? Qui-  
busdam igitur placuit omnem naturam creatam esse assumptibilem: Na-  
turam tamen mentis & intelligentiæ compotem esse assumptioni aptiorē.  
Ac omnem quidem naturam esse assumptibilem, hisce argumentis osten-  
dunt. Assumptibilitas creaturæ posita est in potentia obedientiali: at huius-  
modi potentia relatione ad diuinam voluntatem non magis conuenit cre-  
aturæ mentis compoti, quam cuius alteri: relinquatur ergo quæque creatu-  
ram esse ad diuinam hypostasim assumptibilem. Propositio ostenditur. Nā  
illa assumptibilitas non est posita in potentia actiua creaturæ: cum creatu-  
ra nihil efficiat in assumptione, neque itidem in potentia passiua naturali, nā  
cum omni huiusmodi potentiæ respondeat è regione vis & facultas ad ef-  
ficiendum naturalis, quæ ipsa inest in efficiente naturali: certe vi & efficaci-  
tate agentis naturalis illa potentia ad actum traduceretur, itaque fieret vt  
agens naturale posset efficere assumptionem: siue vnionem hypostaticam  
diuinam: quod omnino falsum est.

ITEM si non posset natura expertis rationis, ac sensus adsumi: hæc ad as-  
sumptionem impossibilitas vel in Deum: vel in creaturam ipsam esset ne-  
cessario conferenda, non est id Deo factu impossibile: Nam ad terminan-  
dam nature creatæ hypostaticam dependentiam requiritur & independen-  
tia assumentis: & subsistentia (ac de si velis infinitatem) at hæc in diuina  
persona cernuntur omnia: potest igitur Deus hypostaticam cuiuscunque  
naturæ

naturæ dependentiam sustentare ac terminare. Neque illa impossibilitas est vlllo modo in creaturam conferenda: ita scilicet, vt creaturæ repugnet adsumi: tamen si Deus possit assumere. Nam id quo potest natura particeps rationis defraudari: eodem potest citra vllam dubitationem, citraque vllum incōmodum creatura insensibilis: & rationis experte defraudari: at natura rationis particeps potuit defraudari propria subsistentia, sicut ad alienam hypostasim assumptione: igitur & id non repugnat creaturæ irrationali.

ITEM corpus Christi, triduo sepulturæ fuit omnino experte animi ac sensus: erat tamen Deo hypostatice coniunctum, potest igitur natura insensibilis Deo hypostaticè coniungi.

PRÆTEREA quod fecit diuinum suppositum illo triduo, potuit etiam initio efficere: idque perpetuo tueri: Nam quod efficere Deus potest ad tempus: semper potest efficere: at triduo potuit inanimati & insensibilis corporis hypostaticam dependentiam sustentare: igitur & id initio efficere: & effectum tueri perpetuo potuit. Hanc sententiam tuentur D. Thomas. 3. sent. dist. 2. quæst. 1. art. 1. Item. 3. p. quæst. 4. ar. 1. Scot. 3. sent. distinct. 2. quæst. 1. art. 2. Duran. 3. dist. 2. quæst. 1. Thomas Argentina. 3. dist. 2. quæst. 1. art. 1. Petrus de Thar. 3. d. 2. quæst. 1. ar. 1. Superioribusque rationibus eandem sententiam confirmant.

RICHAR. tamen & Gabriele eadem distinctione, explicatam in contrarias partes quæstionem, ancipitem relinquunt, liberumque cuique ea de re iudicium permittunt.

POSTERIOR vero conclusionis pars ita ostenditur: illa natura est aptior vnioni & assumptioni: quæ Deum potest mente & amore complecti: quæque est huiusmodi, quæ possit deleto scelere, in libertatem vindicari & in veterem cum Deo gratiam restitui: at sola humana natura est huiusmodi, sola igitur humana natura est aptior assumptioni. Assumptio ostenditur. Nam in natura rationis experte desiderantur illa duo, quæ in natura huiusce vnionis capaci requiri diximus: Neque enim Deum animo: & amore complecti potest: neque vlllo est peccato obnoxia: natura vero angelica vt sit Dei simillima: Deumque ipsum actione cognitionis & amoris maxime attingat, sitque peccato obligata: illud tamen peccatum est inextinguibile, propterea quod Angeli prauis iam metam contigerunt: estque illis omnis intercepta, ereptaque spes salutis.

MAGNVS Albertus cæset angelicam naturam omnino esse in assumptibilem:

bilem: nempe cum personalitas angelica non possit ab Angelo separari. Si igitur assumeretur angelica natura: aut maneret personalitas Angeli: aut non maneret: sed tolleretur è medio, si maneret, non fieret igitur unio in persona, sed essent duæ distinctæ personæ: si tolleretur: nullo igitur modo Angelus assumeretur. Nam tum creatura mentis compos interit: cum ipsius personalitas tollitur: sublata igitur angelica personalitate, Angelus interiret. Adde quia assumptio nihil detrahit & eripit ei quod assumitur.

ITEM Angeli dissident inter sese, non numero solum, verum etiam specie: neque mutua generatione propagati sunt: ita. s. vt omnes ab vno Angelo originem duxerint: Si igitur Verbum Dei angelicam naturam adsumeret: non posset interuentu naturæ assumptæ omnibus Angelis mederi, nempe quia non omnes vnus scelere & peccato interierint: a quo vno originem traxerint,

HANC sententiam non esse veram superiores rationes, quibus est demonstratum omnem naturam esse assumptibilem: facile confirmant. Argumenta vero quibus est hæc sententia confirmata: id quod est propositum minime efficiunt. Quocirca prius illud argumentum ita diluimus, vt antecedens minime approbemus. Etenim personalitas Angeli seiungi potest ab Angelo, non interitu & sublatione personalitatis: sed præuentione. Nam Angelus propria personalitate perfectus non fuit assumendus, neque est assumptibilis: sed natura angelica procreanda erat: & diuinæ personæ adiungenda: qua adiunctione diuina personalitas angelicam personalitatem omnino erat præuentura: id quod in humanæ naturæ cum diuina persona coniunctione, diuinitus effectum est. Porro aduersarij id solum efficiunt, angelicam naturam propria personalitate perfectam, non esse assumptibilem: id quod & nos ipsis lubenter concedimus.

POSTERIORIS argumenti negatur consecutio: Nam satis est quod angelica natura assumpta, genere cum cæteris Angelis conueniat atque consentiat. Adde, quia liberatio tota posita est in vi ac potestate facientis: siue liberantis.

D. Ioan. Bona. hisce potissimum rationibus ostendit humanam naturam esse aptiorem assumptioni: quam angelicam. Namque quemadmodum diuinum Verbum ex patre genitum est: ita decuit vt natura assumptibilis esset vnusfatu edita ac propagata: id quod in humanam naturam cadit: in angelicam non item.

ADDE, quia hominis natura plura complectitur quam angelica: quocir-

Bona. 3.  
sen. d. 5.  
q. 4.

ca & microcosmus dicitur homo: Deum igitur rerum omnium effectorem magis exprimit homo, quam Angelus: ac proinde humana natura est aptior assumptioni quam angelica.

ITEM homine ad tantum dignitatis gradum prouecto: omnis simul est natura prouecta: nempe quæ omnis in homine eluceat: in Angelo vero nõ item. Hominis etiam peccatum fuit venia dignius: vt quod ex imbecillitate, siue incontinentia, & ignorantia profectum sit: Angelus vero per superbiam & insolentiam, in offensionem diuini numinis incurrit: ac proinde indignus fuit, qui veniam consequeretur.

SUNT qui asserant, nullo modo creaturam sensus & rationis expertem assumi ad diuinam personam posse: id vero ita ostendunt. Illa creatura non est capax assumptionis: quæ diuinam beatitudinem percipere non potest: at creatura mentis & sensus experts, diuinam beatitudinem percipere non potest: non est igitur capax assumptionis. Propositio hinc ostenditur: quemadmodum inter se affecta sunt esse naturale: & posse naturale, ita esse supernaturale: & posse supernaturale: at esse naturale necessario comitatur posse naturale: igitur & esse supernaturale necessario comitabitur posse supernaturale: At vnio hypostatica tribuit creaturæ esse supernaturale: tribuat igitur oportet & posse supernaturale: quod ipsum positum est in Dei visione: ac fruitione: creatura igitur illa quæ neque vi diuina prouchi ad Deum videndum potest: neque etiam percipere, vnione hypostatica, esse diuinum ac supernaturale potest. Assumptio satis liquet: Nam beatitudo in actione intellectus: & voluntatis consistit, quam actionem obire creatura sensus & rationis experts non potest.

ITEM, id cui communicari id quod minus est nullo modo potest: neque particeps eius, quod præstantius est, esse villo modo potest, at creaturæ irrationali non potest communicari illa cum Deo coniunctio quæ posita est in videndo, ac fruendo Deo: quæ ipsa minor est & longe inferior: neque igitur consequi vnionem hypostaticam potest: quæ est longe excellentior: atque præstantior.

PRÆTEREA, minima infimaque natura non potest summum donum percipere: at creatura rationis experts est infima, vnio vero hypostatica est summum ac præstantissimum donum: non potest igitur illam percipere natura irrationalis.

ADDE, quia vnione hypostatica communicatur creaturæ diuina perso-

Bona. 3.  
sent. d. 2.  
q. 1.  
Diony.  
chartu.  
3. sent. d.  
2 q. 2.  
Henr.  
quodl. 13  
q. 5.

nalitas, igitur creatura quæ non est capax personalitatis, diuinæ personæ coniungi non potest, natura autem rationis expertis non est capax personalitatis: Namque persona est indiuidua natura, mentis & intelligentiæ particeps, non igitur potest ad vnitatem diuinæ personæ assumi. Ad hæc. Idomne quod non congruit cum sapientis dignitate: non potest effici à Deo. Nam vt inquit Anselmus: id quod dedecet est Deo impossibile: at assumere naturam rationis expertem: non congruit cum Dei sapientissimi dignitate: non igitur illa natura potest adsumi. Assumptio hinc liquet. Nam si Deus assumeret naturam asini, per communicationem idiomatum fieret, vt Deus esset stolidus: iam vero stoliditas pugnat cum deitate.

**PRÆTEREA** si creatura illa, cuius alioqui vis ac potentia non potest eo prouehi vt Deo fruatur, posset assumi: etiam illa natura quæ beatæ visionis ac fruitionis capax est, ita diuinæ personæ potuit coniungi, vt interim Deum neque intueretur, neque eodem conspecto frueretur, at hoc posterius fieri non potest: alioqui illa natura suscipere culpam & admittere peccatum posset, neque igitur illud prius effici potest.

**TAMETSI** vtranque huiusce quæstionis partem grauissimi authores, & eruditissimi Theologi defendant: sitque quæstionis vtraque pars vehementer probabilis: nobis tamen affirmatio videtur esse probabilior: nempe in qua tuenda ac confirmanda multo plures, ijque doctiores Theologi conspirauerint. Quo circa ad negantem partem confirmandam allata argumenta iam diluenda sunt.

**AD** primum. Negatur antecedens. Quod verò ad probationem attinet, inquit Dura. & Thomas Argent. Id verè dici, si modo illud esse supernaturale sit internum: iam verò natura assumptibilis, ipsa sui ad diuinam hypostasim assumptione, nullum esse supernaturale internum consequitur: sed diuinæ personæ coniuncta omne illud esse internum habet, quod alias haberet sibi derelicta. Illud tamen esse habet longe diuerso modo. Nam illud habet vt coniuncta diuinæ personæ: ita scilicet vt diuinæ quoque personæ attribuat. Etenim naturalis humanæ naturæ actio: erat actio etiam diuini suppositi vt agentis. Negat præterea Dur. esse coniunctum Deo hypostatice: & videre Deum, sibi mutuo respondere: alioqui nulla natura videret Deum, nisi quæ esset Deo hypostatice coniuncta: id quod tamen Paulo post diligentissimè exquiremus. Verùm quoniam multis visum est in Christo esse duntaxat vnum esse: vnumque subsistere: nempe diuinum, longe aliter dissol-



uenda ratio videtur. Quocirca Dionys. Cartusianus hoc argumentum ita dissoluendum putat, vt dicat vim ac potentiam naturæ assumptæ euehi consentaneæ suæ rei cuiusque naturæ. Quocirca si natura in animis adsumetur, non oporteret ipsam eo prouehi, vt Deo frueretur: sed eo perduceretur, vt naturalem actionem excellentius obiret. Quare negandum est illud antecedens.

Diony  
3. sent. d.  
2. q. 4.

AD secundum. Negatur propositio: ea siquidem tum vera est: cum maius & minus eodem genere: eademque natura continentur, vel certè minus includitur in maiori: aliòqui illa propositio non est vera: Non enim si homo non potest esse particeps volatus: iam intellectus particeps esse non poterit: aut si homo potest intelligere: iam poterit volare, quod ipsum est multo minus: longèque inferius. Nam intelligere & volare non continentur eodem genere. Ad hunc etiam modum vnio hypostatica & vnio beata diuersa ratione continentur: & vna sub altera non necessario comprehenditur, id quod continuo ostendetur.

QVOD verò ad assumptionem attinet: Negandam ipsam putat Durand. Nam maius: hoc est, melius digniusque est: videre Deum: ac frui Deo, quam ad vnitatem diuinæ personæ adsumi: si modo hæc seorsum, ac separatim accipiantur, in natura tamen vtriusque vnionis capaci, hypostaticam vnionem putat Durand. præstare beatæ vnioni: longe tamen aliter rem habere putat: cum vtraque vnio in eandem naturam minime cadit: Quocirca præstare ait, esse Dei filium adoptiuum quam adsumi ad vnitatem diuini suppositi, illud enim cadere in naturam expertem rationis non potest: hoc vero potest. Hac de re multa sunt iam alibi à nobis disputata.

AD tertium respondetur, omnem personam esse suppositum, non tamen: contra. Quocirca cum natura expertis rationis, non sit capax personalitatis, hic plane efficitur, vt diuina persona illius naturæ hypostaticam dependentiam terminaret, non sub ratione personæ, sed sub ratione suppositi. Dici etiam potest, naturam non intelligentem non posse esse participem personalitatis internæ: bene tamen externæ.

AD quartum. Simum donum non potest communicari cum infima creatura ita scilicet, vt ipsam formaliter perficiat. Non enim quoduis donum cadere inquamque creaturam potest, cum non quæuis natura sit cuius vis formæ receptiua.

AD quintum. Hoc argumentum, multos eosque non vulgaris eruditionis Theologos ceu Bonaventuram, Gabrielem, & Dionysium Cartusia.

num in eam opinionem induxit, vt putarent: immo vero assererent crea-  
 turam sensus & rationis expertem esse omnino inassumptibilem: nem-  
 pe quia neque diuina idiomata cum huiusmodi creatura, neque contra  
 huiusce creaturæ idiomata possint cum Deo communicari. Quis enim  
 piæ mentis ausit Deo tribuere quæ sunt lapidis, quæque bestię propria?  
 Nos dicimus hoc argumento non concludi impossibilitatem assumpti-  
 onis, sed indecentiam potius: minoremque cum diuina persona congru-  
 entiam. Nam & si pugnet cum diuinæ personæ dignitate ac sapientia,  
 esse natura asinum, & natura stolidum: non tamen repugnat id Deo  
 conuenire externe, id est, interuentu assumptæ naturæ. Nam & Deum  
 mori: supplicia perferre: contumelijs affici, pessundari: proteri: cæteraq;  
 humana perpeti: spectata diuinæ naturæ excellentia ac proprietate, ve-  
 hementissimè repugnat, eadem tamen ipsa conuenire Deo externè, hoc  
 est, interuentu assumptæ naturæ, non repugnat. Anselmi igitur senten-  
 tiam ita interpretandam esse putamus: id quod non decet, neque cum  
 diuina sapientia, ac potentia congruit, non est Deo possibile, neque ca-  
 dere in Deum potest, interuentu internæ nature: vt possit cadere exter-  
 næ nature interuentu. Certe nihil tam dedecet immortalis & impatibilis  
 Dei naturam, quam perpeti externas incursiones & mori. Hęc tamen  
 ipsa potuerunt, citra omne incommodum Deo conuenire externè, id  
 est, interuentu nature patibilis & mortalis, ad vnitatem diuini supposi-  
 ti assumptæ.

Henr.  
 quodl. 6.  
 q. 6.

DE sexto summa est inter Theologos controuersia. Henr. de Ganda-  
 uo, multis rationibus confirmat fieri nulla ratione posse, vt creatura que  
 alioqui percipere beatam illam vnionem, que in contuendo ac fruendo  
 Deo posita est, potest: hypostatice Deo coniungatur, & tamen Deo  
 non fruatur. Nam, inquit, natura non fruens Deo sic est per spontaneos libe-  
 re voluntatis impetus affecta, vt possit ab officio discedere, & ad malum  
 deflecti: At Christus non potuit officium vlllo modo deserere: neque pecca-  
 to aliquo obligare: alioqui & supplicio sempiterno addici potuisset: non  
 potuit igitur non frui Deo.

PRÆTEREA obiectum vndique potentiam afficiens, mouens, ac  
 perfundens: non potest non percipi à potentia: at diuina essentia natu-  
 ræ assumptæ vndique circumfunditur: adest igitur omni ipsius poten-  
 tiæ: ac proinde adest potentie intellectiue vt obiectum cognitum &  
 fruibile. Propositionem similitudine confirmat. Nam si vis videndi sic  
 esset

esset à natura instituta, vt impositam ac circumfusam lucem contue-  
ri posset, certè non posset non immutari à luce circumfusa: cum igitur  
hac coniunctione efficiatur, vt lux illa increata sit præsens intellectui: non  
potest non eidem adesse sub ratione obiecti visibilis, ac fruibilis.

ITEM quod inest in essentia, in potentias, quæ in essentia fundatur, necessa-  
rio redundat: at huiusmodi vnione, Deus per illapsum specialem est præ-  
sens essentiæ: est igitur præsens potentijs.

ITEM beatificata essentia, non potest non beatificari potentia, at hac vni-  
one perfectam beatitudinem essentia animi consequitur: nempe cum fiat  
vnum hypostatice cum Deo, potentiæ igitur animi intellectiua præsertim,  
& volitiua, beatitudinem consequuntur: at beatitudo in speciali quodam ob-  
iecti fruibilis illapsu consistit: igitur repugnat, creaturam Deo esse coniun-  
ctam hypostatice: & non frui Deo.

PRÆTEREA cum ad est id quod vim habet agendi: valetque ad a-  
gendum: ad estque id quod excipit vim agentis, estque ad ipsam ex-  
cipiendam idoneum & accommodatum: non potest non consequi a-  
ctio: cum præsertim actio est naturalis & necessaria: At animæ assum-  
ptæ ad vnitatem diuinæ personæ, obiectum beans animam semper  
est præsens, estque animi actio circa illud obiectum naturalis: & ne-  
cessaria: non potest enim voluntas non appetere beatitudinem: conse-  
quitur igitur actio necessario: ac proinde anima assumpta necessario frui-  
tur Deo.

HÆC sententia non probatur Ioanni Scoto: ac proinde ab ipso hisce ra-  
tionibus improbatur. Namque prius naturaliter natura siue in se: siue  
in alio personatur, quam actionem aliquam suscipiat: siquidem actio est  
suppositi: siuæ personæ iam constitutæ ceu agentis, naturæ vero ceu il-  
lius cuius interuentu actio suscipitur: at omne prius, idque absolutum,  
ac cum posteriori non necessario copulatum: potest citra vllam repug-  
nantiam existere citra posterius, potest igitur natura compos rationis per-  
sonari diuina personalitate, interim tamen non obire actionem visionis  
ac fruitionis.

PRÆTEREA nulla natura fruitur hoc obiecto: nisi quæ necessario im-  
mutatur ab illo obiecto vt præsentis: at anima assumpta non necessario im-  
mutatur ab illo obiecto: non igitur necessario fruitur illo obiecto. Oten-  
ditur assumptio. Nam nulla est necessitas immutationis, tam quoad a-  
ctum intelligendi: quam quoad actum fruendi: non quoad actum intelli-

gendi: siquidem Deus nihil extra efficit necessario, sed liberè, & contingenter, non igitur necessario efficit visionem sui in intellectu animæ assumptæ: neque quoad actionem fruendi. Nam voluntas ex puris naturalibus non necessario fruitur sine etiam conspecto: nisi aliquid adiungatur voluntati ipsam ad fruitionem necessario prouehens: cuiusmodi est perfecta charitas, at animæ assumptæ nihil adiungitur ab aduersarijs, sed sola ipsius ad verbum dependencia ponitur, quam necessario concomitatur actus fruitionis, igitur, &c. Vtrum vero illud verè dictum sit ab Scoto, non necessario animum expertem habitus infusæ charitatis, frui Deo etiam aperte viso, non est huius loci expendere. Quare institutam disputationem persequamur:

THOMAS Augustinianus eandem sententiam sic confirmat. Cum sunt quædam diuersarum rationum: & vnum est prius altero: si posterius existit sine priori: & prius quoque existet sine posteriori: at vnio hypostatica & vnio beata sunt diuersarum rationum: & illa hanc antecedit: reperiturque vnio beata sine vnione hypostatica: igitur & vnio hypostatica potest citra vnionem beatam reperiri. Assumptio satis liquet, quoad omnes sui partes.

ITEM, obiectum fruitionis est Deus sub ratione perfectissimi boni: potuit autem Deus sese ostendere assumptæ naturæ, sub ratione entis aut, veri: non autem sub ratione boni amabilis: atque fruibilis: propter summam diuinæ suæ voluntatis libertatem: & infinitam potentiam: non necessario igitur, &c.

ITEM Deus potest in essentiam ita influere: vt interim non influat in potentiam manentem ab essentia: id quod satis declarauit ille ignis: qui pueros sibi admotos non combussit: cum tamen sua apte natura calidus existeret, agendi tamen vim Deus cohibuit, ac repressit, efficitque, ne calidus existens, in pueros vim caloris immitteret: potest igitur Deus illapsu speciali in essentiam animi assumpti influere: cum tamen interim in potentiam non influat. Etenim potest omnem actionem creaturæ intercipere: conseruata interim natura.

QV O circa illud omnino asserendum est, posse Deum per absolutam potentiam efficere, vt creatura particeps rationis sibi hypostatice coniuncta, se non fruatur. Quare aduersaria argumenta iam diluenda sunt.

AD primum. Propositio illa vera est, sic creatura rationalis non fruens Deo naturæ viribus permittatur, & diuinæ gratiæ munere destituatur. Cæterum  
diuinæ

diuinæ gratiæ infusio potest esse eiusmodi, quæ hominem ab omni lapsione cohibeat: & in bono confirmet. Id quod virgini Dei paræ diuino munere concessum ac tributum esse confitemur. Quauis igitur natura assumpta Deo non frueretur, esset tamen ab omni labe peccati integra puraque, diuino munere & concessu.

AD secundum. Potentia spectari potest duobus modis: vno modo quo ad entitatem, altero modo quo ad actionem. Deus igitur animi essentia hypostaticè coniunctus potuit influere in potentiam quo ad esse: illapsum tamen & influxum interim cohibere, ac reprimere, quo ad operari: Iam verò subtracto diuino influxu quoad actionem, nulla suscipitur à potentia operatio.

AD tertium. Iam patet huiusce argumenti dissolutio. Nam potuit Deus influere in essentiam, ipsam conseruando, & hypostaticam ipsius dependentiam sustentando: interim tamen non influere in potentiam, saltem quoad actum secundum: siue actionis susceptionem: Ita hisce duobus argumentis concluditur Dei præsentia in essendo, conseruando: & sustentando: non tamen in immutatio: aut sub ratione obiecti.

AD quartum. Eodem modo beatificatur potentia quo essentia: nempe hætenus: quatenus vnum hypostasi cum Deo efficitur, non tamen conficitur necessario hoc argumento, potentiam beatitudinem illam consequi: quæ in speciali obiecti fruibilis illapsu consistit: cum Deus possit non influere in potentiam.

AD quintum. Vnionè hypostatica Deus efficitur necessario præsens animæ assumptæ, vt sustentans personalem dependentiam: vt largiens subsistentiam: non tamen vt immutans sub ratione obiecti fruibilis, vt iam demonstrauius.

PORRO quod attinet ad sextum argumentum: ex quo vniuersa hæc disputatio ortum habuit: Neganda est assumptio: Nam Deus potest efficere: vt creatura intelligentiæ particeps sibi hypostaticè coniuncta, se non fruatur: quemadmodum multis rationibus docuimus.

## Questio. VII.

*Verum diuinum verbum hominis personam  
assumpserit?*

VER.

**V**ERSARI illud etiam in quæstione consuevit. Vtrum diuinum Verbum hominis personam assumpserit? certe assumpsisse personam humanam vel hinc maxime intelligitur, quia auctore Boetio, persona est intelligentis naturæ indiuidua substantia, assumpsit autem diuinum Verbum intelligentis naturæ indiuiduam substantiam: Namque humanam naturam singularem & indiuiduam assumpsit, personam igitur humanam sibi coniunxit. Suffragatur huic sententiæ D. Ioannis Damasceni non aspernanda authoritas, qui asserit tertio Theologiæ libro, diuinum Verbum humanam sibi naturam ἐν ἀτόμῳ, id est, in indiuiduo, coniunxisse, at humana natura in indiuiduo accepta, est persona: assumpsit igitur diuinum Verbum personam.

**I**TEM, Christus assumpsit hominem, id quod veteres omnes diuinorum mysteriorum interpretes testantur, non hominem in specie: alioqui omnem hominem assumpsisset: hominem igitur in indiuiduo: at homo in indiuiduo est persona: adsumpsit igitur personam.

**I**TEM, natura non secernitur à persona: si enim secerneretur aliquid esset inclusum in persona, quod ipsum in natura minime contineretur: Nam omnis realis distinctio ortum habet ex aliqua entitate reali, quæ ita huic conuenit, vi illi alteri non conueniat, illa igitur entitas realis, quam persona siue suppositum adiungit naturæ, aut est substantia aut accidens: non substantia, nam aut esset forma, aut materia, aut compositum, itaque fieret vt in eadem re singulari essent multæ materiæ, aut multæ formæ, aut multæ substantiæ compositæ: quod fieri nequit: Neque itidem est accidens: Nam accidens non potest esse ratio subsistendi ipsi substantiæ: cum ex substantia recipiat subsistentiam: nullam igitur entitatem realem adiungit persona ipsi naturæ: ac proinde sunt idem re: cum igitur diuinum verbum assumpserit naturam: relinquitur & personam adsumpsisse.

**A**D hæc. Natura assumpta erat verè existens: & singularis: Nam quod non est non adsummitur: at eodem instanti quo natura est existens: ac singularis, est personata: natura igitur assumpta fuit personata.

**P**RÆTEREA, quemadmodum actio est suppositi vt agentis: ita etiam passio est suppositi vt terminantis actionem: At id quod assumptum est à verbo: est ab spiritu sancto fabricatum & effectum, est igitur suppositum, actionem spiritus sancti terminans.

**C**ONTRA asserit Augustinus eo quem de fide conscripsit libro. Filius

Dei, inquit, naturam hominis accepit, non personam: id quod vel hac maxime ratione ostenditur. Nam omne quod adsumitur ad vnitatem adsummentis trahitur, si igitur persona adsumitur, adducatur necesse est ad vnitatem adsummentis: aut igitur ad vnitatem naturæ, vel ad vnitatem personæ: non ad vnitatem naturæ: sic enim persona redigeretur in naturam. Adde quia cum diuina natura sit incompatibilis: nihil potest in ipsam commutari. Non ad vnitatem personæ: hoc siquidem continet apertam repugnantiam: ita enim fieret vt essent duæ personæ: & non essent duæ personæ, sed vna persona: vna quidem persona: quia adsumptio terminata est ad vnitatem personæ: duæ vero personæ adsumens scilicet & adsumpta.

ADDE, quia persona significat rem singularem per se subsistentem: & independentem: actu & aptitudine: adsumi vero est non per se subsistere, sed ex alio dependere & ab alio sustentari: si igitur persona assumeretur: esset dependens: & non dependens, subsistens per se & non subsistens: quæ omnia pugnant vehementissime: non igitur vlllo modo potuit adsumi persona.

RELIQVVM est vt aduersaria argumenta dissoluamus. Ad primum. Non quæuis substantia singularis intelligentis naturæ est persona, sed substantia completa, & per se subsistens, atque independens: cum igitur illa assumpta à verbo natura, non sit per se subsistens, hoc est seiunctim & non in alio existens, sequitur, vt non sit persona. Ad confirmationem, porro dicitur, Damascenum significare Verbum diuinum assumpsisse naturam humanam singularem & indiuiduam: non vniuersalem, vel certe declarat humanam naturam fuisse adsumptam ad indiuiduum, hoc est ad suppositum diuinum, &c.

AD secundum. Illa dicendi forma qua veteres vtuntur, est potius candidè interpretanda: quàm recipienda: aut vsurpanda. Nam cum homo significet id quod est particeps humanæ naturæ: hoc autem ipsum sit suppositum, sequitur hominem significare humanum suppositum: at diuinum Verbum non assumpsit humanum suppositum: non igitur assumpsit hominem. Quocirca illa sententia ita accipienda est: vt homo referatur ad naturam: vel ad extremum vnionis: vt <sup>scilicet</sup> ~~enim~~ dicatur verbum hominem assumpsisse: quatenus naturam humanam assumpsit: vel quatenus assumptio eo terminata est, & euasit, vt filius Dei esset homo.

## DE DISTINCTIONE NATURÆ

à supposito.

**D**E tertio summa est inter Theologos disceptatio. Nā quibusdam placet naturā singularem non secerni re ipsa à supposito: siue concreto: sed vnum idemq; re ipsa esse putant hominem, & humanitatem: hunc hominē, & hanc humanitatem. Alij contra putant. Quocirca vtrorūque nobis sunt rationes, & argumenta in medium proferenda, ad extremum vero, quænam sit probabilior sententia, exponendum est.

Scot. 3. d  
1. q. 1.

**IOANNES** Scotus omnino asserit naturam singularem creatam: & suppositum, siue habens naturam, seu hunc hominem, re ipsa non distingui: nihilque positiui & realis, hypostasim naturæ adiungere: sed solam duplicis dependentiæ negationem: actualis. s. & aptitudinalis: ita. s. quod quando naturæ singulari conuenit duplex illa negatio dependentiæ. i. neq; actu, neque aptitudine ad aliud suppositum dependet, tum est perfecta, & absoluta persona. Intelligit igitur Scotus primo naturam ipsam singularem, ita videlicet vt nihil ibi sit aliud: nisi natura ipsa, & ipsius singularitas positiua: deinde animo complectitur duplicis illius dependentiæ negationem: quæ singularem naturam continuo (nisi sit aliquid præueniens) comitatur. Interest tamen inter vtranque negationem. Nam negatio actualis dependentiæ non necessario comitatur naturam: siquidem potest ad alienum suppositum dependere, id quod re ipsa contigit naturæ humanæ singulari à verbo assumptæ: dependet enim actu ad diuinum suppositum Verbi: cæterum posterior negatio semper coniungitur naturæ: etenim sic est à natura instituta, vt nō nisi ad propriū suppositum naturalem habeat propensionem.

**HINC** intelligitur naturam humanam coniunctam verbo, nō esse personam: nempe cui non conueniat vtraque illa negatio dependentiæ. Namq; actu dependet ad suppositum Verbi: & inclinationē habet ad propriū suppositum: alioqui in proprio supposito inesset violenter: vel personaretur in se præter naturæ impetū: ac propensionem.

**OBIICI** contrapotes: inest igitur humana natura in diuina Verbi persona vi, ac naturali propensione non consentanee? Negat Scotus consecutionem. Nam omnis res creata est ad parendum Deo idonea: estque diuinæ voluntati, & imperio subiecta: iam vero quod conuenit creature relatione ad diuinam voluntatem, nequaquam illi vi conuenit: nam si diuina voluntate & imperio, lapis superū in locum ferretur, ille motus nequaquam lapi  
diper



di per vim cōueniret. Certe hęc responsio non dū omnino addubitanti satisfacit. Nam ille motus pugnat cū natura: ac naturali impetu lapidis, vi igitur eidem conuenit. Respondet Scoti interpretes, motum illum esse non consentaneum naturali lapidis propensione: non tamen esse naturæ lapidis cōtrarium, atque repugnantem. Ad eundem modum assumpta natura inest in diuino supposito non consentaneæ naturali propensione: non tamen cōtrarie, aut repugnanter, propter obedientiæ facultatem. Putat etiam Leuchetus posse dici non incōmode: naturam illam esse cum ad proprium, tum ad diuinum suppositum propensam: nempe quia coniunctione sui cum diuina persona esse hypostaticum: & personale excellentissimum consequatur. Quocirca illa consecutio minus firma est: natura singularis est ad diuinam hypostasim eximie propensa: se ipsa igitur vi personatur: nam tametsi materia propensionem habeat ad formam, cuius est expers: non tamen inde consequitur, vt vi, & naturæ minus consentaneæ subsit formæ, cuius alioqui est particeps.

**HINC** etiam illud haud obscure potest intelligi, minus propriè dici naturam ad proprium suppositum dependere. Nam cum ratio suppositi in negatione dependentiæ consistat: negatio verò ipsa nihil sit in se, hinc efficitur, vt nihil terminet: hoc est, nullius dependentiam terminet. Dependere ergo naturam ad proprium suppositum, est aliud nihil: quam in se subsistere, per se consistere: nullibi dependere: sed obtinere duplicis illius dependentiæ negationem.

**HÆC** est Scoti de personalitate sententia, quam eandem hisce argumentis confirmat. Nam si persona entitatem aliquam realem: ac positiuam adiungeret naturæ singulari: illa entitas non posset adsumi: quod ipsum falsum est: partim quia authore Damasceno, quod non potuit adsumi, non potuit curari & restitui: partim quia omnis res creata æque est ad parendum Deo idonea ac propensa: Consecutio vero hinc liquet, quia personalitati repugnat adsumi & cōmunicari: illa igitur entitas positiuam constituens personam non posset villo modo adsumi: & cum altero cōmunicari: est enim persona incōmunicabilis existentia.

**AD** hęc. Natura assumpta illa entitate careret: que ipsa tamen est actualissima: & extrema, ac proinde Christus non esset homo vniuocæ.

**ADDE**, quia si dimitteretur à verbo illa natura: oporteret eidem reddi illam personalitatem: qua ipsam vnio defraudauit: vel certe non esset personata: namq; persona illa realitate constituitur.

**ACCEDIT**, quia illa natura dimissa, non posset esse persona: nam illa entitas positiua effectrix personæ: neque est realitas naturæ: neque per identitatem in ea continetur: alioqui manente tali natura, semper maneret illa realitas: iam vero substantia completa si est, aut est suppositum, aut persona.

**AD** extremum cum natura ea ratione qua natura est, sit prior illa entitate personæ effectrice, omne autem prius possit citra posterius existere, Deus posset efficere, vt illa natura existeret sine personalitate: ac proinde daretur natura singularis, que ipsa neque in se: neque in alio esset personata: id quod fieri nequit.

**HIS** igitur argumentis Scotus in eam est opinionem inductus, vt putaret personalitatem non esse aliquam realitatem positiuam: sed naturam tum personari, aut suppositari: cum illi conuenit negatio duplicis dependentiæ, siue duplicis comunicabilitatis, quod videlicet: & quo.

**HÆC** porrò sententia his argumentis refellitur. De tua sententia ò Scote in primo. d. 3. q. 1. Negatio non conuenit alicui: nisi per aliquam entitatem positiuam, cui repugnat affirmatio opposita negationi: vt satis declarat proprietas illa patris, esse ingenitum: at persona designat negationem duplicis dependentiæ, siue duplicis comunicabilitatis, non conuenit igitur naturæ singulari ista negatio, nisi per aliquam entitatem positiuam, cui formaliter repugnet affirmatio comunicabilitatis: ac proinde ista entitate positiua posita in natura singulari, continuò sequitur illa negatio: Quo efficitur vt prius sit persona per affirmationem, quam per negationem.

**ADDE**, quia illa negatio nihil est aliud, quàm independetia ad externam personam: At anima seiuncta est sic independens: est igitur persona.

**ITEM** singularitas posita est in aliqua entitate positiua, qua efficitur, vt natura singularis sit indiuisa à se, & seiuncta à quouis alio: igitur & personalitas posita est in entitate positiua, qua efficitur vt natura sit independens. Antecedens illud probatum est Scoto. 2. d. 3. &c.

**INTERPRES** Scoti ita argumentatur. Si suppositum hæctenus differt à natura singulari, quatenus coniunctam habet negationem duplicis dependentiæ: igitur suppositum non recipit prædicationem naturæ: ita. s. vt natura per se de supposito dicatur: namq; ens per accidens non recipit prædicationem alicuius per se, & in quid: iam vero natura singularis adiuncta illa duplici negatione, est ens per accidens.

**ITEM** illa duplex negatio est posterior natura, ipsa singulari natura: in illo igitur priori secundum naturam, singularis natura per se existit: est igitur persona,

sona, ac proinde negatio non complet rationem personæ.

**AD DIT** Caie. si personalitas posita esset in negatione, posita esset in nihilo: ita natura personaretur nihilo: & cum dicimus verbum nõ assumpsisse personam: diceremus non assumpsisse nihil. Item cum ait Innocentius, verbū diuinum humanam consumpsisse personam, consumpsisset nihil, at nihil cum non sit, non est, consumptibile, igitur. & cæ.

**FACILE** possunt Scoti partes defendi. Ad primum igitur respondetur. Triplex est negatio. Est enim negatio negans actum, non tamen aptitudinē: cuiusmodi negatio conuenit rei graui, relatione ad centrum. Est alia, quæ vtrunq̄ue tollit, cuiusmodi negatio conuenit naturæ singulari sibi derelictæ, respectu alieni suppositi. Tertia negatio dicitur negatio repugnantia: cuius generis est negatio irrationalitatis conueniens homini: etenim homini repugnat affirmatio irrationalitatis. Hoc igitur tertium negationis genus conuenit rei interuētu entitatis positivæ. & cæ. Non sic autem incōmunicabilitas: siue negatio dependentiæ, conuenit naturæ singulari: aliō qui non potuit ad sumi ad suppositum verbi ex quo actu dependet: ac proinde non conuenit ei per aliquam entitatem positivam: cui repugnet affirmatio comunicabilitatis.

**AD** secundum. Triplex est dependentia, actualis, potentialis, & aptitudinalis: ac proinde triplex est negatio dependentiæ: actualis scilicet, potentialis, & aptitudinalis: duæ illæ priores negationes non necessario conueniunt naturæ singulari: nempe quia possit ad aliud suppositum dependere: Tertia verò negatio necessario comitatur naturam singularem: completq̄ue rationem personæ: siue suppositi. Cum igitur anima seiuncta à corpore: sit corporis perfectio, atque forma, hinc efficitur, vt naturalem habeat ad informandum corpus propensionem, sitq̄ue nata ex corpore dependere: ac proinde nullam habeat ad per se existendum propensionem: non igitur à corpore seiuncta est persona: nempe cui non conueniat negatio aptitudinalis dependentiæ.

**AD** tertium. Neganda est consecutio. Namq̄ue negatio diuisibilitatis à se: & identitatis cum altero, conueniens naturæ singulari, non est negatio repugnantia: ac proinde non necessario requiritur, vt conueniat interuentu alicuius entitatis positivæ.

**AD** quartum. Concedit Scoti interpretes, naturam, siue speciem dici de natura singulari, vt coniuncta illi duplici negationi, ex accidenti: in quid verò dici, quatenus natura singularis includit ipsam essentiam: & quid itatem.

**AD** quintū. Eodem tēporis momento quo aliqua natura est hæc, coniuncta

L

habet

habet illam duplicem negationem (si modo eodem puncto temporis aliena personalitate non personetur) tamen si nō eodē instāti naturæ. Ac illo instāti nature, vt sit hæc, ac singularis, nondū tamen est per se stans: quia igitur eodem temporis puncto quo aliqua natura est hæc, coniunctam habet illam duplicem negationem, proinde dicitur illam duplicem negationem esse cōpletiuam personæ. Porrò ea quæ contra obiiciuntur à Caietano, facile diluuntur. Non enim dicimus naturam formaliter personari negatione, (est enim negatio ens in animo) sed dicimus personam significare naturam singularem, interim connotando negationem dependentiæ, & communicabilitatis. Ita verbum diuinum non assumpsit nihil: sed non assumpsit naturam singularem coniunctam illi duplici negationi, id est, non assumpsit naturam singularem per se stantem. Idem verbum consumpsit personam, id est, effecit ne duplex illa negatio singulari naturæ conueniret, nempe quod eodem temporis momento, quo vtræque negatio debuit naturæ conuenire, illam naturam ad suam hypostasim adsumpsit. &c.

3 d. 5. q. 1.  
ar. 2.

**TERTIVM** igitur illud argumentum principale ita diluit Scotus, vt dicat, personam & naturam, partim esse vnum & idem: partim verò non esse: Nam sunt vnum & idem re: siue entitate positiua: nihil enim positiui realis persona adiungit naturæ: differunt tamen quo ad completam rationem incommunicabilitatis. Nam eadem natura singularis vt sic, non est eadem sibi ipsi vt coniunctæ negationi communicabilitatis. Assumpsit igitur diuinum verbum personam secundum rem siue entitatem illam positiuam quæ est persona: non tamen secundum completam rationem personalitatis: id siquidem repugnat. Conueniret enim naturæ singulari assumptæ & negatio actualis dependentiæ: & affirmatio actualis dependentiæ. &c.

Och. 3.  
d. 1. q. 1.  
Item, 1.  
d. 22.

**PRINCEPS** nominalium Ochamus in eadem est opinione & sententia. Inquit enim suppositum: siue personam, re ipsa non differre à natura singulari: sed adiungere eidem negationem quadruplicis communicabilitatis scilicet formæ cum subiecto, siue materia, partis integralis cum toto, formæ inhærentis cum subiecto, sustentati cum sustentante. Quocirca suppositum sic definit, vt illud esse dicat ens completum, non constituens aliquid vnum: neque natum inhærere, aut ab alio sustentatum. Prima particula se iungit suppositum ab omni parte siue integrali, siue essentiali: Secunda particula secernit suppositum à diuina essentia, & à proprietate relatiua: quorum neutrum formaliter est persona. Tertia separat suppositum ab omni forma, tam essentiali, quam accidentaria: quarta verò se iungit ipsum à natura singulari

gulari assumpta à verbo, quæ ipsa à diuina verbi hypostasi sustentatur.

SUNT & alij, qui de suppositi à natura distinctione ita sentiunt, vt dicant: suppositum & naturam, re ipsa nullo modo distingui: imo vno eandemque rem esse suppositum & naturam, sola ratione intelligendi, siue significandi differentem. Namq; natura significatur absolute, & nequaquam relatione ad aliud: suppositum vero, siue concretum significat habens naturam, id quod facile ex concreti nominis explicatione intelligitur. Etenim homo est habens humanam naturam. Vel sic suppositum & natura differunt vt quod est, & quo est: natura enim est qua Socrates est homo: Socrates vero est ipsa eius natura, participans & habens illam.

Henr:  
qđlib. 4.  
q. 3.  
Durā. 1.  
d. 34. q. 1.

HÆC porrò de distinctione suppositi à natura sententia, hisce potissimū rationibus confirmatur. Quomodo definitio naturæ, affecta est ad definitionem suppositi: eodem modo natura affecta est ad suppositum: at eadem est suppositi & naturæ definitio, etenim homo est animal rationis particeps: & humana natura est ex animalitate & rationalitate constans natura: sunt igitur vnum & idem, suppositum & natura: vt quæ eandem rem declarent, atque significant.

PRÆTEREA, si suppositum qua suppositum est, re ipsa secernitur à natura: quia aliquid continet, quod ipsum non continetur in natura: aut igitur suppositum qua suppositum est, naturā prius habet, quam illud, vel contra: Si naturam prius habet: est igitur res singularis suppositum præcise in reuentu naturæ: id quod nobis est ad efficiendum propositum: Sin verò contra res habet, est igitur aliquid in re composita, quod non proficiscitur ex natura, id quod falsum est: nam ex coniunctione materiæ cum forma, proficiscuntur omnia quæ conueniunt rei compositæ: sunt enim huiusce coniunctionis consequentia.

ADDE his, quia attributum essentialiter est idem rei subiectæ: at natura essentialiter dicitur de supposito: Est enim Socrates essentialiter homo, est igitur natura idem quod suppositum.

ADIVNGIT hisce Duran. Authore Aristote. in categoriis, in accidentibus concretum & abstractum idem significant, album enim solam albedinem significat, in substantiis igitur eodem modo res habeat oportet, vt scilicet concretum & abstractum, ceu homo, & humanitas idem omnino declarent.

CVM igitur suppositum, & natura, eandem omnino rem, horum sententia,

tia, significant: hinc efficitur, ut legitimam attributionem illam esse dicant: qua natura, siue abstractum dicitur de supposito, siue concreto. Aiunt enim hominem esse humanitatem, & hunc hominem esse hanc suam humanitatem. Alij tamen hoc genus attributionis non putant esse admittendum, propter diuersam significandi rationem, quæ cernitur in supposito & natura, in concreto & abstracto. Quibus illud obiici contra potest: quod & si illa attributio, non sit arti consentanea: nihil enim de re subiecta declarat: est tamen identica, quemadmodum & illa qua diuinitas dicitur de Deo.

ARGUMENTVM porrò illud tertium, huiusce sententiæ & opinionis authores diluunt hoc pacto. Negandam enim putant consecutionem. Nam ut suppositum & natura re ipsa non distinguantur: differunt tamen significandi ratione. Natura enim significat ceu id quod habetur: suppositum verò ceu id quod habet: At natura humana in Christo est habita duntaxat, non habens: non igitur habet rationem suppositi, & concreti. Hinc efficitur, ut humana Christi natura non dicatur homo, sed humanitas: Neque verè dicatur, verbum assumpsisse hominem, sed humanitatem. Neque item illud, indicato Christo, verè vlllo modo dici potest, hic homo est sua humanitas: nam habens humanitatem est diuinum suppositum, quod ipsum re differt ab assumpta natura. Porrò assumptam illam naturam habere rationem habiti, non habentis, hinc ostenditur: quia id quod habet rationem partis, vel rationem inhaerentis, vel alteri innitenti, habet rationem habiti, non habentis: at humana Christi natura diuino supposito innititur, neque constituit suppositum in Christo: habetur igitur, non habet: ac proinde verbum ut assumpserit naturam: nullo tamen modo suppositum assumpsit.

EXPOSVIMVS illorum sententias, qui suppositum à natura non putant secerni: sequitur, ut illorum quoque sententias, qui contra sentiunt, exponamus. Ac illi quidem omnes hoc consentiunt: quia suppositum à natura re ipsa seiunctum esse putant: ita. s. ut suppositum aliquid adiungat naturæ: quod ipsum sit efficiens realis distinctionis: cæterum de re illa, quæ adiungitur & accedit naturæ, inter sese dissident magnopere. Ac suppositum re ipsa differre à natura, hisce argumentis ostendunt. Illa re ipsa inter se differunt, quorum vni reale aliquid ita attribuitur, ut interim alteri minime attribuatur: at suppositum & natura sunt huiusmodi: etenim supposito attribuitur agere, existere, subsistere, quæ ipsa tamen naturæ non attribuuntur, non sunt igitur idem natura & suppositum.

ITEM

ITEM, suppositum est id quod habet, natura id quod habetur: At in solo Deo est vnum & idem quod habet & quod habetur: non igitur in rebus creatis: ac proinde suppositum in ipsis, & natura, re ipsa distinguuntur.

AD hæc, diuinum Verbum assumpsit humanam naturam: non tamé suppositum humanum: non sunt igitur vnum & idem, natura humana & suppositum humanum.

ADDE, quia si res ita haberet, abstractum diceretur de concreto, essetque proinde hæc propositio vera, homo est humanitas, siue Socrates est hæc humanitas, quod ipsum tamen non placet dialecticis. & cæt.

QVOD verò attinet ad id, quod suppositum adiungit nature, variæ sunt ac discrepantes doctorum hominum sententiæ. Thomæ visum est, suppositum adiungere nature entitatem aliquam realem, personalitatis effectricem, hæc verò entitatem realem, dicit esse accidentia: & esse. Etenim. 1. part. quæst. 3. art. 3. ita ait, Materia indiuidualis, cum accidentibus omnibus indiuiduantibus non cadit in naturam speciei non enim includuntur in definitione hominis hæc carnes, & hæc ossa, in eo tamen quod est homo, includuntur. Etenim id quod est homo habet in se aliquid, quod in humanitate non continetur, & proinde non est omnino idem homo: & humanitas. Eadem sententiam protulit. 3. part. quæst. 2. artic. 2.

Thom.  
1. p. q. 3.  
ar. 3.

OBII CIT contra Durandum. Si suppositum hoc differt à natura, quia in supposito includuntur accidentia, quæ ipsa in natura minimè inclusa continentur: certe suppositum non esset vnum: & ens per se: sed vnum & ens per accidens: vt homo albus. Neque itidem suppositi esset per se ac propriè definitio. Item ad diuersas categorias attineret: quemadmodum homo albus. Adde quia supposita attinentia ad categoriam substantiæ, non per se recipere attributionem superiorum omnium attributorum, sed accidentario.

Durand.  
d. 34. q. 1.

EGO etiam illud obiicio. D. Thomæ. Nam hæc eius sententia non explanat entitatem illam positiuam, quæ est effectrix suppositi, cuiusque interuentu suppositum ipsum à natura singulari distinguitur, sed potius docet, quod nam sit indiuiduationis principium, id est, quid nam sit illud, quo natura aliòqui communis, efficitur indiuidua. Hoc autem in iis, quæ ex forma & materia constant: dicit esse materiam signatam.

CAIETANVS omnino contendit docere, esse de S. Thomæ sententiâ: aliquam entitatem realem includi in supposito, quæ ipsa in natura singulari minimè inclusa teneatur, ac proinde suppositum à natura singulari re ipsa se iungatur. Nam cum sit aliqua entitas realis conueniens huic homini, quæ

3. p. q. 4. ar. 2.

ipsa non conuenit, etiam authore Thoma, huic humanitati, nempe actus efficiendi, & filiatio realis. (Etenim de Thomæ sententia. 3. quæst. 17. art. 2. suppositum est primum subiectum actus efficiendi, natura non item. Idem quæst. 35. art. 5. asserit, in Christo non reperiri filiationem temporariam, nempe cum in Christo non insit subiectum huius filiationis capax.) Efficitur, inquit Caietanus, ut personalitas, quædam sit realitas intrinseca, efficitrix personæ: quam realitatem consequuntur negationes: & cætera omnia quæ hypostasi attribuantur. Hanc porro entitatem, reponendam esse putat Caiet. in genere substantiæ, non veluti differentiam: sed ut terminum vltimum naturæ substantialis. Namque personari naturam, est ipsam terminari: id quod vel ex eo maxime intelligitur, quia dicimus naturam assumptam à verbo terminari per suppositum verbi. Item natura quantumuis sit hæc, & indiuidua, nunquam omnino terminatur, nisi personetur, id quod apertissime declarat natura singularis assumpta à verbo, quæ ipsa verbi personalitate vltimo terminata est. Itaque de sententia Caietani, suppositum superaddit naturæ terminationem quandam, & completionem. Huic rei, illud vel maxime suffragatur: quia pars quæ aliò qui coniuncta toti, est potentia: seiuncta à toto efficitur actu, acquiritque rationem totius, nouamque terminationem: itemque esse hypostaticum: (est enim iam non pars substantiæ: sed prima substantia.) At hac seiunctione, acquirit totalitatem quandam: totalitas verò est quædam terminatio: & completio, hypostasis igitur designat quandam naturæ singularis terminationem, & completionem.

**HINC** efficitur primum, personalitatem esse quiddam seiunctum à natura singulari: nam & terminus seiunctum quiddam est à re quam terminat, ac finit, est tamen aliquid naturæ: quemadmodum punctus est aliquid lineæ, quam terminat, est enim ipsius terminus.

**ILLUD** præterea conficitur, posse hunc terminum separari à natura, ita scilicet quod natura singularis existat expers actualis terminationis: cum videlicet ad aliquid aliud completius assumitur, id quod cernitur in natura singulari assumpta à verbo, non tamen illa entitas existit citra naturam. Ad eundem modum, est linea expers actualis terminationis, ceu linea circularis, punctus tamen citra lineam non existit.

**HÆC** tamen assertio hisce argumentis refutatur. Namque si illa entitas: siue ille terminus naturæ, est in substantiis, sit oportet aut materia, aut forma, aut compositum, idque vel natura, vel hypostasis: at horum nullo continentur, ut satis liquet, non est igitur in substantiis.



**ADDE**, quia si personalitas est terminus naturæ: est igitur aliquid naturæ, quemadmodum punctus est aliquid lineæ: At authore Damasceno, diuinum verbum assumpsit id omne, quod humanæ naturæ adiunctum, & insitum esse voluit: assumpsit igitur illum terminum, siue illam entitatem.

**PRÆTEREA**, quemadmodum id quod rationalitate constituitur, vel irrationalitate, est animal: ita etiam illud quod illa terminatione constituitur, est homo, at humana Christi natura, illa terminatione non constituitur, non est igitur Christus homo.

**ITEM** illud consequitur, naturam assumptam à verbo, esse incompletam termino proprio: completam verò termino alieno: nempe personalitate verbi: At diuina verbi persona, non potest obire munus, officiumque termini, vt quæ sit subsistens: non est igitur personalitas, terminus.

**ADDE**, quia suppositum non per se subsisteret: sed interuentu illius entitatis: quemadmodum corpus non per se, sed per superficiem terminatur: item suppositum esset quarta substantia, ex tribus confecta: materia scilicet forma, & ex illa entitate. Aure. apud. Capr. 3. dist. 5. quæst. 3.

**HÆC** diluit Caieta. Principio concedit, illam entitatem esse in substantiis, aliò qui suppositum esset ens per accidens: refertur tamen illa entitas ad substantiam, ceu terminus substantiæ, quemadmodum punctus refertur ad categoriam quantitatis, ceu terminus quantitatis.

**AD** secundum. Verbum diuinum assumpsit omne id, quod pertinet ad naturam, non tamen id omne quod pertinet ad hypostasim: iam verò illa entitas non est aliquid humanitatis vt distinguitur contra suppositum, nempe quæ sit suppositi effectrix: sed est aliquid humanitatis omnino perfectæ: & completæ: est enim completiua & terminatiua naturæ singularis.

**AD** tertium. Christus est hic homo: nam hic homo significat naturam singularem completam: ac terminatam termino proprio, vel alieno.

**AD** quartum. Conceditur consecutio, negatur tamen assumptio, nam diuina personalitas est vltima diuinæ naturæ terminatio, non repugnat igitur ratio termini diuinæ nature subsistenti: imo verò quia est terminus subsistens, continet & complectitur omnem termini vim & rationem: & proinde potest terminationem dare alteri naturæ.

**AD** quintum. Negatur consecutio. Nam illa entitas est aliquid terminatæ rei, ac proinde non est omnino quiddam diuersum, subsistere igitur per se est aliud nihil: quam terminari termino proprio: qui ipse est aliquid rei finite, ac terminatæ.

AD sextum. Non recipitur illa consecutio. Nam terminus rem terminatam non componit, non enim punctus lineam cōficit. Refertur igitur suppositum ad substantiam compositam, ut accipitur pro hypostasi, quam eadem, inquit Caiet. non numerari, ut rem seiunctam à natura, ac partibus ipsius, cum nihil adiungat naturæ, nisi terminationem quandam, & completionem.

QVID ais o Caietane? Non igitur suppositum re ipsa secernitur à natura: sed est vna met res, differens ceu completum: & incompletum, terminatum, & interminatum: quemadmodum neque linea terminata differt re ipsa, ab eadem linea non terminata. Ita Caiet. in id vel inuitus incidit, quod improbat & aduersatur.

EGIDIO Romano viro doctissimo placet, non sic suppositum secerni à natura, quod in supposito aliquid includatur interne: quod ipsum in natura minimè continetur, sed distingui ea existimat modo per se essendi: quæ natura ob id consequitur, quia actuali existentia sic coniungitur, ut interim altero supposito non nitatur. Ita enim fit, ut & suppositum sit ens per se, & re ipsa differat à natura. Est quidem ens per se, siquidem nullam rem propriè dictam, suppositum adiungat naturæ: sed modum rei duntaxat: qui ipse non reponit suppositum extra propriam categoriam & speciem. Differt autem re ipsa, siquidem res intrinsicè modum includens: differt re à se ipsa, modi illius non particeps. Etenim materia extensa, re differt à se ipsa non extensa. Itaque de sententia Egidij, suppositum & natura non differunt significato principali, ac formali, sed re connotata, & consignificata, significat enim suppositum ipsam naturam: interim ad significando quendam modum: quem natura ob id consequitur, quia coniungitur ipsi esse: & alijs proprietatibus hypostaticis, sine quibus ipsa natura actu non existit, est autem ille modus per se esse secundum actualem subsistentiam. Quocirca suppositum & natura, non significant aliam & aliam rem, sed eandem, aliter tamen, & aliter se habentem.

Capr. 3. AD hanc opinionem & sententiam proxime accedit Ioannis Capreoli sententia, & opinio: qui asserit, suppositum seiungi, ac secerni à natura, vnicæ re connotata: nempe actu essendi, quem actum nequaquam in suppositi ratione inclusum esse putat: sed externe potius connotari & ad significari.

Heru. Cum Egidio etiam sentit Heruæus, quod l. 3. quæst. 6. Etenim suppositum & naturam minimè secernit quoad interna, sed quoad externa: ac connotata: quibus necessario coniungitur natura. Porro Egidij sententia à Durando,

primo

primo collectaneorum libro, multis argumentis refutatur: à cuius refutationis expositione super sedeo.

RELIQVVM est, vt nostram hac de re tota sententiam aperiamus.

PROPRIA AVTHORIS DE RE PRO-

posita sententia.

ADhuc exposuimus Theologorum de re proposita varias ac dissidentes sententias. Reliquum est vt hanc litem, ac controuersiam, exposita nostra sententia, dirimamus.

EST igitur nostra sententia, suppositum à natura non distingui realiter, sed modaliter, ob id scilicet, quia in supposito qua huiusmodi modus aliquis realis includatur qui ipse in natura, quatenus natura est, minime continetur. Est autem ille modus realis, per se subsistentia. Hoc vero, quo fiat planius, illud interim notandum est. Suppositum & naturam, siue concretum & abstractum, duobus modis accipi posse: in vniuerso scilicet, siue in specie, & in parte: ceu homo & humanitas: hic homo: & hec humanitas: ponuntur igitur nonnullę assertiones.

PRIMA assertio. Suppositum & natura, concretum & abstractum, in specie, re ipsa non differunt, sed sola significandi ratione. Non differre quidem re ipsa, vel hinc maximè constat, quia vtriusque est eadem definitio: ac proinde vtriusque est eadem essentia, eademq; natura, diuersam autem esse significandi rationem, hinc intelligitur, quia concretum significat vt habens: natura vero, ceu id quod inest & habetur. Etenim homo est animal particeps rationis, at humanitas, natura rationalis participata.

SECUNDA assertio. Concretum siue suppositum in parte, re ipsa secernitur à natura in specie. Illa si quidem in diuersis rebus sunt habenda, quorum vnum aliquid continet & comprehendit: quod ipsum in altero minime continetur: At suppositum singulare, & natura cõmunis, ita habent, sunt igitur in diuersis rebus. Propositio notior est, quam vt egeat approbatione, assumptio ostenditur. Namq; in supposito singulari, siue re indiuidua, includuntur principia indiuiduata, siue causę effectrices indiuiduationis, quę ipse, authore Damasceno, sunt accidentia: siue proprietates hypostatice, quas idem Damascenus appellat, characteristica, id est, proprietates insignientes, sunt enim veluti quędam notę, quibus vnum indiuiduum ab altero secernitur, & internoscitur: ac proinde suas, quodque indiuiduum, habet hypostatice proprietates, &c.

**TERTIA** assertio. Suppositum singulare, & natura singularis, secundum rem & secundum substantiam non differunt, vt interim significandi ratione dissideant. Namq; illa secundum rem, & secundum substantiam non differunt, quæ eandem rem naturaque declarant: at suppositum singulare, & natura singularis sunt huiusmodi: Etenim hic homo significat hanc humanitatem, itidem, hæc humanitas, hanc humanitatem declarat, est tamen diuersa significandi ratio. Nam hic homo, significat id quod habet hanc humanitatem, hæc humanitas vero significat ipsam eandem humanitatem, quæ habetur, &c.

**QUARTA** assertio. Suppositum singulare, & natura singularis, communes habent insignientes proprietates: siue notulas secretrices. Nam quorum est eadem singularitas, eorundem sunt eadem secretrices notæ: At suppositi singularis, & naturæ singularis est eadem singularitas, tametsi aliter & aliter significata, sunt igitur vtriusq; eadem secretrices proprietates.

**QUINTA** assertio. Suppositum & natura singularis modaliter distinguuntur. Namque supposito conuenit per se subsistere, id quod in suppositione includitur, non autem in ratione naturæ. Est enim suppositum ens completum, per se subsistens: natura vero qua huiusmodi, non per se subsistit: igitur, &c. Ita fit, vt suppositum re ipsa nihil sit aliud, quam ipsamet natura singularis, connotando quod per se existat, siue subsistat.

**HÆC** porrò per se subsistentia, comitatur naturam in se derelictam: quam eandem etiam continuo consequitur, duplicis illius dependentiæ negatio. Primo igitur signo, occurrit animo natura singularis, secundum se, cui ipsi quatenus singularis est, conuenit negatio comunicabilitatis vt quod, non enim actu aut aptitudine potest cum re altera sibi subiecta comunicari. Deinde ad est continuo ille modus rei naturæ singulari, quo efficitur, vt esse hypostaticum, siue personale, consequatur. Ad extremum consequuntur negationes. scilicet negatio actualis dependentiæ, & negatio aptitudinalis. Nam conseruato illo modo reali, fieri nullo modo potest, vt natura singularis actu vel aptitudine ad aliud dependeat: ac proinde nullus iam relinquatur eiusdem assumptioni locus. Ille tamen modus potest à natura singulari separari, non corruptione, siue sublatione iam existentis entitatis, hac siquidē sublationes continuo tolleretur natura, sed præuentione alienæ hypostaseos. Nam eodem temporis momento, quo natura sibi derelicta potuit, ac debuit illum essendi modum obtinere: potuit ad alienam hypostasim adsumi, itaque propria hypostatica proprietate, nempe propria subsistentia, defraudari, id quod naturæ  
singulari

singulari assumptæ à verbo contingit. & cæt.

### Quæstio. VIII.

*Verum natura existens in persona verbi, habeat ad propriam personalitatem inclinationem, nec ne?*

**C**ÆTERVM addubatur. Vtrum humana natura existens in persona verbi, sit ad propriam hypostasim propensa, nec ne? Accessit illius naturæ ad propriam personalitatem propensionem, hinc vel maximè concludi potest, quia sit præpedita diuinitus, quo minus ipsam haberet: iam verò nihil præpeditur, nisi quod aliò qui in aliud tendit: Est igitur humanæ naturæ verbo coniunctæ, ad propriam personalitatem naturalis quædam inclinatio, atque propensio. Negatio tamen ita ostenditur. Quod inest in aliquo, nature, siue propensioni, & inclinationi naturali minus consentaneæ, vi inest, at violentum nihil est diuturnum: Quare si natura humana in verbo inest, naturali propensioni & inclinationi minimè conuenienter, vi igitur inest, ac proinde diuturna esse non potest.

**H**A C de re extant dissidentes Theologorum sententiæ. Etenim Ioanni Scotovisum est, humanam naturam verbo coniunctam, esse illam quidem ad propriam personalitatem propensam: inesseque in illa diuina verbi persona naturali habilitati, & propensioni non consentaneæ: non tamen vi: aut naturæ repugnanter inesse: sed aut non conuenienter naturæ, aut supra naturam, secundum illam potentiam, quæ dicitur obedientialis.

**P**O R R O humanam naturam diuinæ verbi personæ coniunctam, esse ad propriam personalitatem propensam, hisce argumentis ostendi potest. Omne id quod caret re, aliò qui sibi debita, rem illam requirit, estque ad illam habendam propensa: at humana natura verbo coniuncta, caret propria personalitate, quæ naturæ iure illi debetur, igitur ipsam requirit, habetque ad illam propensionem. & c.

**A**D D E quia humana natura verbi personæ adiuncta, quo ad facultates, propensiones, & habitudines naturales, à cæteris naturis, eadem specie consentientibus, minimè secernitur: at cæteræ naturæ propensionem habent ad proprias personalitates: & hypostasies: & illa igitur cum verbo copulata.

**P**RÆTEREA vt accidens ad inhæredum, ita substantia affecta est ad per se existendum: at accidens quantumuis separetur, semper aptitudinem ad inherendum conseruat, substantia igitur quantumuis in alieno supposito existat, semper aptitudinem ad per se existendum retinet.

**AD**

**A**D hæc, Magis inseparabiliter, ac per se conuenit naturæ ipsa hypostasis, quàm potentia conueniat actus: at potentia carens actu proprio, semper illū requirit: multo igitur magis natura carens propria personalitate, eandem requirit. Propositio hinc intelligitur, quoniam potentia defraudari actu proprio, etiam naturaliter potest, at naturæ subtrahi propriam hypostasim: non nisi vi diuina potest, & adhibito maximo miraculo. Ac quæstionis affirmatio sit ad hunc modum confirmata.

§. part. q.  
4. arti. 2.

**CAIETANVS** asserit negantem partem, docetque naturam humanā diuinæ uerbi personæ coniunctam, nullam prorsus habere ad propriam personalitatem propensionem. Ponit autem distinctionem, cui eidem duplicem assertionem subiungit.

**EST** autem distinctio huiusmodi. Humana natura accipi potest bifariam, vno modo secundū se, id est, qua à diuina uerbi persona sciungitur: altero modo, qua diuinæ personæ coniungitur. Ponitur igitur duplex assertio: ac prior est huiusmodi.

**HUMANA** natura priori modo spectata, ad propriam personalitatem summam habet propensionem, ostenditur hoc pacto. Quæuis alia humana natura, vnica Christi natura excepta, habet ad propriam personalitatem propensionem: at humana natura Christi secundum se, ratione & natura, cum cæteris humanis naturis singulis conspirat: est igitur secundum se, ad propriam personalitatem propensa.

**PROPOSITIO** hinc perspicitur: quoniam quemadmodum quodque fit: ita ut fiat, est à natura comparatum, authore Aristot. 2. physiologiæ libro: at quæuis alia natura, vnica Christi natura excepta, propria hypostasi subsistit: Est igitur apta, nataque sic subsistere, ac proinde ad propriam hypostasim, ac personalitatem habet propensionem & habilitatem. &c.

**POSTERIOR** assertio est huiusmodi. Natura humana coniuncta Dei uerbo: nullam, qua huiusmodi, ad propriam personalitatem habet inclinationem: id quod hoc pacto ostenditur. Naturalis vis ac facultas, siue ad aliquid habilitas: cū perficitur excellenti re aliqua, quæ scilicet illud excellenter, eminenterque contineat: ad quod aliò qui natura est affecta: certè id ad quod à natura est comparata, minimè requirit, at humanæ naturæ ad personalitatem habilitas, & aptitudo, diuina est personalitate perfecta, quæ ipsa excellentior est, excellenterque continet, quicquid cernitur in personalitate creata: scilicet vim terminandi, & subsistendi: (Etenim sui infinitate efficitur, ut non multas solū: sed infinitas etiam naturas possit sustentando terminare.) Natura igitur hu-

mana

mana sic perfecta, propriam amplius personalitatem non requirit. Ac proposito ita ostenditur. Id quod aliô qui expletum: ac, vt ita loquar, satiatur, nihil amplius desiderat: ac potentia sic perfecta, expleta, ac satiata est: nihil igitur amplius requirit. Ac potentiam sic perfectam, esse satiata: & expletam hinc intelligitur: quoniam non minus efficit id quod absolutius & perfectius est, eo quod minus perfectum est, ac potentia, acquisita re minus perfecta, ad quam aliô qui natura habilis, ac propensa est, satiatur, absoluitur, & expletur, id igitur quod absolutius quiddam, perfectiusque est consecutum, perficiatur & expleatur, necesse est. Confirmat hanc vniuersam rationem vel illud maxime: quod si materia formam aliquam reciperet, quæ ipsa eminenter perfectionem omnis formæ generabilis contineret, nullam præterea formam requireret: cum igitur diuina persona, vniuersam creatæ personalitatis perfectionem, excellenter contineat, relinquatur vt assumptæ naturæ appetitum expleuerit, ac proinde omnem illi, ad propriam personalitatem propensionem, eripuerit.

**PORRO** aduersaria argumenta iam dilui facile possunt.

**PRIMUM** igitur argumentum ita diluitur. Omne carens re, sibi aliô qui debita, rem illam requirit, nisi sit aliquid, quod rei illius defectum expleat, & refarciat: cum igitur diuina personalitas, humanæ personalitatis defectum ita refarciat, vt naturæ humanæ eadem appetitum: & inclinationem cumulatissimè expleat, hinc efficitur, vt personalitatem propriam minimè requirat. Non enim illa natura solum caret propria personalitate, verum etiam est terminata personalitate diuina: secus autem res haberet, si solum careret propria personalitate, tum enim rem sibi debitam propensissimè requireret.

**SECUNDO** argumento ita occurritur. Natura humana cum diuino verbo copulata, partim à reliquis naturis secernitur, partim cum ipsis conuenit: secernitur quidem, quo ad sui terminationem, & personationem: Namque quæque alia humana natura personatur, ac subsistit propria personalitate, natura verò humana Christi, personatur ac subsistit aliena. Ceterum quo ad facultates: & habilitates naturales, natura Christi humana, cum cæteris consentit: idque si secundum se spectetur. & cæt.

**TERTIUM** argumenti facilis est explicatio. Etenim per se existere bifariam accipitur, vno modo, quæ secernitur ab eo quod est in esse, ceu in herere in alio, ceu in re subiecta: quod genus per se existendi conuenit substantiæ, qua huiusmodi: altero modo, vt idem valet, quod in nullo in esse, ceu in re inferiori: id quod solis conuenit singulis substantiis: quæ primæ ab Aristot. appellantur.

Accipitur

Accipitur autem illo argumento per se existere, variè, & ambiguè. Namq; in antecedente accipitur per se existere priori modo, in consequente vero, accipitur posteriori modo.

QUARTVM argumentum ita diluitur. Potentia omnino carens actu, & alio perfectiori actu minime perfecta, actum proprium requirit, longe tamen aliter res habet, cum excellentioris actus est particeps, quam sit is, ad quem alioquin natura propensa est. Cum igitur humana Christi natura, eam personalitatem sit consecuta: quæ propriæ personalitatis perfectionem excellentissimè contineat: hinc efficitur, vt propriam personalitatem minimè requirat, longe tamen aliter res haberet, si omnino termino careret. Ac de quæstione hac hæctenus, cætera ad assumptam naturam attinentia persequamur.

### Quæstio. IX.

*Vtrum assumpta natura sit ab omnibus rebus singulis abiuncta?*

RELIQVÆ sunt tres quæstiones, ad assumptam naturam attinentes, in quibus illa est prima, vtum assumpta natura sit ab omnibus rebus singulis abiuncta? Affirmationi hæc potissimum suffragantur. Namq; diuinum Verbum non assumpsit hominem: homo autem naturam humanam ita declarat, vt interim ipsam haberi significet: habetur autem à rebus singulis. Filius igitur Dei non assumpsit naturam, prout est in re singulari: seiunctam igitur à rebus singulis.

AD DE, quia id quod fini destinatur, fini respondeat necesse est (adhibentur enim media per relationem ad finem) cum igitur finis, assumptioni humane naturæ propositus, in cõmuni omnium hominum salute consistat: relinquitur, vt communis quoque sit assumpta natura: ac proinde à rebus singulis seiuncta.

NEGATIONEM porrò illud vel maxime confirmat: quoniam natura à rebus singulis abiuncta, re ipsa non existit, sed in nuda mentis comprehensione consistit: Quare si eiusmodi natura assumpta esset à verbo, re ipsa nulla esset assumptio, & Dei cum carne coniunctio: sed sola animi comprehensione constaret: id quod tamen falsum est. Etenim, Ioanne teste, verbum caro factum est, fieri autem hoc nõ potuit, nisi vera & reali ipsius cum hu-



mana carne coniunctione: igitur, &c.

**Q**UOD vero ad explicationem huiusce quæstionis attinet, illud initio notandum est: Esse illud quod conuenit naturæ, separatione à rebus singulis, duplex esse: aut enim constat mentis duntaxat operatione, naturam è rebus singulis abducentis, secernentisque: aut re ipsa ita habet, vt scilicet natura sit è rebus singulis seiuncta. Priori modo separationem attribuit Arist. naturis ipsis, posteriori Plato, iuxta Arist. interpretationem. Etenim Augustinus longe aliter accipit formas & idæas Platonicas. Vt trouis autem modo accipiatur naturæ separatio: certè nullo modo potuit assumptæ à verbo naturæ conuenire, non priori modo, partim quia nulla actio, quæ transiens appellari consuevit, in id explicatur, quod comprehensum duntaxat animo tenetur, sed ad id quod extra est, non enim scinditur lignum animo conceptum: sed lignum quod est extra: actio tamen quæ immanens dici consuevit, id potest attingere, quod aliò qui comprehensum animo tenetur, possum enim diligere quempiam animo obiectum: Iam autem assumptio in iis actionibus est, quæ transeunt nominantur, terminatur enim ad humanitatem, quæ assumitur, non igitur terminari ad humanam naturam potuit, sola intelligentia cõprehensam. Partim quia nã humana hoc pacto, non esset verè à verbo assumpta, sed intelligeret assumpta: nãq; actio intellectus nihil extra ponit, nõ enim proinde hostis est interfectus, quia ipsum interfectum ante oculos mentis statuo, neq; proinde Socrates disputat: quia ipsum mihi differentem propono: Quare non proinde esset humana natura assumpta: quia assumpta intelligeretur. Quo circa illa naturæ assumptæ intelligentia falsa omnino esset, nempe cui res extra nulla subiecta esset, essetque proinde hæc Dei cum carne coniunctio, mentis quiddam figmentum.

**P**ORRO vt posteriori modo seiuncta esset assumpta natura, fieri nullo modo potuit, partim quia natura non caderet sub sensum. Namque natura per se subsistens, ab omni que hypostasi seiuncta, sola mente percipitur, sensu non item. Iam verò Christus hoc consilio sibi humanam naturam coniunxit, vt ipsius interuentu, hominibus se se spectandum, ac conspiciendum præberet, id quod vates olim futurum prædixerat. Post hæc, inquit, in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. Partim quia repugnat, illam naturam Deo hypostatice coniungi: namq; natura communis ab omni est hypostasi seiuncta: aliò qui si esset personata, non diceretur separata, ac per se constans natura. **N**OTANDVM est hoc loco naturam illam subsistentem (si illa extaret) non proinde dici communem: quia essendo communis est, sic enim non subsisteret,

sisteret, id enim quod subsistit indiuiduum est: & singulare: sed dici communem exemplari participatione: Etenim Deus idæ seu exemplaria intuens, res omnes fabricatus est: sunt igitur idæ essendo indiuiduæ: & singulares, exemplari verò participatione communes. Res enim singulæ quæque specie comprehendunt, speciem illam ac formam imitantur: exprimuntque. Cum igitur separatio, assumptæ à verbo naturæ, nullo modo conueniat, sequitur non assumpsisse diuinum verbum humanam naturam à rebus singulis abiunctam. **QVÆ** verò contra, atque asseruimus, persuadent, facile diluuntur. Etenim diuinum verbum non assumpsit hominem concretiuè. Non enim hypostasis hominis præintelligitur assumptioni, sed assumpsit hominem terminatiuè. Namque assumptio eò terminata est, vt Deus fieret homo. Vel certe assumpsit hominem concretionem indiuidui, non concretionem suppositi, **POSTERIORIS** verò argumētī hæc est explicatio. Actio dicitur communis bifariam: vel ex principio actionis: vel ex termino, siue effectu. Ac illa actio dicitur communis ex principio, quæ consequens est naturæ subiecti qua huiusmodi, ac proinde conuenit omnibus, in quibus inest illa natura. Illa verò actio dicitur communis ex termino: quæ ad omnia, vel certè ad quam plurima, quæ cadere sub illam actionem possunt, pertinet. Actio igitur liberatoris Christi, posteriori modo communis & vniuersalis fuit, non prior: aliò qui omnibus hominibus conueniret salutis hominum effectio: Ceterum Christi liberatio ad omnes homines, eos scilicet qui liberandi erant, pertinuit, huiusmodi verò actio personæ est, non naturæ. & cæter.

### Quæstio. X.

*Verum humana natura fuerit in omnibus suis indiuiduis assumpta?*

**S**ECUNDO loco venire illud in quæstionem consuevit, vtum humana natura ea, quam diuinum verbum assumpsit, fuerit in omnibus indiuiduis assumpta? Huius porro quæstionis negatio vera est, affirmatio verò falsa. Ac negatio ita ostenditur. Natura humana ob id à verbo assumpta est, vt ipsius interuentu, salus hominum generi afferretur, iam verò si in omni naturæ humanæ indiuiduo natura fuisset assumpta, nullus homo esset cui salus afferretur, etenim natura in omni indiuiduo esset ad diuinam hypostasim assumpta: nõ est igitur in omnibus rebus singulis humana natura assumpta.

**ADDE**

ADDE, quia quoduis humanæ naturæ indiuiduum esset Christus: nempe quod esset diuinæ hypostasi adiunctum. Item cum natura assumptibilis ad vnitatem diuini suppositi assumatur, si natura humana in omni indiuiduo fuisset adsumpta, esset duntaxat vnica hypostasis: siue vnicum suppositum humanæ naturæ, nempe suppositum adsumens: id quod cum humana natura minime congruit, cuius est hæc natura, vt tribuatur in multas hypostases. Prætereà qui fieri potuit vt Christus esset in multis fratribus primo genitus? quod ipsum tamè ad dignitatem & excellentiam Christi pertinet. Est igitur humana natura assumpta in vnico duntaxat indiuiduo.

OBIICIES hoc loco, natura humana, sui ad diuinam personam assumptione, est ad sùmmum dignitatis & excellentiæ gradum prouecta, at ad hùc dignitatis gradum prouehi non potuit, nisi in omni indiuiduo foret assumpta: ita enim fieret vt vniuersa natura cum diuina hypostasi coniungeretur, in qua coniunctione, vniuersa eius dignitas & prouectio posita est, fuit igitur humana natura in omni suo indiuiduo assumpta.

ADDE, quia Deus suam erga homines charitatem multo illustrius declarasset, si omnes ad filiationem naturalem prouexisset, quam si eos adoptionis iure in filios ascisceret: at prius illud effecisset, si naturam humanam in omni indiuiduo assumpsisset: igitur, &c.

PRIORIS argumenti hæc est explicatio. Dicimus vniuersam humanam naturam fuisse à Dei filio assumptam, non quidem in indiuiduo: sed in specie: namque natura humana assumpta, specie ac forma cum singulis naturis humanis consentit. Quo efficitur, vt vniuersa natura humana sùmmum fuerit dignitatis gradum consecuta, secundum speciem, non autem secundum indiuiduum.

POSTERIVS ita explicatur. Diuini Verbi cum humana natura coniunctio, non solum hoc nomine effecta est, vt hominibus diuina filiatio tribueretur, verum etiam vt eisdem perditis ac grauissimè laborantibus salus afferretur, quæ eandem salutem diuinū illud Verbum hominibus, acerbissimorū suppliciorū perpeffione, peperit. Quocirca Dei erga homines charitas non solum ob id declarata est, quia ipsos in filios asciiuit: verum etiam (idq; multo illustrius) quia ipsorum causa varios & acerbissimos cruciatus pertulit, quemadmodū D. Paul. disertissimè annotauit, inquit, Cōmendat autē Deus Rhom. 9 charitatem suam in nobis: quia cum inimici, &c. Iam vero hoc posterius declarandæ charitatis genus, omnino sublatum esset si in omni indiuiduo fuisset humana natura assumpta.

## Quæstio XII.

*Vtrum decuerit vt homo ille ex Adamo, originem duceret?*

**E**XTREMA est illa quæstio ad assumptam naturam pertinens, an ne decuerit, vt homo ille ex Adamo duceret originem? hoc est, vtum decuerit, vt assumpta natura Adami satum esset edita? Certè minime decuisse, apertè declarat D. Paulus inquit, talem decuisse nobis præfici pôtificè, qui esset innocens, & ab omni prorsus peccati labe vacuus ac liber, & omnino à sceleratis hominibus alienus: at non fuisset ab omni prorsus labe peccati liber, si ex Adamo, homine alioqui deprauato, & sceleris labe infecto, originè duceret, non decuit igitur vt naturâ sumeret ipsius satum propagatam.

**De Tri.** **D**IVVS pater Aug. hanc quæstionem sic explicat, vt dicat: potuisse quidè Deum naturam humanam assumere, non quidem ex Adamo profectâ: sed ex nihilo procreatam: fuisse tamen cum diuina bonitate ac sapientia congruentius, vt ex illo hominũ genere, quod diabolus infecterat, quodq; affligerat, ac postrauerat, profectâ naturam adsumeret, vt ipsius interuētum, victorè diabolum vinceret ac prosterneret: id quod homini incredibili erat ornamento & dignitati futurum: dum, s. ex victo illo, afflicto, ac profligato hominum genere aliquis existeret, qui demonem parta victoria exultantem, vinceret, sterneret, ac profligaret. Hac etiã ratione Deus Opt. Max. vim diuinam maxime declarauit: cum scilicet & infirmam, abiectâque naturam ad cel sissimũ dignitatis gradum extulit: & origine, ortuq; deprauatam, & infectam, tanta innocentie integritate donauit, clementie præterea ac bonitatis incredibilis significationem diuinum illud Verbum dedit, cum illius naturam minime spernendam & abiiciendam putauerit, qui à religione & officio per incontinentiam discessit, & in offensionem diuinæ maiestatis incurrit: sed summeam honore ac beneficio potius affecerit, vt quam non solum reatu flagitii liberauerit, sed sibi etiã hypostaticè coniunxerit.

**PORRO** D. Pauli authoritas huic assertioni minime aduersatur. Erat enim longe decentissimũ, vt pontifex nobis præpositus, esset à consceleratis ac perditis hominibus seiunctus, societate ac cõmunionem scelerum, quæ ipsa venerat deleturus (decebat enim vt qui purgaturus ceteros aduenerat, ipse in nulla re foret purgandus) non tamen societate ac cõmunionem naturæ, quam liberatus: & in veterem gradum restitutus aduenerat.

**AC** de natura assumpta hæctenus. Reliqua est de partibus assumptæ naturæ  
dispu-

disputatio. Assumpsit enim diuinū Verbū naturam humanā ex omnibus suis partibus constantē: tam iis quę ad essentiā: quā iis quę ad integritatē pertinet. Ac partes ad essentiā humanę naturę attinētes sunt anima: & corpus: quas eadē diuinum Verbum assumpsit.

## DE PARTIBVS NATURÆ ASSVMPTÆ.

## Quæstio. XIII.

*Anne diuinum Verbum naturam assumpserit ex omnibus suis partibus constantem?*

**P**ARTES humanę naturę sunt varię. Alię enim rei essentiā siue naturā complēt, vt anima: & corpus: alię totū ipsum cōficiūt, vt nerui, ossa, sanguis, quęq; ex ipsis componūtur, vt manus & caput. Alię ad naturę facultates pertinet, quę vulgo partes potētiales dici cōsueuerūt, ceu intellectus, voluntas, sensus. Porrò diuinū Verbum naturam humanā adsumpsit ex omnibus suis partibus constantē. Ponūtur igitur nōnullę assertiones. Diuinū Verbum assumpsit verā hominis carnem. Id vero in hūc modū ostenditur. Diuinum Verbum assumpsit verā hominis naturā: at vera hominis natura cōstat ex vera carne: ac vero corpore: assumpsit igitur verū corpus. Assumptio perspicua est, reliquum est, vt propositioni fidem faciamus.

Prima  
assertio.

**ARGVMENTVM** porrò ad faciendā fidem sumi potest vel ex personā adsumēte: vel ex fine assumptionis. Nā quod ad personā adsumentem attinet, ipsa est veritas. Ego, inquit, sum via, veritas, & vita. at ab aēctione veritatis remoueat, oportet omnis fictio, fuit igitur ab ipsa veritate assumpta vera, non autē ficta, & ad deludēdos hominū aspectus accōmodata natura. Ex fine vero assumptionis ita ducitur argumentum. Assumptio naturę humanę hominum salutiafferendę destinata est: At non fuisset hominum generi vera salus allata, nisi vera assumpta fuisset natura. Nāq; ea quę referuntur ad finem, cum fine proposito congruant oportet, non enim ascia adhibetur ad scindēdos, vel expoliēdos lapides: igitur ad veram salutem pariēdam non fuit adhibenda ficta, & ad speciem duntaxat accōmodata natura.

Ioan;

**PRÆTEREA** Isaias de verbo carni coniūcto agēs ita ait, verē dolores nros ipse tulit: & lagores nros ipse portauit: at dolorē, cruciatū, & omnino langorē vere nō pertulisset, nisi vere esset homo, qui doloris ac langoris est particeps: verē igitur diuinum Verbum extitit homo, ac proinde vero se corpore, ve-

raque carne vestiuit.

**NEQVE** est quod nobis omnium stultissimus Manichæus, Pauli illam, in  
 Philip. epistola ad Philippenses positam, sententiã obiciat. Exinaniuit semet ipsum  
 formam serui accipiens: in similitudinem hominũ factus: et habitu inuētus  
 vt homo. Nãq; similitudo illa humana, nequaquam ad inanem dũtaxat, &  
 adumbratam effigiem homininis, sed ad speciem: siue naturæ consensionem  
 referenda est. Sgnificat enim D. Paulus Christum fuisse hominem, specie ac  
 natura cum cæteris hominibus consentientem. Etenim omnes homines si-  
 miles specie dicuntur. Ac Christum verè, & non specie tenus hominem ex-  
 titisse, satis declarauit idem D. Paul. cum Christi humilitatẽ ob id vel maxi-  
 mè cõmendandam esse duxit: quia eò sese abiicit, vt mortem nostra causa,  
 Philip. eamq; acerbissimam, & contumeliæ plenissimã perferret: id quod laudi mi-  
 nimè ducendum foret, si verè mortẽ non pertulisset: perferre autè verè mor-  
 tem non potuit, nisi verè homo extitisset: fuit igitur Christus, de sententia D.  
 Pauli homo quamuerissimè. & cæt.

**SECUNDA** assertio. Corpus illud Christi vt verũ fuerit, non tamẽ ex cœ-  
 lesti, sed ex elemētari materia constitit: fuitq; ex carne & sanguine, neruis, &  
 ossibus compactũ. Superiora argumenta valēt ad faciendã huic assertioni fidẽ.  
 Nã si Christus verã humanã naturã assũpsit: sequitur vt elemētare corp⁹ assũ-  
 pserit. Nã quæq; formã propriã materiã requirit. Quare cũ anima humana  
 sit forma physica, cõsentaneã sibi materiã postulat, ea autè cõstat ex carne &  
 ossibus, quæ ad physicã materiã pertinent: anima igitur Christi fuit corpori  
 ex carne illi quidem, sanguine, ossibus, & neruis cõstati coniũcta.

**ITEM** cum corpus cœleste sit impatibile, neq; possit vi aliqua interire, si  
 Christi corpus fuisset cœleste, certe nunquã vim externã perpeti potuisset: ac  
 proinde non vere dolorem, aut interitũ pertulisset.

**ADDE**, quia Christus aspectus hominũ delusisset, corpus carneũ contuen-  
 dum præbens: quod ipsum tamen esset cœleste: At omnis fictio ac delusio ve-  
 ritatem dedecet, Christus autem veritas: igitur, & c.

**CONTRA** obiicit impius Valētinus illud Pauli. Primus homo de terra  
 terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis: corpus igitur Adami fuit terrenũ:  
 at corpus Christi fuit cœleste. Dicimus hominem Christum appellari cœ-  
 lestem, quia viri satũ minimè sit editus: sed ab spiritu sancto, ex sanctissimo  
 virginis sanguine, formatus, idq; eò tempore, quo à natura comparatum est,  
 vt homo ex foemina, viri satũ generetur: id quod ob id adiungimus, vt aduer-  
 sario occurramus, obicienti nobis Adamum non ex concubitu maris cum

foemina

foemina, sed ab ipso Deo ex luto procreatum. Nam cum Adamus omnium hominum esset primus, non potuit virili fatu gigni. Ex quo iam intelligitur, non esse tribuendum miraculo, quod Adamus ab ipso Deo, citra vim virili, feminis generatus sit, nondum enim lex illa naturæ, quæ virilem fatum ad procreationem hominis adhibet, erat instituta: At quod Christus citra virilem operam fuerit & conceptus & generatus: id in miraculo ponendum est: nempe cum id fuerit ab spiritu sancto, supra naturæ legem effectum.

VEL certe homo ille dicitur cœlestis, quia non humana aliqua sed diuina erat personæ eadē nō sic è cœlo ad nos deuenit, vt aut cœlū, aut Patrē deseruerit: sed quod hominib⁹ visa sit ipsius cū carne cōiunctione: cum tñ prius sub aspectū humanū minimè caderet, tametsi hominib⁹ esset præsentissima.

OBIICI præterea & illud potest, quoniam id quod est excellentissimū ac præstantissimum semper est Christo domino tribuendum: Iam verò cœleste corpus longe præstat elementari, decuit igitur Christum cœleste corpus potius, quam elementare. Damus cœleste corpus esse præstantius corpore elementari, non tamen proinde concedimus illud adsumendum fuisse. Nam prudētis est, omnia ad finem sibi propositum referre: ac media deligere, fini quæ sibi proposuit, consentanea, iam verò cum foret Christo propositum, hominem, laborum, dolorum, cruciatuum, atque adeò interitus sui perpersione liberare: ipsiusque scelera expiare, elegit corpus patibile: omnemque vim externā suā apte natura admittens, cuiusmodi est corpus elementare non cœleste. Hoc ipsum etiam ad commendationem diuinæ virtutis pertinet, quod terrenū corpus, natura infimum, summis ornamentis affecerit, eoque dignitatis: & excellentiæ prouexerit, vt cœleste corpus longissimè superaret.

TER TIA assertio. Diuinum verbum animā hominis adsumpsit, omnib⁹ suis facultatibus præditam. Ac priorem quidem huiusce assertionis partem, ipsius Christi Domini authoritas confirmat: qui multis locis animam suā in Euangelio commemorat, nemo, inquit, tollit animam meam à me, sed ego pono illam. Item. Ego pono animam meam pro ouibus meis. Item tristis est anima mea vsq; ad mortē. Et alibi. Nunc autem anima mea conturbata est. Cæterum hæretici inquirunt, animam his locis capi: pro vita, quam diuinum verbum corpori adsumpto largiebatur. Ac proinde illa priora testimonia ita interpretantur. Nemo tollit vitā meam à me. i. nemo inuito eripit vitam: sed ego libèter vitā depono. Desiit autē vita illa Christi, cū corpus desiit à Verbo viuificari. Cum verò inquit, esse animam suam mœrore affectā: id trāslatè accipiendū putant, quæ admodū & illud, iustus meus ex fide viuit, si subtraxerit

Ioan. 10  
Ioan. 10  
Matth 26  
Ioan. 12

Abach 2

se non placebit animæ meæ. Item & illud. *Kalédas* vestras odiuit anima mea.

Isai. 53.

**A C** diuinum verbum non assumpsisse animam Apollinaristæ, & ratione: & testimonio scripturæ confirmant. Ratione quidem hoc pacto. Anima idcirco corpori apponitur & adiungitur vt corpori vitam largiatur, at diuinum verbum hoc ipsum præstare potuit illi corpori adsumpto: frustra igitur præfente verbo, vitæ fonte, anima fuisset adsumpta. Suffragatur huic assertioni Ioannis testimonium, asserentis verbum esse carnem factum, nulla interim animæ facta mentione.

Ioan. 1.

**HÆC** hæreticorum argumenta facile diluuntur. Principio cum aiunt, animam superioribus illis locis Euangelicis capi translate, Euangelicæ narrationis cum simplicitati, tum veritati, detrahunt. Aliud est enim inquit hæreticorum acerrimus oppugnator Augustinus: quod propheticè nunciatur in figuris, aliud quod secundum rerum proprietatem, ab Euangelistis historicè scribitur.

**I A M** vero diuinum Verbum, vitam illud quidem animantibus largitur, ceu vitæ causa efficiens & externa: ac prima & vniuersalis: oportuit autem adiungi causam proximam & formalem, ea vero est anima, quæ corpus informando viuificat. Porro Ioannis testimonium hæretico non fauet, imo vero ipsius errorem refellit. Nā caro speciem ex forma rationali, & anima humana consequitur: non enim sublata anima est humana caro: at Ioanes restatur diuinum Verbum humanam carnem assumpsisse, assumpsit igitur & animam, quæ ipsa carni esse humanum largitur.

**A D D E**, quia Christus humanam naturam assumpsit, alioqui nō diceretur homo: nam homo est aliquid humanæ naturæ particeps, at natura humana nō ex carne modo, verum etiam ex anima constat, assumpsit igitur diuinum illud verbum non solum carnem: verum etiam & animum. Præterea quod non est assumptum, non est curatum, si igitur anima non fuisset assumpta, curata minus fuisset: At curatione maxime indiguit, vt pote in qua sola peccati labes hereret, fuit igitur maxime adsumpta.

**A D I V N G E** his quia sola carne sumpta diuinum Verbum neq; esset homo, neq; itidē caro hominis: vt satis ex his quæ supra diximus, intelligitur, omnino igitur asserendum est diuinum Verbum carnem animatam & informatam animam rationali supposuisse. Quod vero ad posteriorē assertionis partem attinet, satis constat Christum dñm sumpta anima, adsumpsisse quoq; omnes animi facultates, quæ naturali necessitate ex anima profluunt. Nā quæ sumpsit animam, sumpsit omnes facultates sentiēti animi parti inserviētes: quæ vero sumpsit animam rationis competentem, adsumpsit quoq; vim intelligēdi & rationē, alioqui non rationale



rationalem animam, sed belluinā sumpisset. Neq; verbū illud, hominem, vt inquit Augustinus, sed belluam suscepisset, eaque sibi cōiunxisset. Nā animal rationis & intelligentiæ expers, est bellua. Ac de partium assumptione ha-

Et enus, &c. **Quæstio. XIII.**

*Vtrum Christi sanguini fuerit diuinitas hypostatice unita?*

**EXISTIT** tamē hoc loco quæstio haud vulgaris, vtrum Christi sanguini fuerit diuinitas hypostatice coniuncta? Certe negatio huius argumentis nonnullis probata est. Hac hypostatica coniunctione efficitur cōmunicatio idiomatum, at huiusmodi cōmunicatio non cadit in hanc coniunctionem: Nam sanguis dicitur fusus, Christus tamen non dicitur fusus, itē sanguis hæc sit cruci triduo illo, quo Christus sepultus iacuit: & tamen Christus triduo non perstitit cruci affixus, non igitur, &c.

**ITEM** sanguis non pertinet ad integritatē humanę naturę ceu pars ipsius, non igitur eidem est diuinitas coniuncta. Antecedens illud Thomæ autoritas confirmat. i. p. q. vlt. ar. 1. ad. 3. Ratione vero ita ostenditur. Membrum ac pars humanę naturę subest valetudini, aut inualetudini, at sanguini neutrum conuenit. Adde quia sanguis est pars potentia, non actu, est enim præterea in membrum cōmutabilis, id quod ossi, carni, ac neruo minimè conuenit, ac proinde hæc in partibus actu numerantur, sanguis vero in partibus potētia, nō est igitur sanguini cōiuncta diuinitas.

**ILLA** præterea argumentatio, minus est ad rem propositam efficiendam accommodata. Sanguis est assumptus, fuit igitur diuinitati coniunctus, non enim quidquid verbum assumpsit Deo coniunctum fuisse necesse est, nam capillos assumpsit, quibus tamen diuinitas non fuit coniuncta. &c.

**ILLVD** præterea, (si res ita haberet,) eueniret, vt diuinitas pedibus conculcetur, nam sanguis Christi effusus, pedibus hominū est conculcatus. &c.

**HÆC** argumenta diluunt aduersariæ partis fautores, nam quod ad primum illud argumentum attinet, aiunt communicationem idiomatum fieri bifariam, recto videlicet casu, & obliquo: priori modo fit in his quæ dicuntur de subsistente, ceu esse hominem, esse æternum: mortalem & temporarium: Est enim filius Dei homo: & contra: est tēporarius & æternus. Posteriori modo in iis dicitur, quæ partibus, quæ partes sunt, conueniunt: neque toti appellationem largiuntur, in quibus est effusio: conuenit enim sanguini quæ pars est: Quo efficitur vt Christus siue Dei filius non dicatur effusus:

Th. 3. d.  
22. & 3.  
p. q. 16.  
art. 4. ad  
vlt.

Psal. 21.

sed habens sanguinem effusum: quemadmodum neque dicitur forma humana, sed habens formam humanam. An non ne Christus in psalmis dicitur effusus? Dicimus Christum dici effusum metaphoricè, quemadmodum enim aqua effusa, aut sordes eluit, aut id quod aridum è irrigat, ita etiam sanguinis Christi effusione sordes animorum deterse sunt, ariditas verò irrigata est. Ad hæc, sanguis hæsit cruci, sanguis pedibus hominum conculcabatur, non tamen Christus hæsit cruci, siquidem Christus significat suppositum in duabus naturis humana scilicet & diuina subsistens. &c.

**QVOD** verò ad secundum argumentum attinet, negatur antecedens. Neque tamen nobis Thomæ autoritas aduersatur: siquidem eo in loco de sanguine nutrimentali differit: hic siquidem sanguis ad integritatem humanæ naturæ non pertinet, id quod paulo post vberius ostendemus. Porro sanguinem ad veritatem humanæ naturæ attinere testatur idem Thomas. 3. part. quæstio. 54. artic. 2.

**QVOD** verò ad rationem attinet, negatur antecedens. Nam medici membris attribuunt febrem ethicam, sanguini verò febrem synocham. Adde quia sanguis est subiectum sanitatis remotius.

**ID** verò quod tertio loco obiicitur facilè diluitur. Nam partium corporis humani duo sunt genera, quædam enim sunt partes præcipuæ, quædam verò non præcipuæ: partes præcipuæ sunt illæ, quæ forma sunt stabilita: neque possunt in alias partes commutari: vt ossa, nerui: & caro, cor, iocinor. &c. partes verò non præcipuæ sunt illæ, quæ non sunt perpetua ac constanti forma, sed possunt in partes specie dissidentes commutari, vt sanguis, medulla, nam sanguis commutatur in carnem: & medulla in os. Est igitur sanguis pars actu, non quidem vt pars principalis, in partem aliam non commutabilis: sed est pars actu non præcipua: cuius materia non subest constanter illi qualitati, siue formæ cuius est particeps: sed recipere subinde aliam formam potest: formam videlicet membri.

**QVARTVM** argumentum ita explicatur. Omne assumptum, ad integritatem humanæ naturæ pertinens, est coniunctum diuinitati: iam verò capilli, vngues, & id genus cetera, ad integritatem humanæ naturæ non pertinent, sed decori sunt potius & ornamento.

**PORRO** Christi sanguini fuisse diuinitatem hypostaticè coniunctam, hisce argumentis affirmationem defendentes ostendunt. Diuinitas coniuncta est corpori, & animo: Etenim Christus ad diuinam personam assumpsit humanam naturam, quæ eadè constat ex corpore & animo: at sanguis ad integritatem

tegritatem corporis attinet: nam quo pacto quatuor elementa sunt affecta ad vniuersum: eodem prorsus modo quatuor humores sunt affecti ad corpus humanum: at quatuor elementa ad vniuersi integritatem pertinent, igitur & quatuor humores ad integritatem humani corporis attinent.

**CONTRA** obiiciunt aduersarij: alimentum corporis humani, non est pars corporis humani: at sanguis est alimentum corporis humani, non est igitur pars. Propositio hinc intelligitur, quoniam alimentum cum est dissimile, neque est in membrum conuersum, est pars corporis humani potentia non actu. Assumptio ostenditur. Nam sanguis est alimentum decoctum, nondum in membrum conuersum, conuertendū tamen. Confirmat hoc ipsum & D. Thomę authoritas. Nam 3. quęst. 31. artic. 5. ad 1. asserit sanguinem nō esse actu partem, sed potentia duntaxat. Cum enim dicitur verbum illud diuinum carnem ex virgine sumpsisse, id non sic est accipiendum, quod materia ex qua formatum est corpus Christi fuerit actu caro: sed sanguis, qui potestate est caro. Est igitur sanguis nondum actu pars animalis, sed potentia membrum. Quo circa negandam putant assumptionem. Humores autem sunt elementis similes, non sub ratione partium, sed responso: & proportionem. Etenim quatuor humores in homine respondent quatuor elementis in vniuerso.

**HISCE** tamen aduersaria est Aristot. authoritas .2. de partibus animalium. cap. 1. quo loco Aristot. sanguinē & humores numerat in partibus similari-  
bus animalis. Quo circa aduersariorum reprehensio ita refellitur, vt dicatur, sanguinem esse in partibus non præcipuis, quę ipse sunt in alias partes commutabiles. Hęc porro partes quatenus sunt actu propriis formis perfectę, dicuntur partes corporis humani: Aristotelesque censuit ex ipsis corpus animalis cōstare: qua verò sunt potestate cetera mēbra, dicuntur partes potētia, & nutrimentum. Sanguis igitur est nutrimentum corporis: sed non solum: nam præterea secundum se est corporis pars.

**ILLVD** tamen est hoc loco diligentissimè notandum: sanguinem capi trifariam: primo modo secundum totalitatem: quomodo sanguis forma est perpetua, constanti, & stabilita: neque omnino potest absumi, aut gigni nisi animal gignatur: aut intereat. Etenim Aristot. teste tertio de animalibus, sine sanguine viuere animal non potest. Quo circa in Deuteronomio illud est, à Domino dictum: Anima eius in sanguinē est. Secundo modo sanguis dicitur illa materia generata ex cibo, quę nondum omnino peruenit ad formam sanguinis: hic vero sanguis dicitur sanguis nutrimentalis: siue humidum nu-

Arist. 2.  
de part.  
animal.  
ca. 1.

Deut. 12

trimentale. Tertio modo sanguis accipitur prout est in motu recedendi à forma sanguinis: & tendendi in formam membri. Hic porrò sanguis, initio ros dicitur: cum scilicet incipit albore infici, ad extremum verò cum membro agglutinatur: & adiungitur, dicitur gluten. Huic verò agglutinationi ad similitudinem succedit. Porrò sanguis vi natiui caloris absumptus (etenim vis caloris innati in ipsum etiam vniuersum sanguinem immittitur) humido nutrimentali resarcitur: membra verò ipsa sanguine in rorem commutato reficiuntur, restituunturque.

**SECUNDO** loco illud notandum est, sanguinem vniuersum ad humidum radicale attinere, vt qui ad extremum generationis peruenerit, formaque sit stabilita. Etenim iuxta D. Thomæ sententiam, humidum radicale illud dicitur, quod ad extremum generationis peruenerit, estque speciem perfectam consecutum: siue eò peruentum sit vi generatrice: siue alrice. Caterum idem sanguis quo ad partes, pertinet ad humidum nutrimentale, est enim in membra commutabilis.

**HINC** illud conficitur, animali, interim dum viuit, esse necessariū triplicem sanguinē. scilicet sanguinē stabilitæ formæ quo animalis vita: & status continetur: & nutrimentalem, quo id quod decessit ac deperit, siue defluxit, resarcitur ac restituitur. Rorem præterea cuius adiunctione membra animalis præcipua reficiuntur: & augmentur.

**EX** quo iam efficitur, vt cum corpora hominum immortalitate fuerint donata: secundi & tertij generis sanguis minimè requiratur, sed primi, non enim vllus est iam relictus locus alrici.

**CHRISTVS** igitur Dominus quandiu vitam egit mortalem, triplici illo sanguinē indiguit, vitæ verò restitutus, & immortalis effectus non item.

**SECUNDO** ita argumentantur. Detergere fordes animi: siue emundare à peccato conuenit sanguini Christi: iuxta illud. 1. Ioannis 1. Sanguis Christi filij eius emundabit nos ab omni peccato. Item Hebræ. 9. Si enim sanguis hircorum, & taurorum inquinatos sanctificat ad emundationem: quâto magis sanguis Christi emundabit conscientias nostras ab operibus mortuis. &c. At hoc præstare non potuit sanguis Christi, nisi esset diuinitati coniunctus: igitur. &c.

**ITEM**, Est apud D. Petrum, per simile huic testimonium, non corruptibilibus, inquit, auro & argento redempti estis: sed sanguine incontaminati & immaculati agni. &c. Quibus verbis declarat D. Petrus sanguinem Christi esse auro & argento preciosiorem: ac proinde sufficiens & adequatum pretium nostræ

nostræ redemptionis: non potuit autem esse sufficiens pretium nisi esset infiniti valoris: hunc autem valorem consequi non potuit, nisi sui cum diuinitate coniunctione: fuit igitur de sententia D.P. Christi sanguis Deificatus. Illa præterea particula, quasi, magnopere annotanda est. Nam Petrus ad veterem figuram videtur sententiam referre. Nam quemadmodum sanguis agni fusus: & postibus linitus, populum Hebræum ab exterminatore Angelo liberauit: ita sanguis Christi fusus & animis, Baptismatis interuentu, aspersus, nos demonis imperio ac dominatu liberat.

Exod. 7.

**CÆTERVM** aduersarij vtrique argumēto facillè occurrunt. Nam quod ad testimonium D. Pauli attinet: Christus genus hominum liberauit: quatenus vitam, nostra causa, profudit: quoniã verò vita hominis sanguine constat: proinde hæc liberatio Christi sanguini attribuitur. Meritū porro Christi in eo est positum, quia mortē, nostra causa, summa voluntate subiit: ac proinde sanguis Christi fusus ex hac Christi voluntate, & obedientia: vim est consecutus scelerum expiandorum.

**HIS** tamen contra obiiciunt aduersarij Thomæ authoritatem: qui asserit Christi Domini passionem atque adeò mortem esse salutis hominum causam, non solum meritoriam, verum etiam effectricem. &cæt.

Th. 2. q. 48. ar. 6.

**QVOD** verò ad Petri testimonium attinet, aiunt illam argumētationem esse vitiosam. Sanguis Christi est preciosus, est igitur diuinitati coniunctus: est enim captio, quæ dici consuevit cōsequentis. Non enim vt hoc ex illo, ita cōtra illud ex hoc conficitur, ita esse diuinitati coniunctum, infert esse preciosum, non tamen contrà, igitur. &cæt.

**AT** contra etiã consequi aduersarij affirmant. Nam sanguis Christi est pretium redemptionis: iam verò esse pretium redemptionis non potuit nisi esset diuinitati coniunctus. Esse porro Christi sanguinem redemptionis pretium testatur D. Paulus Ephes. 1. inquit: In quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius, qui idem, iuxta vulgarem illius loci interpretationem, nostræ redemptionis est præmium.

Ephes. 1.

**PRÆTEREA** ita argumentantur. Sapientis instituto non representatur res inutilis: at Christi domini instituto, sanguis ille effusus sacris conficiendis quotidie representatur, non est igitur inutilis. Item illud hinc consequitur nō fuisse Christi Domini nostri sanguinem cultu, & honore Patriæ prosequendum: vt qui diuinitati non esset coniunctus.

**ADDE**, quia si triduo illo esset sacramentum corporis Christi confectum, non esset illud sacramentum excellens interuētū eius quod sacramento cōtineretur

tineretur

tineretur, neque itidem vitam animo largiretur. Hæc verò omnia quanta sunt incommoda?

**ADVERSARI** I vt concedant sanguini Christi incluso in corpore esse coniunctam diuinitatem: negant tamen eidem è corpore seiuncto, & effuso fuisse coniunctam. Namque vnionis & coniunctionis illa gratia sanguini Christi tributa est, quandiu animali ipsius vitæ inseruiuit, huic porro vitæ inseruiuit in corpore dumtaxat inclusus, seiunctus non item, ac proinde simul atque effusus est, à diuinitate viuifica desertus est. Illa porro quæ hinc, aduersariæ sententiæ fautores, cōfecta esse voluerūt: in absurdis minimè habēda esse ducūt.

### RESOLVTIO QVÆSTIONIS.

**CÆTERVM** vniuersa hæc de Christi sanguine controuersia, duabus assertionibus explicatur, quarum hæc est prior.

**CHRISTI** sanguini ad consistentiam & integritatem humani corporis attinenti, siue incluso in corpore: siue è corpore abiuncto ac distracto, fuit diuinitas hypostaticè coniuncta.

Thom.  
3. sct. d. 2.  
q. 2.

**HÆC** assertio D. Tho. testimonio cōfirmatur. Nāq; 3. d. 2. q. 2. quæstiuicula. 3. ad 3. ita ait. In omnib; q̄ sunt de veritate humanæ naturæ etiā separatis, manet ordo ad totā naturā & iō manet in eis asūptibilitas: & cōsequēter vnio: & ideo ipsis latrā debetur. Idē quod lib. v. ar. v. ita ait, Humanitas Chri salutiferā virtutem habuit ex virtute verbi sibi vniti, vt Damas. dicit in 3. vnde manifestum est quod sanguis in passione effusus, qui maximè fuit salubris, fuit diuinitati coniunctus: Et ideo oportuit quod in resurrectione iungeretur aliis humanitatis partibus.

**HOC** ipsum vel hæc maximè ratione ostendi potest. Nam cum diuinum illud verbum humanam naturam adsumpserit, ac sibi hypostaticè coniunxerit, sequitur vt illud omne sibi cōiunxerit, quod ad veritatem, & integritatem humanæ naturæ pertinet: At sanguis ad integritatem humanæ naturæ pertinet, quemadmodum ostendimus, hunc igitur nunquam deposuit.

Damas.  
3. c. 31.

Huic eidem assertioni suffragatur cum D. Ioannis Damasceni, tum sanctissimi Leonis Papæ authoritas. At Damascenus ita inquit. Nullam partium humanæ naturæ deposuit, non corpus, non animam: sed corpus & animam possedit: & ita rediit in cœlum, at sanguis ad animalis consistentiam pertinēs est in partibus humanæ naturæ: non igitur sanguinem deposuit. & cæt.

Leo. ser.  
eo. de Na  
riuit.

**LEO** verò ita ait. Quæ in vnitate conuenerunt: neq; separationem habere possunt, neq; finem: at diuinitas sanguini in corpore incluso, vt aduersarij etiā fatentur, est coniuncta, igitur & seiuncto & fuso. & cæt.

**NOTANDVM** est hoc loco Christum Dominum multa deposuisse, id quod ex iis quæ de Christo diuina tradit scriptura, facile colligi potest. Nā cum diuinis literis traditur, Christum Dominum mortem obiisse, facile intelligitur illa omnia deposuisse quæ necessario homini intereunti eripiuntur, ceu natura humana, actiones vitales: sensuum functiones, intelligere phantasticū. Hæc omnia moriente homine tolluntur. Præterea cum scriptura docet Christum ad vitam immortalem, è morte fuisse reuocatum: illa etiam dimissa fuisse insinuat: quæ cum beatæ vitæ statu minimè congruunt, vt interim viatori conueniant, in quibus est sanguis nutrimentalis: vt qui beatæ vitæ nō inserviat.

**SECUNDA** verò assertio est huiusmodi. Sanguini nutrimentali Christi fuso non fuit diuinitas coniuncta. Confirmatio huiusce assertionis posita est in Thomæ autoritate. Namque tertio collectaneorum libro, ea, quam supra commemorauimus, cum distinctione, tum quæstione ita inquit. Si separeretur aliqua partes quæ non sint de veritate humanæ naturæ, non remanet in eis ordo ad naturam humanam, cui principaliter vnio debetur: & ideo non remanet vnio, neque debitum patriæ: at sanguis nutrimentalis non pertinet ad veritatem naturæ humanæ, vt idem testatur quodlib. v. ar. v. ita inquit. Cū Christus ante passionem comederit, & biberit, nihil prohibet in eo fuisse aliquem sanguinem nutrimentalem: qui ad veritatem humanæ naturæ nō pertinet: & quem non oporteret ad corpus eius in resurrectione redire, nō igitur nutrimentali sanguini fuso fuit diuinitas hypostaticè coniuncta. Hinc iam multa possunt intelligi, illud est primum: quod si quis sanguis visitur in terra, ille sanguis est verè sanguis Christi, non tamen est particula aliqua sanguinis necessarij & salutiferi: sed particula sanguinis superuacanei, & nutrimentalis. **SECUNDO** illud intelligitur, sanguini Christi nutrimentali non deberi patriam, vt qui non sit diuinitati coniunctus: adorari tamen potest, ceu aliquid ad Christum pertinens: fuit enim pars Christi aliquando quomodo vestis Christi, ac cætera omnia quæ Christi vsibus inservierunt, Christi que corpus contigerunt, adorantur.

**TERTIO** illud hinc consequitur, sanguinem hunc nutrimentalem effusum ad expiationem scelerum nostrorum & hominum liberationem per se primo atque efficienter minus valuisse, ac contulisse: sed meritoriè, hoc est, merito Christi, cruciatus acerbissimos, sanguis effusionem, atque adeò mortem, hominum causa, lubenter, alacritaterque perferentis. Hinc porro sanguinem nutrimentalem in precium redemptionis non fudit, aut Patri obtulit Christus: sed necessarium: & ad veritatem humanæ naturæ attinentem:

fusus

fusus est autem ille sanguis ex accidenti, & per quandam concomitantiam, & continuationem cum vero ac necessario sanguine. Quocirca sanguis ille sudore Christi in horto expressus: cum fuerit nutrimentalis, ad hominum liberationem ac salutem efficienter non valuit, sed merito Christi patientis: estque id ipsum sentiendum de sanguine fuso in circumcisione, si fuit nutrimentalis.

**A**D dubitari hoc loco meritò potest, vtrum sanguini nutrimentali in corpore Christi incluso fuerit diuinitas coniuncta? Negationi suffragatur illud, quia ad veritatem humanæ naturæ non attinebat, iam vero diuinitas naturæ humanæ, & partibus ijs quæ ad integritatem ipsius pertinent, coniuncta est. Affirmationem vero illud confirmat, quoniam sanguinis simpliciter cum sanguine nutrimentali in corpore animalis mutua est coniunctio, ac coherrentia: iam vero quæ sunt vnum continuatione, sunt vnum hypostasi: namque totius & partium est vnum suppositum.

**D**ICI potest sanguini nutrimentali in corpore incluso fuisse diuinitatem coniunctam, ob hanc ipsius cum vero sanguine continuationem: distracto vero & effuso, non item. Nam simul ac desijt cum vero sanguine continuari, desijt diuinitati coniungi: etenim ipsius cum diuinitate coniunctio, vniuersa posita erat in eiusdem cum vero sanguine coherrentia, hac distracta, desertus est cõtinuò ille sanguis à diuinitate, &c.

**D**ICI etiam potest sanguinem nutrimentalem, etiam cum vero sanguine siue intra, siue extra corpus Christi coherentem, non fuisse diuinitati coniunctum hypostaticè, idque diuina actione & efficietia, id quod cernitur etiam in vino non consecrato, vino consecrato admixto: tum enim eiusdem continui aliqua quantitas in se subsistit, & aliqua in vino inhæret, &c.

**A**C de vniuersa hac quæstione hæctenus.

## DE ORDINE ASSVMPTIONIS.

### Quæstio. XV.

*An ne ordine quodam effecta sit assumptio?*

**C**VM sacrosancta hæc diuini Verbi assumptio, non ad naturam modo humanam, verum etiam ad partes nature sit terminata, hinc vniuersa illa de ordine assumptionis controuersia, ac disceptatio ortum habuit.

Disce-



Disceptari enim consuevit, an ne ordine quodam effecta sit assumptio? Ut scilicet aut pars vna sit assumpta interuentu alterius, aut totum interuentu partium: aut contra partes, totius naturæ interuentu. Certe veteribus visum est, in assumptionem, relatione ad ea quæ assumpta sunt, quendam ordinem cadere. Næque D. August. in eo quem de Agone Christiano conscripsit libro ita ait. Inuisibilis & incõmutabilis veritas, per spiritum animam: & per animam corpus, & sic totum hominem assumpsit: quibus verbis satis declarat, vir ille doctissimus: in admirabili assumptione, ordinem quendam, per relationem ad ea quæ assumpta sunt, cerni: nempe cum anima interuentu spiritus fuerit assumpta: & corpus interuentu animi: & omnino totum interuentu partium. Ioannes Damascenus in eadem est sententia. Ait enim diuinum verbum humanæ carni, intercedente intellectu, fuisse coniunctum. Ceterum Theologi recentiores hoc ipsum in contentionem & cõrouersiam adduxerunt, ac varias interque se dissidentes de re proposita sententias protulerunt. Nos vero hanc quæstionem ita tractabimus, vt principio exponamus, quibus rebus inter se consentiant Theologi, deinde quibus dissideant.

August.

Damasc.  
lib. 3.

**PRINCIPIO** illud constat inter omnes, in assumptionem ipsam nullum ordinem cadere, namque eiusdem ad se ipsum nullus omnino ordo est, at assumptio est vnica: nullus igitur in assumptionem cadit ordo. Deinde illud cõuenit inter omnes, nullum in sacra assumptione, per relationem ad ea quæ assumpta sunt, temporis ordinem reperiri, nempe quod eodem temporis momento, cum humana natura ex omnibus suis partibus integra, absolutaque coaluit: tum est à diuino Verbo, quoad omnes sui partes, assumpta. Id vero ad hunc modum ostenditur. Caro Christi non fuit prius tempore vtero virginis concepta ac formata, quam fuerit cū Verbo copulata, neque contra, neque itidem prius tempore fuit animo, quam diuinitati hypostatice coniuncta: eodem igitur temporis momento & caro ipsa formata, animoque adiuncta est: & natura ex vtroque cõposita à Verbo est assumpta. Ac carnis formationem non antecessisse tempore sui cū Verbo coniunctionem, hinc intelligitur: quoniam Angeli testimonio filius Dei dicitur virginis vtero conceptus. Ecce, inquit cõcipies in vtero, vñ & in symbolo dicitur, qui cõceptus est de Spiritu sancto: cum igitur hæc cõceptio, hoc est, ex materia subiecta formatio, diuinæ personæ non conueniat, qua huiusmodi, est siquidem ab æternitate ex sempiterni Patris substantia genita, neque itidem animo: nempe qui non ex subiecta materia, sed ex nihilo procreetur, conuenit igitur Verbo illa cõceptio interuentu carnis: cumque cõmunicatio idiomatum cõiunctione

Dur. 3. d.  
2. q. 2.

Luc. 2.

iunctionem requirat naturarū, conficitur necessario: non prius tempore fuisse carnem conceptam: quam verbo coniunctam.

Ad hæc, cum id quod non est, coniungi alteri non possit: sequitur non fuisse prius tempore carnem Christi Dei Verbo coniunctam, quam esset. Iam vero non fuisse prius tempore carnem formatam, quam esset animo cōiuncta, hinc vel maxime intelligitur: quoniam illa successio aut ob id eueniret, quia id quod cadit sub actionem ei quod agit obisteret: ipsiusq; proinde actionē remoraretur: aut quia cum fine assumptionis congrueret: neutrum euenit, namque Spiritus sanctus & Christi carnem, animūque fabricauit, & naturam humanam cum verbo coniūxit: at Spiritus ille sanctissimus est efficiēs, vi ad efficiendum infinita præditum: nihil est igitur quod ipsius actionem possit retardare.

ITEM si caro prius tempore concepta & formata fuisset, quam animam rationalem conciperet, certe ex forma altera fuisset illa essentiam consecuta, quæ ipsa, aduentu & accessu animi rationalis, deleta continuo sublataq; fuisset: quare superuacanea illa forma extitisset, vt quæ cum fine, cui assumptio destinata est, nempe hominum liberatione, minimè congrueret. Non igitur conceptæ & formatæ iam carni Christi, animus multo deinde post tempore adiunctus est.

HACTENVS inter Theologos conuenit, superest vt quibus rebus inter se dissentiant, quam breuissimè & planissime exponamus. D. Thomas asserit in assumptionem relatione ad ea quæ assumpta sunt, siue partes inter sese, siue totum cum partibus conferatur, ordinem naturæ cadere: ita scilicet vt caro fuerit assumpta interuentu animi: & animus interuentu mentis & spiritus, & partes totius interuentu. Ac carnem fuisse assumptam interuentu animi, hinc intelligitur, quoniam caro nō cadit sub assumptionem, nisi quatenus humana, sola enim natura humana præ cæteris est aptior assumptioni: iam autem caro esse humanum ex coniunctione sui cum animo consequitur: efficit igitur anima carnem ipsam aptam assumptioni.

EX quo iam efficitur, vt anima rationalis, quod attinet ad assumptionem carnis, sit medium aptitudinis siue congruentiæ siue causalitatis, idq; in fieri, non in facto esse, alioqui sublata causa, id est, corpore anima destituito, diuinitas corpus ipsum deseruisset. Eadem ratione spūs siue mens, quod attinet ad assumptionem animi, medii locum ac rationem obtinet, efficit enim animā ipsam idoneam assumptioni. Etenim mente ipsa efficitur vt anima sit quædam Dei imago: anima vero ipsa eatenus est idonea assumptioni, quatenus  
 diuini-

Thom. 3.  
p. q. 6

diuinitatem representat. Anima vero hoc loco cum à mente secernitur, ad eam animi partem refertur quæ sentiens dicitur.

**P O R R O** partes sunt assumptæ interuentu totius: siquidem id quod expletum est & perfectum, quod attinet ad efficientis intentionem & institutum, natura id quod imperfectum est antecedit: ex quo effectum est, ut assumptis instituto & intentione, tota natura humana fuerit prius natura assumpta, quæ partes ipsius: tamen si executionis ordine assumptio prius natura sit ad partes terminata: quam ad totum ipsum, hæc tamen assumptio partium, est quodammodo prior natura, namque per relationem ad agens, illud est simpliciter prius natura, quod primo omnium sub agentis propositum & institutum cadit. Hæc tradita sunt à D. Thoma, 3. Theologiæ libro: cuius sententiam quæ paucissimis explicauimus.

**CÆTERVM** Durandus omnino hunc naturæ ordinem ab assumptione, relatione ad ea quæ assumpta sunt, excludendum putat: quocirca non esse carnem assumptam interuentu animi ita ostendit. Quando aliquid coniungitur duobus, quatenus sunt vnum, non duo: vnum non est medium relatione ad alterum: at diuina hypostasis coniuncta est animæ & corpori: quatenus sunt vnum quiddam, id est, vnam naturam efficiunt: non est igitur vnum assumptum interuentu alterius. Diluit Caietanus hoc argumentum hoc pacto: putat enim medium capi bifariam. s. vt quod & quo. Medium quod in assumptione est id quod assumitur, medium vero quo, est id cuius interuentu alterum assumitur. Ponitur igitur à Caietano duplex assertio, prior est huiusmodi. Si partes inter se conferantur: anima non est medium quod, per relationem ad assumptionem carnis, id quod ita ostenditur. Illud est medium quod in assumptione, quod ipsum ita est causa assumptionis alterius, vt idem præassumi intelligatur, ita. s. vt vnum assumptorum prius natura adsumatur, alterum vero posterius natura: atqui anima non est prius natura assumpta quam caro: non est igitur medium quod, per relationem ad assumptionem carnis. Assumptio ostenditur. Nam quod est alteri ratio assumptionis, non intelligitur prius assumptum: at anima est ratio assumptionis carnis, vt quæ carni speciem & actum largiatur: non igitur intelligitur prius natura assumpta. Ita naturæ ordine anima est medium quo: non medium quod, ac proinde prius natura assumpta est, vt quo, non autem vt quod, idque sentit D. Thomas.

Dur. 3. d.  
2. q. 2.

**Q V O D** vero ad argumentum Durandi attinet, de propositione maiori non repugnat Caietanus, sed de minori propositione. Ait enim assumptionem termi-

**N** natam

naturam esse ad animam & ad corpus, ceu ad duas partes humanæ naturæ re ipsa abiunctas: ita. s. vt vtrauis pars assumptione secundum se terminauerit: partialiter tamé. Cõfirmationi vero assumptionis ita respõdet, vt dicat fuisse quidém partes assumptas, quatenus sunt partes vnius nature, nõ tamen inde cõcludi, sunt igitur partes assumptæ quatenus sunt vnũ in toto, id enĩ significat, assumptione ad totum dũtaxat terminari, ad partes vero, quatenus insunt in toto: id quod falsum est, alioqui simul ac partes desierũt inesse in toto, desissent esse coniunctæ. Assumpsit igitur diuinũ Verbum partes humanæ naturæ, non solum quatenus in vnica natura cõuenere: verum etiam quatenus sunt res multæ, partiales tamen.

PORRO ordinem inter partes & totum hoc argumento refellit Durand. Namq; totum est aliud, nihil, quã partes simul coniunctæ: nullus igitur inter partes & totũ intercedit ordo. Adde, quia assumptio vna, est vnius ad vnũ, at assumptio Verbi est vna ad vnica Verbipersonã terminata: est igitur vnius nature integræ ex suis partibus: sunt igitur tam partes, quam natura assumpta vt vnum: nullus igitur in partes relatione ad naturam, aut contra, ordo cadit.

HÆC diluit Caietanus. Ac prioris argumenti negandum putat antecedens: nempe quia partes etiã coniunctæ, non sint idem quod totũ: id quod sibi interim cõcedi postulat, alio in loco exquirendũ. Argumētũ vero hoc Durandi potest in hũc modũ explicari. Partes coniunctæ, & vnitæ possunt duobus modis spectari: vno modo sub conceptu & ratione partium natura inter se differentium, altero modo sub conceptu & ratione totius. Nam totũ est aliud nihil quam partes coniunctæ & vnitæ. Etenim totum quædam est natura ex omnibus suis partibus confecta, priori igitur modo si partes spectentur: partes etiam coniunctæ sunt natura ipso toto priores, nempe quæ sint causæ totius effectrices & constitutiue: interceditq; proinde inter partes & totum ordo, ita. s. vt executione assumptionis, partes prius natura fuerint assumptæ: totum vero ipsum posterius. Assumētis tamé intétione & instituto cõtra habet. Ceterũ si posteriori modo spectentur partes & totũ, nullus in partes & totum cadit ordo: id quod argumento Durandi efficitur.

VTRVM vero totũ sit aliqua tertia entitas, siue natura à partibus vnitis & coniunctis re ipsa differēs: magna ac subdifficilis quæstio est, q̄ ipsa. s. Metaphysices tractatur, eiusq; explicatio huic loco minus cõgruit. Ego in ea semper fui opinione & sententia, vt putarem totius naturam, à natura cuiuslibet partis esse seiunctam: esse tamen quiddã ex natura vtriusq; partis conflatu.

Etenim

Etenim homo, neq; est corpus: neque anima, est tamen quiddam habens corpus & animam: siue ex corpore & anima constitutum: ita fit, vt partes coniunctæ reddant ipsum totum, & totum nihil sit aliud quam partes illæ coniunctæ & vnite. Obiici contra potest: partes coniunctæ reddunt & efficiunt totum: non est igitur totum partes suæ coniunctæ: namque sui nihil est efficiens. Huius argumenti explicatio facile ex superiori illa nostra distinctione constat. etenim partes coniunctæ, cõponunt & efficiunt totum, sub ratione partiũ, & hætenus seiunguntur à toto: nõ materialiter, sed formaliter, &c.

POSTERIVS argumentum dissoluitur hoc pacto. Assumptio hæc est vnus, non simplicis, sed compositi ex partibus: nõ solum quatenus est vnus in se: verum etiã secundum suas partes: ita videlicet vt executionis ordine assumptio prius non tempore, sed natura terminata sit ad partes in se ipsis, ceu ad partiales terminos, quam ad totum, &c.

DVRANDVS igitur vt putet ordinem realem omnino ab assumptione excludendum esse: ordinem tamen rationis admittendum existimat: hic porro ordo spectatur & dignitate assumptibilis: & fructu assumptionis: ita. s. vt id dicatur prius assumptum, quod est natura & dignitate excellentius, quodue redemptionis fructum vberius percepit. Quocirca veterum de assumptionis ordine sententias putat adhuc rationis ordinem referendas.

IN summa sententia D. Thomæ, quã veriorẽ esse reputo, est huiusmodi. Anima cum per relationem ad carnem, tum per relationem ad totum est medium quo: ceterum anima & corpus per relationem ad totum sunt medium quod, actionis ordine: totum vero per relationem ad partes medium quod & quo, assumptis pposito & instituto. IOANNES Scotus omnino medium quod reicit & repudiat, tam per relationem ad partes inter sese: quam per relationem ad partes & totum: recipiendum tamen putat medium quo, & comparatione partium inter sese: & partium cum toto. Hoc vero medium est anima: quæ ipsa cum naturæ totius est constitutiva: tum carnis in esse assumptibili

Sent. 3. d.  
2. q. 2.

ARGVMENTA porro illa quibus docet Scotus naturam totam non esse prius assumptam vt quod, quã sint partes, facile dissoluntur adhibita distinctione, quæ sumitur ex priori vel actionis ordine vel intentionis. Namque natura est prius assumpta ordine intentionis: siue vt quod totale: partes vero ipsæ sunt prius assumptæ ordine executionis & vt quod partiale, id quod facillime declarat resolutio totius Christi, quæ à toto cõpit, ac desijt ad partes: iã vero id quod est primum dissolutione, est actione & executione extremum, &c.

AC de assumente, deque assumpta natura, hætenus.

# PRÆLECTIONVM SACROSANCTÆ

diuini Verbi incarnationis.

Liber. III.

## DE COASSVMPTIS ET DE GRATIA

Christi.

### Quæstio. I.

*Vtrum in Christo fuerint gratia, dona, & virtutes?*



VOBVS LIBRIS ILLA EXPLI-  
cauimus, quæ ad assumptionem humane nature,  
adque personam ipsam adsumetem, ac naturam  
assumptam attinerent, reliquum est, vt illa expo-  
namus quæ simul cum humana natura à diuino  
Verbo assumpta sunt: quæ ipsa coassumpta dici  
à Theologis cõsueuerunt. Ac coassumptorũ duo  
sunt genera: quædam enim ad præstantiam & ex-  
cellentiam assumptæ naturæ, quædam vero ad imbecillitatem ipsius perti-  
nent, cuius generis sunt timor, angor animi, corporis lassitudo, famis, sitis, fri-  
goris & omnino laboris, ac doloris perpessio. Porrò priora illa partim gra-  
tia: partim scientia, partim potentia spectantur, quæ à nobis principio tra-  
ctanda sunt: atq; à gratia initio exordiendum.

GRATIA quædam est qualitas animo diuinitus tributa: qua efficitur  
vt creatura mentis particeps esse diuinum consequatur: & actiones obeat  
Deo gratas, dignasque præmio vitæ sempiternæ. Hoc genus qualitatis in  
Christi animo fuisse, facile declarat, eiusdem cum Verbi persona coniunctio.  
Namque effector & largitor Gratiæ est Deus: iuxta Vatis sententiam: gra-  
tiam, inquit, & gloriam dabit Dominus: iam vero quo quicque effectrici  
causæ est propinquius, eo magis influxum illius recipit: cum igitur Chri-  
sti anima Deo effectori gratiæ fuerit proxima, vt pote ipsi hypostaticè  
coniuncta: sequitur vt gratiæ influxum vberrimum perceperit. Hoc  
ipsum & diuus Ioannes testatus est, inquiens, Vidimus gloriam eius,  
gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis. Hac  
sententia

*Psal. 83.*

*Ioan. 1.*

sententia Ioá. apertissimè testatur, ob id Christum plenitudinè gratiæ fuisse cõsecutum: quia erat vñigena Dei Patris filius, hoc est Dei filio hypostaticè cõiunctus. HOC præterea decus, & ornamentum præstatisimus Christi animus requirebat: cuius actiones decebat Deo esse gratissimas, & Deum maximè attingentes: id vero efficit vis gratiæ. Gratia enim efficitur, vt homo actiones suscipiat Deo gratas, ac Deum ipsum actione cognitionis, & amoris attingat.

CÆTERVM multa sunt quæ nobis contra atq; asseruimus persuadeant. Principio illud aduersari huic sententiæ videtur, quoniã gratia efficit animos diuinos, diuinitatis quadã similitudine, ac participatione: est. ñ. gratia quædã diuinitatis similitudo ac participatio: at Chrs non similitudinè diuinitatis, sed ipsamet diuinitatè est cõsecutus, vt qui esset Dei filius naturalis: etenim verbum caro factum est, non est igitur vlla Christo gratia tribuenda.

PRÆTEREA ob id gratia homini tribuitur, vt & ipsius beneficio vitam sempiternam promereatur, & perfectam actionem proferat: at Christus Deo fruebatur, omnisq; ipsius actio, vt pote actio verbi erat perfecta: non erat igitur quod ipsi gratia tribueretur.

ADDE, quia si in Christo inesset gratia, & dona etiã spūs sancti inesset: iteq; omnes virtutes, tam Theologicæ, quã morales, quæ ipsæ ex gratia ceu ex fonte profluunt, at non omnia Spūs sancti dona, neq; omnes itidè virtutes cernebantur in Christo, non igitur gratia fuit in Christo.

ASSUMPTIONIS approbatio. Timor est in donis Spūs sancti: hic tamè non fuit in Christo. Namq; timori propositum est malum: est enim timor impendētis mali quædã veluti præsensio: at Christus nihil mali timere potuit: nõ quidè malum culpæ, quod est in Dei offensione positum: siquidè incidere in peccatum nullomodo potuerit, nec malum poenæ, quod est in supplicio, flagitiis diuina seueritate constituto, collocatum, vt qui in Dei offensionem minime incurreret. Nullus igitur in Christo timori relictus est locus.

IAM vero fides & spes qui potuerunt Christo cõuenire? Etenim fidei propositus est Deus non visus, sed creditus dütaxat: & spei, Deus non dum habitus, sed expectatus: Christus autem Dominus, cum Deum coram cernebat, tum eodem viso ac cõspecto summa voluptate fruebatur.

VIRTUTES porro illæ, quæ morales dicuntur, non oēs in Christum cadere potuerunt. Nã qui fieri potuit, vt illi temperantia cõueniret, qui nullis libidinum voluptatibus titillabatur, quas cõtineret, nec vllis mentis perturbationibus afficiebatur, quas sedaret, & rationi obtemperates efficeret? Iam vero magnificentia, cui propositus est quidã in magnis sumptibus splendor, qui potuit

inesse in Christo, qui pauperé & egentem vitam egit.

CVM igitur non omnia effecta gratiae spectata sint in Christo: sequitur in Christo, vel nō fuisse gratiā omnino: vel certe exiguā admodū, tenuēq; fuisse.

HÆC omnia diluuntur facile. Ac primū ita diluitur, vt dicatur Christū hypostatice esse quidē vere: ac secundū substantiam Deum: siquidem illa persona Christi erat ipsamet verbi persona: ceterū quia cum vnitae personae adhuc remansit naturarū distinctio, Christi anima quē sola est diuinitatis capax erat diuina, non quidē essentia diuinitatis, sed participatione quē eadem ortum habuit ex gratia.

SECUNDVM argumentum ita explicatur. Christus Dominus qua Dei Verbū se ipsum cognoscebat: seq; ipso fruebatur aetione cognitionis, & amoris increata, cuius quidē actionis creatura particeps nullo modo esse potest, vt quē sit increata. Namq; actio rei cuiuscunq; naturē est consentanea: quo efficitur vt à re creata suscipi actio increata nullo modo possit: fuit igitur necessarium vt anima Christi, vt quae sit creatura, creata cognitionis: & amoris actione Dei Verbum attingeret: id vero anima Christi consequi non potuit nisi gratiae beneficio.

AD eundē etiā modū diuini Verbi actio increata, ac diuina erat absolutissima, neq; realiquā, qua perficeretur, desiderabat. At quoniā Christo actio etiā humana cōueniebat: hāc actionē habitu gratiē perfici: ac decorari oportuit.

QVOD vero ad tertiū argumētū attinet. Negat̄ a sūptio, quoad oēs ipsius partes: etenī omnia illa Christo affuerūt, dona. s. Spūs sancti & virtutes tā Theologicę quā morales. Ac fuisse aīam Christi Spūs sancti munerib⁹ ornata, decoratāq; facile declarauit Isaias inquitens. Egrediet̄ virga de radice Iessē: & flos de radice eius ascēdet: & requiescet super eū spūs Dñi, spūs sapiētīe, & intellectus, spūs cōsilij et fortitudinis, spūs sciētīe, & pietatis, et replebit eū spūs timoris domini. Hoc loco apertissime testatur idem spūs dñi fuisse in Christū, qui idē ex radice Iessē, interuētū virginis ceu flos quidā pullullauit, omnia dona sua, ac munera collata: quē eadē septenario numero cōtinētur.

HOC ipsum etiā ratione ostēdimus, interim tamē illud pręponim⁹, duo esse actionum humanarū principia: naturale vnū & internum: supernaturale alterum & externum: illud est ratio, quē ipsa volūtate comite hominis actiones ita moderatur, vt sint æquo honestoque consentaneæ.

Arist. 1.  
Ethi.

NANque vt Arist. in Ethicis author est. Ratio semper ad optima quēq; inuitat, hoc vero, est Spūs sanctus, qui ipse afflatu suo interno hominem ad suscipiendas præclaras actiones commouet & impellit. Illud præterea ad-

iungimus



iungimus in eo, quod actionem agentis excipit necessario requiri quamdam dispositionem qua efficiatur idoneum ad actionem agentis comode excipiendam: quam eandem dispositionem agens ipsum efficit. Necessè est enim lignum concalescere quo vim ignis & actionem comode excipiat. Cum igitur homo, & à ratione voluntati coniuncta, ceu à principio interno, & naturali: & ab Spū sctō, ceu à principio externo, & supranaturali ad agendum impellatur, inducaturq;: sequitur vt in facultatibus animi, quarū interuētū homo operatur: quædā dispositiones etiā requiratur, quarū interuentu homo cum à ratione tum ab Spū sancto facile mobilis, & (vt ita loquar) ductilis efficiatur. Ac dispositiones quibus efficitur, vt homo habilis, atq; idoneus efficiatur ad parendū rationis præscriptioni, sunt virtutes morales, quæ actionibus rationi cōsentaneis obeūdis comparatur. Etenim homo virtutis studiosus rationis præscripto quā facillime obtēperat: illæ vero aliæ formæ, quibus vis animi nostri habilis efficitur ad parendū facile diuino afflatui, & instinctui, sunt dona Spūs sancti, quæ hominē efficiunt facillime ab Spū sancto mobile. Cū igitur Christus Dñs facillime paruerit Spūi sctō, iuxta illud quod scriptū legimus: Agebatur Iesus in desertū ab spū sctō, relinquitur fuisse illū Spūs sancti muneribus decoratū maximè: atq; comulatū, &c. Luc. 3.

**QVOD** vero ad donum timoris attinet: hoc donum dicimus Christi animo fuisse tributum: ac proinde Deum timuisse, non quidem ceu mali inflatorem, sed vt præpotentē, cunctisque rebus antecellentem, omni cultu, obseruantia, ac reuerentia dignissimum: quo etiam modo mentes Angelicæ Deum timent: ac reuerentur. Quoniam vero anima Christi hoc timoris genere præ omnibus creaturis Deum timuit, proinde diuinæ literæ timoris plenitudinē ipsi attribuunt: & replebit eū, inquit Isaias, Spūs timoris Dñi. Isa. ii.  
**HOC** loco existit non aspernanda dubitatio. Nam Deus vt præstās, præpotens, & antecellens potest duobus modis spectari. Vno modo vt præstans, ac præpotens absolute: altero modo vt præpotens ad inferendum malum: ac priori quidem modo non occurrit nobis Deus vt timendus: sed vt colendus potius admirandus: adorandus, ac suspiciendus. Namq; obiectum latriæ est excellentia, ac præstantia diuina. Posteriori vero modo proponitur nobis Deus vt timendus: quemadmodū legimus à Dño dictum, Timete eum, qui animam & corpus perdere potest in Gehenam. Math. 5.

Cum igitur asseramus Christum Dominum Deum timuisse ceu præpotentem & antecellentem. Illud iam queri potest, vtum Deū timuerit ceu eminentem ac præpotentem absolute: an vt præpotentem & valentem mali al-

quid inferre. Non priori modo Deum timuisse censendus est Christus: sed suspexisse potius, coluisse & veneratum fuisse: posteriori igitur modo Deum timuit: timuit igitur Deum ceu inflictorem mali: at nihil mali potuit euenire Christo Domino quemadmodū argumentati sumus: nullo igitur modo timor Dei est Christo tribuendus.

DICIMVS Christo Domino omnino timorem Dei esse tribuendum: illiusque timoris obiectum esse diuinam præstantiam, & eminentiam: non quidem absolute, sed relatione ad inflictionem mali. Cæterum hæc diuinæ potentia, siue excellentiæ ad inflictionem mali relatio, potest duobus modis accipi: vno modo secundum potentiam, vt. s. timeatur Deus ceu is, cui potentia, visque ad inferendum malum conuenit, altero modo secundum effectū & executionem, vt. s. timeatur Deus ceu is, qui omnino decreuit re ipsa de aliquo supplicium sumere: vel incōmodo ipsum afficere: vtroque modo diuina eminentia per relationem ad malum est timenda. Cæterum Christus priori modo diuinam excellentiam per relationem ad malum timuit. Etenim contemplatus Deum ceu præpotentem, ac valentem res cunctas non perdere modo, verum etiam in nihilum redigere, Deum ipsum supra quā dici potest reuerebatur. Quo etiam modo beatę mentes Deū reuerētur, iuxta id quod à D. Iobo dictum legimus, in conspectu eius pauent columnę cœli. Posteriori vero modo diuina eminentia nullum prorsus timorem Christo incussit, neque sic Christus Deum timuit, nempe qui certo sciret nihil sibi mali posse actu euenire, nullum, inquam, malum separationis à deo, aut punitionis: & animaduersionis criminibus propriis debitæ. Ita dubitatio explicata est.

Iob. 26.

QVOD vero ad reliquas argumēti illius tertii partes attinet, omnino sic habendum est, nullas virtutes tam Theologicas, quā morales fuisse in Christo, quę in formali obiecti ratione aliquid includunt: quod ipsum non congruit cum Christi dignitate: & excellentia. Hinc primum intelligitur fidem non fuisse in Christo. Nam fides earum rerum est persuasio, quę non cernuntur, vt est apud D. Paulum ad Hebr. II. At Christus Dominus omnia nouerat, & diuinam ipsam naturā aperte cernebat, nullus igitur fidei in Christo relictus est locus. Etenim habitus omnis speciem ex re obiecta nanciscitur, sublata igitur formali ratione obiecti, tolli quoque habitum necesse est: ratione formali inquam, nam sublato obiecto materiali, non necesse est habitum tolli: alioqui magnificentia pauperi non conueniret, neque patientia homini illi cui nihil aduersi eueniret.

NOTAN.



NOTANDVM est hoc loco duplex esse obiectum habitus, materiale vnum, formale alterum: est autem materiale obiectum habitus id in quo habitus ipse versatur, in quodue vim suam explicat: formale vero id cuius interuentu in re subiecta versatur. Verbi gratia, fidei duplex est obiectum, materiale vnum, formale alterum, ad materiale obiectum pertinent illa quæ sub fidem cadunt: quæ vulgo dicuntur credibilia. Ad formale vero ratio illa sub qua credibilia sunt fidei subiecta. Est autem illa ratio, non visum, est enim fides earum rerum, quæ non cernuntur, persuasio. Item temperantiæ proposita materia, sunt voluptates in gustatu: vel tactu positæ: formalis vero ratio in eo consistit vt homo voluptatibus vtatur consentaneè rationis præscripto, hoc est, quomodo oportet, & quâdo oportet. Habitus igitur omnis speciem ac formam consequitur, non ex materiali obiecto, alioqui omnis earum rerum quæ sub fidem cadunt assensio, esset fides: id quod falsissimum esse vel ex eo intelligitur, quia beatæ mentes huic veritati. scilicet Deus est trinus & vnus assentiuntur, & tamen non est hoc ipsum illis fide persuasum, sed visu cognitum ac perceptum. Item illud eueniret, vt omnis vsus voluptatum, etiam immoderatio ac profusior, esset temperantia, sumit igitur habitus speciem ex formalitate obiecti: ita fit vt temperantiæ virtus, non consistat nec in vsu, neque in abstinentia voluptatum, sed in vsu voluptatû rationis præscriptioni consentaneo. Quocirca vt posita ratione formali ponitur habitus: ita sublata tollitur: id quod in materiam habitui subiectâ non cadit: non enim necesse est vt posita materia ponatur habitus, aut sublata tollatur. Non enim si alicui desint diuitiæ, non proinde magnificentiæ virtutem obtinuerit, aut si adsint, iam obtinuerit. Nam & pauper magnificus esse potest: vt qui sit animo sic constituto & affecto: vt diuitias pro loco ac tempore, & omnino conuenienter rationis præscriptioni expendat: contra vero diues, parcus, sordidus, & illiberalis esse potest: vt qui diuitiis non vtatur quando res postulat. HINC iam intelligi potest, virtutes perturbationû moderatrices duobus modis conuenire homini posse: vno modo interiori, animi affectione: siue dispositione, cum scilicet animus sic est affectus: vt nulla perturbatione possit à recto abduci, sed paratus sit materia virtuti subiecta pro loco & tempore: & omnino conuenienter rationi vt: altero modo vsu, & exercitatione actuali, illud prius necessario in homine virtute prædito requiritur, hoc posterius non item. Ita Christus dominus priori modo omnem habuit virtutem, tam moralem quam Theologalem: namque sic animo fuit constituto, vt nulla perturbatione ab honestate discesserit: neque tanti fecerit res externas, vt ipsarum

grati quod esset rationi consentaneū prætermiserit, imò vero eas ipsas omnino contempserit, ac illarum se vsu abdicauerit. Ita fit vt magnificentia, & temperantia excelluerit, vt qui & omnino diuitias contempserit, & ab omni voluptate penitus continuerit, imò vero omni cupiditate caruerit. Tanto autem est aliquis temperantior, & continentior, quāto minus auersis à ratione cupiditatum motibus agitatur.

**CÆTERVM** posteriori modo, hoc est, vsu & exercitatione nō necesse fuit omnes virtutes inesse in Christo, quando quidē nunquam fuit illud tempus quo ipsi conueniret omnium virtutum actione vti: sed aliquarum duntaxat iuxta diuinæ sapientiæ & voluntatis decretum. Nunquam enim decuit vt Christus esset diues, & haberet vnde magnos sumptus posset facere, qui cū esset, omnium Domine genitus & inops, nostra causa, vt testatur diuus Paulus, effectus est.

**QVÆRAS** an Christo sint attribuendæ gratiæ quæ dici consueuerūt gratis datæ? Namq; negationi multa suffragantur, in quibus illud est primum, quia prophetia in gratiis numeratur iis quæ gratis homini tribuuntur: at hoc genus gratiæ, non videtur fuisse in Christo: nempe cum ipsius excellentiæ minimine conueniret, namque prophetia cognitionem quandam declarat, cum obscuram & imperfectam, iuxta illam Domini sententiam: si quis fuerit inter uos propheta Domini, per sōnium aut in visione loquar ei, tum rerum minime præsentium, sed distantium, vnde propheta dicitur quasi procul fans: iam vero Christus rerum habuit omnium cum plenissimam & clarissimam, tum præsentem cognitionem: non videtur igitur prophetia Christo attribuenda.

**DEINDE** donum linguarū in gratiis habetur gratis datis, Christam autē non legimus variis linguis vsu fuisse: videtur igitur hoc dono caruisse: non **POSTREMO** quod est debitum alicui non dicitur illi gratis dari, at debitum erat Christo homini, vt omnibus gratiis abundaret: essetque vt Lucē ultimo dicitur, potens in opere, & sermone coram Deo: & omni populo: vt potē quiesset Dei virtus & sapientia, igitur non videntur gratiæ, quæ dicuntur gratis datæ cū Christi excellentia congruere.

**CÆTERVM** D. Augustinus ad Dardanum scribens omnes gratias gratis datas in Christo fuisse dicit, quemadmodū omnes sensus insident in capite, id quod Christi muneri & officio fuit conuenientissimū. Nam cum gratiæ quæ gratis datæ sunt, huc destinantur, vt fidei doctrina ipsarum interuētū tradatur, & explanetur: fuit cōuenientissimū vt Christus, qui tradendæ religionis, & fidei

& fidei princeps futurus erat, iuxta, illam Paul. sententiam: cum initio cæ-  
pisset enarrari per dominum, per eos qui audierunt, in nos confirmata est cō-  
testante Deo signis & portentis, omnibus hisce gratiarum muneribus nō  
abundaret modo, verū etiam omnibus fidei Doctoribus antecelleret. Heb. 2.

ARGUMENTA porro quæ huic sententiæ videntur aduersari facile dilu-  
untur. Nam quod ad primum argumentum attinet, damus Christum quo  
ad partem superiorem, & intellectualem habuisse certissimam, & apertissi-  
mam rerum omnium cognitionem, cui tamen non repugnat habuisse  
Christum parte inferiore: & imaginatrice, qua ex parte erat viator, qual-  
dam similitudines, ac formas rerum ex sensibus perceptas in quibus potuit  
diuina contemplari, vt potè qui non solum esset comprehensor, verum eti-  
am viator.

QVOD vero præterea adiungitur, prophetiam esse rerum minime præ-  
sentium, sed procul distantium id sic interpretandum est, prophetiam earū  
rerum esse, quæ sunt ab hominū, quibus cum propheta versatur, sensibus re-  
motissime, eisdemq; occultissimæ.

AD secundum respondetur. Christum Dominum linguarum omnium  
fuisse peritissimū, id quod ipsius excellentiæ congruebat: non tamen va-  
riis linguis est locutus, siquidem Iudæis solum Euangelium regni prædica-  
uerit vt pote cui delegatus sit ministeriū circumcisionis, iuxta illam Pauli senten-  
tiam, dico Christū IESVM ministrum fuisse circumcisionis. Quoniam ve-  
ro Apostoli ad docendas omnes gētes diuinitus missi sunt, ideo variis eos  
linguis vti oportuit.

AD tertium respondetur. Christo quatenus Dei virtus erat & sapientia, nō  
conuenisse habere gratiam, sed esse datorem omnis gratiæ, eidem tamē qua  
homo erat, cōueniebat habere gratiam, quæ eadem erat illi homini, vt iam  
superiore libro docuimus, connaturalis.

## DE PLENITVDINE GRATIÆ CHRI-

sti Domini.

### Quæstio. II.

*Vtrum gratia Christi fuerit plenissima?*

**D**EMONSTRAVIMVS in Christo Domino gratiam fuisse:  
reliqua est illa quæstio dignissima explicatu. Anne illa gratia plenissima

accu-

ac cumulatiflima extiterit, ita. s. vt omnem mensuram, omnemq; gradum intensio-  
nis ac perfectionis gratie sit consecuta: neq; potuerit effici diuina vi auctior,  
cumulator, ac perfectior gratia?

Thom. 3.  
p. q. 7. ar.  
10. 11. 12.

**AFFIRMATIO** multis probata est, in quibus est diuus Thom. qui qui-  
dem affirmantem quæstionis partem, hisce argumētis confirmat: quo quic-  
quā causæ influenti est propinquius, eo ipsius influxum vberius percipit: at  
anima Christi fuit Deo proxima: nempe quæ eidem fuerit hypostaticè cō-  
iuncta: vberissime igitur ipsius influxum percepit: ac proinde illa Christi gra-  
tia est cumulatiflima, atque pleniflima: omnemq; mensuram gratiæ com-  
plectens.

Eph. 1.

**AD HÆC**, id quo efficitur, vt cætera omnia sint talia, illud est maxime tale. nā  
quod est efficiens vt cætera sint calida, illud est maxime calidum: At Christus  
est efficiens vt cæteri sint grati Deo: id quod diuus Paul. testatur in hūc mo-  
dum, gratificauit nos in dilecto filio suo, Est igitur Christus ipse Deo maxi-  
me charus, ac gratus: eiusq; proinde gratia fuit omnium maxima.

**ADDE**, quia id quod fini alicui destinatur, accommodatum: & cōmensuratum  
sit illi fini necesse est: at gratia destinatur coniunctioni animi cum Deo, accō-  
modetur igitur & cōmensuretur ei fini necesse est: ita. s. vt maior coniunctio,  
maiorē gratiam, maxima ac summa vnio maximā gratiam requirat, at nulla  
potest esse maior coniunctio cum Deo, coniunctione ea, qua anima Christi  
cum Deo coniuncta est, est enim illa coniunctio hypostatica, eidem igitur re-  
spondeat oportet summa ac maxima gratia. Cumque nihil effici possit maius  
excellentiussq;, quam hæc cum Deo hypostatica coniunctio: hinc efficitur, vt  
non possit vllō modo gratia aliqua procreari maior, ea quæ coniunctioni hy-  
postaticæ respondet. Hinc consequitur consentaneè sententiæ D. Tho. gra-  
tiam attributam Christo, esse infinitam cum intensiue: tum extensiue: intē-  
siue quidem: quia omnem gradum intensiois ac perfectionis gratiæ com-  
plexa est: neque certa aliqua mensura continetur, sed omnem dabilem men-  
suram excedit, ac proinde nullo modo eidem potest fieri accessio. Extensiue  
vero: quoniam & omnes effectus gratiæ præstat, & liberationem infinitorum  
hominum promeretur. Accedit & infinitudo diuinæ personæ carni coniun-  
ctæ, interuentu gratiæ operantis.

**HINC** etiam intelligitur, esse de Thomæ sententia, formis esse certum quen-  
dam terminum præscriptum, vltra quem progredi perfectio illius forme non  
potest: ac proinde dari sumum calorem, sumam gratiam, sumam charitatē:  
sumam inquam negatiuè. i. qua nulla possit dari maior & contentior, &c.

IOANNES Scotus non dissidet hac in re à Thomæ sententia: eius porrò sententiæ tribus assertionibus explicatur.

Scot. 3.  
sen. d. 13.  
q. 12.

**PRIMA** assertio. In formis, quæ contentionem & remissionem suscipiunt, non fit in infinitum progressus, ita scilicet, ut quavis forma contenta data, detur contentior, sed peruenitur tandem ad summam contentionem, qua nulla esse potest maior. Hanc vero assertionem ijsce argumentis confirmat. Ponatur infima ac minima caliditas: siue gratia, quæ ipsa sit A, fiatque eidem accessio, aut igitur peruenitur ad gratiam cui non potest iam amplius fieri accessio: ac proinde effectum est propositum, scilicet dari summam gratiam: aut accessione & contentione fit in infinitum progressus: iam sic, quanto magis gratia antecellit A, minimæ gratiæ, tanto est perfectior: quo efficitur, ut quæ infinite antecellit, sit infinite perfectior, ac proinde illa gratia erit formaliter infinita intensione: ac perfectione, id quod fieri nequit. Non enim creatura est capax infinitæ perfectionis, alioqui & infinita esset essentia, & infinita vi polleret, &c.

**PRÆTEREA** vnum creabile potest à Deo creari vnica creatione: at gratia infinite distans ab A, est vnum creabile, potest igitur creari à Deo vnica creatione: ac proinde extaret gratia infinita: hoc vero in iis est quæ fieri nequeunt, & illud igitur cuius est consequens, scilicet, esse gratiam infinite distantem ab A. Propositio perspicua est, assumptio ita ostenditur. Quicquid creditur à Deo, est creabile à Deo: at Deus intuetur gratiã infinite distantem ab A, potest igitur Deus ipsam vnica actione procreare.

Liquet

**ADDE**, quia si virtus finita potest efficere calorem, ut vnum, certe virtus perfectior poterit efficere calorem ut duo: quare si calor infinite intendi potest, vis infinita poterit calorem illum efficere, est igitur calor infinite contentus vnum quiddam factibile.

**ADHÆC**, si minor gratia est vnum creabile: quid est cur suprema gratia non sit vnum quiddam creabile? Non enim id potius in minorem contentionis gradum quam in supremum cadit.

**PRÆTEREA** in iis quæ permanet, tantumdem esse actu potest, quantum est potestate, quare si gratia infinite intendi gradatim potest, infinite etiam actu contenta erit, id quod præstare vis infinita potest: at id quod est consequens falsum est, antecedens igitur, ac proinde formæ ac qualitatis contentio tandem extremocōtinetur, estque calor aliis finitus quo cōtentior & perfectior alius esse non potest.

**ITEM** quantamcunque gratiam Deus potest creare: tãtam potest creare & actu

Et actu efficere. Nam possibili posito in esse nihil existit incommodi. Ponatur igitur in esse illa gratia: aut igitur illa est finita aut infinita: si infinita hoc fieri nequit, finita igitur, ac proinde maior procreari non potest, aliò qui si contentior effici potest, non igitur quantacunque potuit creati posita est in esse.

**ADIVNGUNT** nonnulli, ut asserit Ochamus, & hoc ipsum. Quoniam quicquid Deus potest efficere quodam successu, potest simul efficere: Nam Deus habet vniuersam virtutem simul: qua ergo vi successu quodam multa potest efficere, eadè prorsus potest illa ipsa simul efficere. Quare si infinita perfectionem successu quodam efficere potest, eandem simul poterit efficere, cum præsertim id receptiuo gratiæ minimè repugnet, est enim idoneum ut Deo pareat, ac proinde potest recipere quâtamuis gratiâ Deus potest creare. At esse infinitum aliquid intensione: & perfectione minimè potest: non igitur. &c.

**ADDE** quia nihil eò nature vi incipit moueri, quo peruenire minimè potest, at ad infinitam formæ perfectionem gradatim peruenire non potest: cum infinitum præcurri non possit, non igitur forma infinite intendi potest. Datur igitur summa perfectio formæ, cui accessio fieri non potest.

**SECUNDA** assertio. Potuit summa gratia tribui animæ Christi. Id verò in hunc modum ostenditur.

**RECEPIVVM** formæ habentis latitudinem intensiōis gradualis, ipsique conuenientis: cuique non est certus gradus à natura præscriptus, quem natura: & essentia sua conseruata recipiat: potest illam formam quantocunque gradu intensiōis recipere: quamuis enim calor cum aquæ natura minimè pugnet: potest enim aqua calorem concipere: non tamen potest aqua calorem quouis gradu intensiōis, & perfectionis recipere: siquidem præscriptus sit certus calor, quem concipere, natura conseruata, potest, vsque adeò, ut si contentiorem reciperet, iam interiret & esse desineret, iam verò anima est susceprix gratiæ sibi conuenientis, & latitudinem gradualem habentis: neque est ipsi certus capacitatis gradus præscriptus: potest igitur gratiam quouis intensiōis gradu percipere: ac proinde potuit animo Christi quâtamuis gratia tribui.

**PRÆTEREA** natura humana potuit adsumi ad summam coniunctionem, quo ad esse, potuit igitur caeci ad summam coniunctionem, quo ad operationem, summa coniunctio posita est in summo habitu gratiæ, in qua vis inest quædam ad agendum, potuit igitur in Christo inesse summa gratia.

**PRÆTEREA** anima Christi nõ est minoris capacitatis quam sit Angelus: At Angelica natura potest recipere vniuersam gratiam creabilem, igitur &

anima



anima Christi. Propositio ostenditur. Receptiua eiusdem rationis sunt pari capacitate respectu formæ, ad quam recipiendam sunt idonea: at anima rationis compos, & mens Angelica sunt receptiua eiusdem rationis, sunt igitur pari capacitate, minor propositio ostenditur. Receptiuum speciem consequitur ex forma recepta, at forma recepta in anima & Angelo, quæ est gratia, est eiusdem rationis, quemadmodum albedo in lapide & Cygno: anima igitur & Angelus quæ sunt receptiua illius formæ, ratione cõueniunt & cõsentiant, vt interim absolute natura & essentia dissideant.

**CÆTERVM** propositio illa hisce argumentis refatarur. Aqua & ignis sunt receptiua ratione consentientia relatione ad calorem: at aqua non potest tantum calorem recipere: quantum potest ignis recipere: est enim certa mensura caloris præscripta aque, quæ si excederetur, manere aqua salua non posset: At igni nulla est præfinita mensura caloris: sed quanto calor fuerit contentior, tantum ignea natura erit præstantior, ipsiusq; ad agendum vis pollétior: non igitur receptiua eiusdem rationis sunt pari capacitate.

**PRAETEREA** superficies maior, & superficies minor, sunt receptiua eiusdem rationis, recipiunt enim corpus quod loco continetur: at non capiunt tantumdem corporis, vt satis constat, non sunt igitur receptiua eiusdem rationis pari capacitate.

**ADHÆC** si receptiua eiusdem rationis sunt pari capacitate, igitur & agentia eiusdem rationis sunt pari astiuitate, ita calidum vt octo, & calidum vt. 4. possunt parem vim caloris immittere: receptiuo interim æquæ preparato.

**HÆC** diluit Scoti interps: & inquit propositionem illam esse veram duplici adiunctione, quarum hæc est prior, vt. s. illud productiuum non sit receptiuum qualitatis contrariæ, & repugnantis: iam vero aqua est productiua frigiditatis, quæ pugnat cum calore: vel sic potius, nisi illi receptiuo sit præscriptus certus gradus qualitatis cuius est receptiuum. Posterior adiunctio est huiusmodi, vt. s. æqualitas & inæqualitas non extensione, sed intensione spectetur: iam vero maior & minor superficies comparantur ad corpus secundum extensionem, non secundum intensione.

**QVOD** vero ad tertium argumentum attinet, putat Liqueus negãdam esse consecutionem, nempe cum sit longe dissimilis ratio: nam maior aut minor, siue par ad agendum vis, consequens est maioris, vel minoris: vel paris quoad essentiam rei perfectionis, vis enim ad agendum essentia & natura est cõs: at capacitas receptiuum non respondet essentia & natura, vt scilicet excellentioris natura sit maior capacitas: alioqui anima rationalis non posset

posset ad eum gratiæ, & beatitudinis gradum peruenire: cuius mens Angelica est particeps, sed consequitur ad eandem receptiuam rationem.

**TER TIA** conclusio. Animæ Christi de facto est summa gratia tributa, quæ maior esse nõ potest. Etenim vt Lombardus in collectaneis lib. 3. d. 13. author est, Deus in Christi animo tantam gratiam infudit, quantã potuit infundere: potuit autem vt paulo ante demonstrauius, conferre in Christi animam summam gratiam creabilem, contulit igitur: nam in Christi ornamentis prædicandis ac cõmendandis, excedendum est potius laudatori quam deficiendum. Confirmari hoc ipsum sententia Augustini vehementius potest tertio de libero arbitrio libro, asserentis id omne quod est magis rationi cõsentaneum Deum fecisse potius, quam nõ fecisse, videtur autem magis cum recta ratione congruere, Deum in Christi animam summam gratiam creabilem contulisse, quam non contulisse, id enim decebat hypostaticã coniunctionem: decebat etiam summam Dei clementiam ac bonitatem: summæ enim bonitatis est, summa ornamenta gratiæ citra vlla merita tribuere, est igitur dubio procul summa gratia Christi animæ tributa, &c.

**HOC** loco subdubitat Scotus. Vtrum Deus possit parem gratiam ei, quæ præditus est Christus, alicui alteri creaturæ tribuere? Negationi duo opitulantur, & quod Christo tributa est gratia ceu capiti, & vniuersali principio generis habentium gratiam: iam autem duo capita: siue duo suprema in eodẽ ordine esse non possunt, & quod meritũ illius creaturæ posset æquari merito Christi. Respondet Scotus vi, ac potẽtia Dei absoluta id quod versatur in questione posse fieri, siue illa natura assumeretur: siue non adsumeretur. Ceterum iuxta ordinem à diuina sapientia institutũ, effici non potuisse. Est enim diuinitus comparatũ: & institutum, vt vnum duntaxat sit caput, è quo gratiæ ornamenta ad membra dimanent.

**CATER VM** Ochamus lõge aliter sentit: putat enim formam in quam contentio, & remissio cadit, posse infinite cõtentionem recipere: neq; exitũ aliquem aut finem occurrere: sed quauis forma contenta data, posse dari contentiorem. Hanc porrò assertionem multis argumentis confirmat. Principio ita argumentatur.

**PROCESSVS** in infinitum tum non est admittendus, cum ex eodem cõsequitur infinitas creaturæ: at id minime consequitur, fit igitur citra vllum incõmodum aliquis in infinitum progressus. Propositio vel ex eo maxime constat, quia ob id aduersarij omnino progressionem in infinitum negandã esse putat. Assumptio ostenditur. Nam quouis igne dato, potest Deus ma-

August.

Terz. id scato in  
cordat. d. 24. et 6.  
ier. 3. q. 7. et  
27. xi. ad 3. et  
clarus ar. 12. ad  
2.

Och. 1.  
d. 17. q. 8.

iorem efficere: non tamen potest infinitum ignem efficere. Item non tot  
 individua eiusdem rationis potest Deus procreare: quin multo plura pos-  
 sit procreare: non tamen potest individua actu infinita procreare: nam  
 semper id quod actu ponitur, est finitum, & finitum semper adiungi-  
 tur finito: ergo non tot potest efficere quin plura possit efficere, nunquam  
 tamen ad individua infinita vis diuina perueniet: alioqui si ad infinita per-  
 ueniat, iam non erit in infinitum progressio: quandoquidem infinita illa  
 multitudine progressio insisteret, neque enim ultra infinitum vllus iam am-  
 plius relinquitur progressioni locus. Ad eundem modum ut possit infinite augeri  
 gratia: & quauis data gratia possit diuinitus contentior: & perfectior dari: non  
 tamen gratia infinita dabitur: siquidem id quod actu ponitur, semper est finitum,  
 iam vero finitum additum finito, etiam infinites, nunquam efficit aliquid infinitum.  
**CVM** ergo dicitur fieri progressum in infinitum, siue secundum magnitu-  
 dinem, siue multitudinem, id syncategorematicè accipiendum est, id est,  
 non tot aut tanta effici possunt, quin plura aut maiora possint effici: non ta-  
 men ex infinito syncategorematicè, infinitum categorematicè concluditur.  
 Est autem infinitum categorematicè, infinitum nominaliter, hoc est, res vel exten-  
 sione, vel intensione, vel multitudine infinita: infinitum vero syncategorematicè,  
 est infinitum aduerbialiter, quod est aliud nihil quam progredi infinite, & nunquam  
 consistere. Datur igitur progressus in infinitum aduerbialiter: non tamen nominaliter.  
**PRÆTEREA** quauis forma intensibili data, potest Deuseidem recen-  
 tem qualitatis gradum adicere, & auctiorem semper efficere: nullus est igitur  
 contentionis & autionis formæ exitus ac finis. Antecedens ostendetur quā  
 facillime, cum tria fuerint demonstrata: in quibus illud est primum. Quouis  
 individuo dato sub aliqua specie, qua alioqui plura continentur individua: po-  
 test Deus aliud cum prioribus natura consentiens procreare. Namque si id  
 effici non posset, id eueniret: aut quia vis diuina illud non posset efficere, aut  
 quia prioribus individuis repugnaret: non prius: nam Deus id omne quod  
 cadere sub effectiōnem potest, efficere potest: iam vero quocunque individuo  
 dato, est & aliud eiusdem rationis factibile. Erenim de sententia Arist. posi-  
 ta mundi æternitate: individua sub eadem specie infinita successu quodam  
 erant futura. Non posterius: namque res singulæ eiusdem essentiæ partici-  
 pes inter se minime dissident, quocunque igitur individuo posito, potest  
 & aliud subinde eiusdem rationis accedere, & cum prioribus individuis  
 manere.

**SECUNDO** illud sumimus. Quocunque individuo posito, posse Deum

○ aliud

aliud subinde adicere: priori superstito, ac manente. Etenim cum aliqua inter se se non pugnant, posito vno non proinde tollitur & alterum: iam vero sub eadem specie indiuidua inter se se minime pugnant: non igitur posito vno, consequens est, vt alterum è medio tollatur. Adde, quia summum ac supremum sub aliqua specie indiuiduum, non tollit & alia sub eadem specie indiuidua: nam summe calidum non tollit è medio caetera calida: immo vero & aliud paris caloris particeps potest admittere: non igitur indiuiduum alicuius speciei, loco submouet alterum sub eadem specie indiuiduum.

**TER TIO** illud sumitur, quod si quaedam eadem natura consentientia indiuidua possunt copulari, ac coire: nullis id ipsum eiusdem essentiae indiuiduis repugnare: nam quod conuenit vni indiuiduo, potest & alteri eiusdem rationis conuenire.

**HISCE** ita demonstratis, reliqua est antecedentis probatio. Nam forma auctiois particeps ex variis intensiois gradibus, ceu ex multis eiusdem rationis indiuiduis, constat: quo efficitur vt Deus alium subinde eiusdem rationis gradum possit gignere, quemadmodum primo loco demonstratum est, idque manentibus prioribus intensiois gradibus, id quod secundo loco docuimus: itemque recentem gradum antecedentibus adiungere, quod ipsum postremum ostendimus: potest igitur antecedentem formam augere: nam auctio graduum accessione efficitur. Hinc conficit Ochamus non dari summam qualitatem, ceu summum calorem, aut summam gratiam simpliciter, sed quouis calore, aut quouis gratia data, posse perfectiorem: ac intensiorem dari, fierique in infinitum progressionem: nunquam tamen ad infinitam qualitatem perueniri, &cæt. Ac hæc mihi sententia vehementer probatur: cum autem dicimus ignem esse summe calidum: id sic est accipiendum: nihil in iis quæ sunt, esse igne calidus: non tamen continere summum caloris gradum possibilem: potest enim calori ignis fieri accessio.

**HOC** tamen loco existit haud contemnenda dubitatio. Vtrum scilicet formæ auctiois participi, infinita accessio in re subiecta fieri possit?

Gab. 3.  
d. 13. q. 1.  
ar. 1.

Gabriel respondet, bifariam quæstionem explicari posse, vno modo negatè: nempe quod res alicui formæ subiecta, certum sibi contentiois ac perfectionis gradum vendicet, vsque adeo, vt maiorem, neque vi diuina, possit recipere. Quare si res ita habet, datur summa gratia, quæ in natura intelligentiæ particeps recipi potest: non tamen summa simpliciter, &

abso-

absolute.

CÆTERVM affirmanter putat Gabriel quæstionem esse explicandâ: idque adhibita distinctione siue distributione. Nam susceptiua formæ, quæ contēdi, ac remitti potest, aut interitus sunt expertia, aut possunt interire, hæc vero ipsa aut simplicia sunt, aut mista. Ponuntur igitur tres assertiones sententiæ Gabrielis consentaneæ.

PRIMA assertio. Receptiuum qualitatis incorruptibile, potest quantumuis formæ illius perfectionem recipere. Nam animus potest quantumuis gratiam recipere, id vero ita ostenditur. Nam si hoc fieri non posset: id eueniret, vel quia vis illa siue substantia receptrix qualitatis, eiusdem excellentia siue exuperatione interiret: vel quia proportio, siue mensura perfectionis responderet proportioni & mensuræ perfectibilis: vt scilicet excellentius perfectibile, sit excellentioris perfectionis receptiuum: vel ad extremum, quia receptiuum aliquid haberet ex se se, quod quantocunque gradui formæ repugnaret: ac proinde certus sibi esset gradus à natura præscriptus. Ac primum illud non officit, nam susceptiuum est incorruptibile, & materiæ, & corporis expertis: huiusmodi autem susceptiuum exuperatione non læditur, aut absumitur: sed expolitur potius, ornatur, & perficitur. Id quod est etiam apud Aristot. 3. de anima libro. *Arist.* Non enim inquit, summum intelligibile, vim intelligendi lædit aut hebetat, sed perficit potius & exacuit. Illud vero secundo loco positum non est impedimento: namque proportio, ac mensura perfectionis, non respondet proportioni, & mensuræ perfectibilis, quod ipsum iam supra docuimus: alioqui nunquam homo posset beatis illis mentibus gratia, cognitione & beatitudine æquari: contra quod veteres sentiunt. Nam & virgo illa Deipara summos Angelos, gratia, & beatitudine longissime superauit, & cætera. Neque est ad extremum vlla repugnantia vltiori gradui: nam receptiuum formæ in quam cadit contentio, est ad parendum Deo idoneum: ac proinde potest quencunque gradum recipere, quem potest Deus ipse procreare. Est igitur effectum id quod erat propositum.

SECUNDA assertio. Receptiuum qualitatis, quod ipsum est simplex ceu elementum, quantumuis propriæ, & ingenitæ qualitatis potest recipere. Etenim ignis potest recipere quantumlibet calorem: nempe qui calore perficiatur, non lædatur: vt pote qui sit naturæ ignis conueniens.

**TERTIA** assertio. Receptiuum qualitatis, quod ipsum est corpus mixtum, non quencunque qualitatis gradum potest recipere. Huic assertioni fides experimento vel maxime conciliatur. Nec enim lignum salua, ac conseruata natura potest quantumuis ignis ardorem, caloremue concipere, Verum tamen diuina vi effici possit, vt lignum vel contentissimum calorem recipiat, addubitat Gabriel: nam & si res quæque ita à natura sit instituta, vt certam qualitatem: certumque qualitatis gradum concipiat, diuina tamen, omneque naturæ præscriptum exuperante vi, contra effici posse videtur. Nam quæ vis potuit efficere, vt ignis puerorum corpora sibi admoda non exureret, sed refrigeraret potius, cur non eadem præstiterit, vt corpus mixtum quantumuis ignis ardorem concipiat, interim tamen maneat, ac supersit? Item vis illa diuina quæ hominis mentem incorpoream, & indiuiduam, in materia corporea: ac diuidua inclusit, non ne gratiam, scientiam & cætera huius generis accidentia in lapide poterit collocare? Adhæc, vis illa quæ accidentia, quæ suapte natura hærent in rebus subiectis, citra rem subiectam per se existentia conseruare valet: non ne quantumuis qualitatis contentionem, in quouis subiecto conseruauerit? Certe id minus videtur impossibile. Hæc assertio mihi probatur, nam diuinæ efficacitati illud solum detrahendum est, quod apertè continet repugnantiam, hæc vero non continent huiusmodi repugnantiam.

**Q V** O circa illud asserendum est, rei cuique à natura esse modum quendam, cum essentiæ, tum perfectionis impositum, ac præfixum, quem vis naturæ non potest excedere, potest tamen ille modus vi diuina excedi, quæ ipsa infinita est, & certe cuius rei nõ est addicta, sed quauis re data potest meliorem, ac præstantioré efficere.

**I A M** aduersaria huic sententiæ argumenta diluamus. Primum illud Thomæ argumentum ita diluitur. Concedimus animam Christi fuisse Deo proxime coniunctam, ac proinde maximam omnique gratia data maiorem, non tamen omni possibili perfectiorem gratiam fuisse consecutam.

**A D** secundum. Damus illud esse maxime calidum, quod est efficiens vt cætera sint calida, hoc est, omni dato calido esse maius, non tamen continere omnem calorem possibilem. Ad eundem modum Christi gratia est omni data gratia perfectior, non tamé omnem perfectionem gratiæ creabilem complectitur.

**A D** tertium, facile & sine vlla tergiuersatione aduersariis concedimus: id  
quod

quod fini destinatur, esse eadem fini accommodatum: ac proinde cum hypostatica coniunctio sit omnium maxima, esse etiam gratiam illi respondētem, omnium maximam ac plenissimam, nō tamen omni possibili ac creabili maiorem.

**CONTRA** potest obiici. Nihil potest effici à deo maius coniunctione hypostatica, nulla igitur gratia potest esse maior ea quæ illi respondet. Dicimus nullam gratiam posse esse maiorem: iuxta diuinæ sapientiæ institutum, siue diuinæ voluntatis decretum: præuidit enim Deus summum & excellentissimum gratiæ gradum, quem donare decreuit, hunc ipsum donauit animo Christi: nempe quem ad summam, omniumque maximam vnionem prouexerit: cuique summam beatitudinem tribuerit. Cæterum potuit Deus vi illa diuina, immensa & infinita, multo præstantiorem gratiam efficere: etenim vis diuina, non est certæ rei alicui ac definitæ addita: sed quauis re data, potest excellentiorem pulchrioremque perficere: fuit igitur Christi Domini gratia summa: plenissima, omnemque datæ gratiæ mensuram excedens: estque omnem perfectionem gratiæ possibile de lege ut ita loquar, non tamen omnem possibilem simpliciter, & per relationem ad immensitatem diuinæ potentia, complexa.

**HÆC** porro gratia dici potest infinita sub hoc sensu, scilicet omni data gratia excellentior, siue omnipossibili iuxta decretum sapientiæ diuinæ, & voluntatis, non tamen simpliciter. Thomas Argentinus in hac eadem est sententia, non enim putat illam Christi gratiam fuisse simpliciter infinitam, sed comparatione cum gratia ea, quam pij viri consequuntur, nulla enim illi proportionem respondet, quemadmodum nec punctus lineæ, ut sit linea, qua cum comparatur finita.

Argēt. 34  
d. 13, q. 3

**D.** vero Thomas si putat gratiam Christi ita esse infinitam, ut omnem perfectionem gratiæ simpliciter, ac creabilem contineat: certe falso opinatur: estque hæc eius sententia cum ipsius decretis pugnant. Nam ipse idem .i. p. q. 10. ar. 6. tradit Deum posse quacunque creatura data, præstantiorem, quoad accidentia efficere: nec vspiam diuinam potentiam insistere. Quare si Christi gratia omnem perfectionem gradualem possibilem continet, infinitos igitur gradus gratiæ posibles continet, ac proinde illa gratia esset infinite perfecta: infinite inquam simpliciter, hoc vero falsissimum est, sola enim diuina natura est perfectionis simpliciter infinitæ capax, relinquitur & illud esse falsissimū, cuius est cōs, scilicet gratiam Christi continere omnem perfectionem gratiæ possibilem simpliciter, ac creabilem.

CERTE si D. Thomæ verba. 3. q. 7. ar. 12. in responsione ad secundum attentius expendantur, facile intelligetur. D. Thomā hanc perfectionem, summā possibilem, ad diuinæ sapientiæ decretum relatam esse voluisse: sicut enim ait. Nihil Deus potest melius efficere vnione personali, cui respondet talis mensura gratiæ, iuxta definitionem diuinæ sapientiæ. Ecce quam aperte mensuram gratiæ Christi contineri dicit decreto diuinæ sapientiæ? Tanta igitur extitit illa Christi gratia, quanta esse potuit, iuxta præscriptum diuinæ sapientiæ, non tamen quanta esse potuit absolute, etiam iuxta sententiam D. Thomæ. 3. q. 10. ar. 4. ad. 3.

3. dist. 13. q. 4. LICHETVS, Ochami sententiam comprobat, Scoti vero sententiam sic putat esse tuendam, vt dicatur Christi gratiam fuisse summā possibilem, etiā de potentia absoluta, per relationem ad subiectū gratiæ capax, nō tamen per relationem ad ipsam gratiam simpliciter. Etenim quæquæ res non solū certā qualitatem, verum etiam certum qualitatis gradū sibi vendicat: ita. s. vt maius aliquid, neq; vi diuina absoluta, possit percipere. Quo efficitur vt animæ Christi sit tanta tributa gratia, quantam de potentia absoluta, potuit capere, non tamen illa gratiæ perfectione diuina vis immensa terminata est, nam creaturæ capaciōri, potuit excellentiorem gratiam tribuere. Hoc ipsum videtur sensisse D. Tho. 3. q. 7. ar. 9. ad. 3.

3. dist. 13. q. 1. DVR. asserit Christi gratiam ita fuisse perfectam, tam intensiue quam extensiue, vt ad extremum peruenerit: neque potuerit esse gratia contentior in specie gratiæ. Si hanc summam contentionem metiendam esse putat potentia diuina, quæ dicitur ordinata, recte sentit, sin minus, falso opinatur.

Caiet. 1. quest. 10. ar. 6. Reliqua est argumentorum Scoti explicatio. Primum illud argumentum Scoti, ita diluitur. Damus fieri progressum in infinitum: negamus tamen consecutionem, scilicet dari aliquam gratiam infinite distantem ab A, nam inter infinam & quancunque aliam signabilem, semper interiacet finita distantia. Adde, quia aliud est progredi in infinitum nominaliter, id est, in aliquod vnum numero infinitum, & progredi in infinitum aduerbialiter, scilicet infinite, quod ipsum est aliud nihil, quam nunquam ad extremū peruenire, sed semper ad aliquod ita venire, vt interim aliquid vltterius, quo veniri possit supersit. Iam vero hoc posteriori modo nos damus, progressum in infinitum, non priori quemadmodum putant aduersarij. Gabriel eodem profus modo hoc ipsum argumentum diluit: etenim aduersarius ex infinito syncategorematice, infinitum simpliciter, & categorematice concludit.



AD secundum, assumptione sumitur aliquid falsi, scilicet esse gratiam aliquam infinite distantem ab A, nam inter A, & quancumque aliam signabilem est finita distantia. Adhæc illud sumitur dari extremum infinite distans ab extremo: id quod repugnat progressui in infinitum: numquã enim venit ad extremum. Concedimus præterea Deum cernere infinitos gradus gratiæ creabiles, nõ quidem categorematice, sed syncategorematice, id est, nõ tot videt, quin plures possit videre. Contra obiici potest, videt omnes creabiles & illi non sunt finiti: ac certo numero comprehensi, alioqui non fieret in infinitum progressus: cernit igitur infinitos. Dicimus cerni omnes distributim, id est, hos & illos, & quoscunq; demonstrabiles, non tamẽ omnes collectim, nam tum daretur extremus gradus, id quod fieri nequit.

CONFIRMATIONI ita occurritur, vt dicatur calorem posse contendere infinite syncategorematice, ac proinde vim diuinã infinitam posse quocunq; calore dato, calorem contentiorẽ efficere.

AD tertium, si accipiatur infinitum syncategorematice, concedimus id quod sumitur: nam non tot gratiæ, siue tanta gratia est actu, quin plures, vel maior gratia possit esse actu, nunquam tamen erunt infinite actu, aut infinite perfecta actu.

AD quartũ, illa gratia quantacumq;, ponitur in esse in singulis diuisim sumptis: & distributim, non tamen collectim: nam quantavis gratia potest Deus efficere maiorẽ. Nunquam tamen effecerit infinite perfectionis gratiam.

## DE CAPITALI GRATIA

Christi.

### Quæstio. III.

*Vtrum gratia Christi capitalis, distinguatur à gratia habituali eiusdem Christi Domini, necne?*

CHRISTO triplex gratia attribuitur, vnionis scilicet gratia, habitualis, & capitalis. Gratia vnionis posita est in coniunctione diuinæ personæ cum humana natura, quæ coniunctio ob id gratia dicitur, quoniam diuinum esse: & diuina personalitas, diuino sine munere, humanæ naturæ communicata. Gratia vero habitualis, ad habitum refertur in animo Christi

inherentem, eumque formaliter perficientem: quatenus homo quidam singularis est. Gratia vero capitalis Christo conuenit, quæ est caput ecclesiæ. Ac gratiam vnionis secerni à gratia habituali, satis constat: vtrum vero gratia habitualis, quæ Christum perficit qua singularis homo est, sit distinctum aliquid ab ea, quæ Christo conuenit, quatenus est caput ecclesiæ, quæstio est. Pro cuius explicatione nonnullas subiungimus conclusiones.

**PRIMA** conclusio. Christus est caput ecclesiæ. Huic conclusioni suffragatur in primis diuinæ scripturæ authoritas. Etenim Paulus ad Ephesios primo, de Christo loquens, sic ait. Ipsum dedit caput super omnem ecclesiã, quæ est corpus ipsius, & plenitudo eius. Ratione deinde hoc ipsum ita ostenditur. In capite humano tria cernuntur: ordo scilicet, perfectio, & virtus: ordo quidem: quoniam inter cætera corporis membra summum, ac principem locum obtinet, id que non solum secundum situm, est enim summa ac suprema animalis pars, verum etiam secundum naturales differentias positionis, quæ certas in animali partes sibi vendicant. Ac summa & suprema, secundum naturalem situs differentiam, in animali pars ea dicitur, à qua alimentum trahitur, id quod cum capiti conueniat, sequitur summum & superum in animali, esse ipsum caput. Dignitate etiam, & perfectione caput cæteris membris antecellit: quoniam in ipso insident omnes sensus tam interni, quam externi, cum tamen in cæteris membris, vis solum tactrix reperitur. Postremo virtute præcellit ipsum caput, quoniam virtus cæterorum membrorum, & gubernatio, & actionum naturalium administratio, è capite ois descendit, propter vim sensificam, & motricem in capite vigentem, ac dominantem. At hæc tria Christo Domino, per comparisonem ad ecclesiam spiritualiter conueniunt. Etenim gratia Christi est prima, non quidem ordine temporis, sed secundum habitudinem causæ exemplaris, namque ad ipsius exemplar tributa est gratia hominibus saluandis, iuxta illam D. Pauli sententiam, quos præsciuit, hos prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus, non solù ortu & generatione, etenim coæternus est Patri, primogenitus ante omnem creaturam, verum etiã gratia & excellentia, quæ se habet ad gratiam omnium electorum veluti exemplar, non quidè tempore antecedens exemplata, sed veluti finis animo propositus, hoc est, vt exemplar conceptum. Cernitur etiam in Christo summa gratiæ perfectio, nempe in quo insit omnium gratiarum plenitudo, quæ admodum iam supra docuimus. Postremo vim habet in ecclesiam, quæ est corpus ipsius influendi, vt pote ex quo tanquam ex vberissimo omnium gratiarum fonte,

Ephes. 1.

Rho. 8.

fonte, vita & gratia in cetera ecclesie membra redundet, quemadmodum testatur D. Ioannes, de plenitudine eius, inquit. Nos omnes accepimus. Ita fit ut Christus caput ecclesie aptissime dicatur.

Ioan. I.

EXISTVNT tamen hoc loco nonnulla, que dubitationem afferunt. Principio enim non videtur Christus apte capiti comparari, quoniam caput est particulare membrum vim omnem, & influxum recipiens à corde, at Christus est vniuersale principium totius ecclesie, minus igitur apte capiti comparatur: cum fuisset potius cordi comparandus.

PRÆTEREA capitis non est caput, at caput Christi Deus, quemadmodum testatur D. Paulus, non est igitur Christus caput.

1. Cor. II.

POSTREMO, idque difficilius dubitatur. Namque in capite vis inest in cetera membra influendi, ut pote ex quo sensum & motum cetera membra accipiant, at hæc vis influendi non videtur vlllo modo posse Christo conuenire: nam vita spiritualis, quæ interuentu gratiæ perficitur, soli Deo refertur accepta: vnde neque Christo homini, authore D. P. Augustino, conuenit dare Spiritum sanctum, minus igitur apte Christus per comparationem ad ecclesiam capiti comparatur.

Aug. de Trin.

HÆC non sunt explicatu difficilia. Primum igitur argumentum diluitur maioris propositionis explicatione. Nam quauis caput sit membrum particulare, manifestam tamé habet eminentiam respectu cæterorum membrorum, cor autem occultam habet influentiam. Ex quo fit, ut iure optimo Christus capiti, Spiritus vero sanctus cordi ecclesie comparetur. Christus quidem capiti comparatur, quoniam secundum visibilem naturam, cuius interuentu homo est, cæteris hominibus antecellit: Spiritus vero sanctus cordi assimilatur, quoniam interno quodam, & inuisibili influxu in ecclesiam influit, eandem viuicans, & vniens.

VEL certe dici potest, virtutem attribui capiti humano, respectu virium, ac motuum cæterorum membrorum: non tanquam primo inter cetera membra principio, sed tanquam comprincipio, ut ita loquar, primi simpliciter membri, nempe cordis, ex corde siquidem vis omnis, & motus cæterorum membrorum, interuentu capitis, pendet. Ad hunc etiam modum. Dominus IESVS Christus, est veluti Spiritus sancti comprincipium: qui est cor ipsius ecclesie, idque quoad vim, & motum cæterorum membrorum ecclesie. Vnde ad Coloss. 2. Christus ecclesie caput dicitur, ex quo tanquam ex com-

Coloss. 2

principio, corpus ecclesie per nexus & coniunctiones subministratum, & constructum, crescit in augmentum Dei.

AD secundum respondetur capitis naturalis non esse caput, at capitis per similitudinem dicti, nihil est incommodi esse caput. Nam & corpus per similitudinem dictum, hoc est, multitudo aliqua recte constituta, esse potest pars alterius multitudinis, quemadmodum multitudo domestica pars est multitudinis civilis. Ex quo fit, ut pater familias, qui est caput domesticæ multitudinis, subsit præfecto civitatis, qui est caput civilis multitudinis. Christus autem caput esse dicitur ecclesiæ per similitudinem, non per proprietatem. Quemadmodum enim tota ecclesia vnum corpus mysticum esse dicitur per similitudinem humani corporis, ita etiam Christus caput ecclesiæ dicitur, per similitudinem humani capitis.

Rho. 12.

11. 10. 2. 1

Thom.

3. p. 9. 8.

ar. 1. ad. 2.

TERTII argumēti difficilior est explicatio. D. Thomas ad minorem propositionem respondet inquit, tum Deo, tum Christo convenire dare gratiam, & Spiritum sanctum: sed Deo id referri acceptum tanquam auctoritatis, & gloriæ, Christo vero ceu instrumento coniuncto, Deo ipsi cooperanti ad gratiæ infusionem. Vnde actiones Christi Domini, qua homo erat, fuere nobis, ex vi ipsius diuinitatis, cui hypostatice erat coniunctus, salutiferæ: ut quæ in nobis gratiam efficerent, non per meritum solum, verum etiã per efficientiam quandam, eamque instrumentariam. Hæc Thomas nobis tradidit tertio summæ Theologicæ libro: quæ tamen eius doctrina, non videtur cum aliis doctrinæ ipsius decretis congruere. Etenim primo Theologicæ libro docet nullam creaturam posse creare, non modo non principaliter, sed neque instrumentarie, at hoc loco tradit Christum ad effectum gratiæ instrumentarie concurrere, non videtur igitur sibi constare.

Thom. 1.

p. 9. 45.

ar. 5.

Cap. 2.

sec. d. 1.

q. 3.

SVNT qui hunc nodum sic dissoluendum putent ut dicant, creaturam posse in creatione cum Deo concurrere, non quidem rem quæ creatur, modo aliquo attingendo: sed materiam præparando, in qua res quæ creatur recipitur, non ex qua educitur. Hoc modo concurrat homo cum Deo in procreatione animæ rationalis, materiam scilicet receptui ipsius animæ præparando, non autem animi ipsius entitatem attingendo. Ita cum creatur aliquid, re subiecta præposita, & præexistente, nihil est incommodi naturale agens concurrere, materiam ipsam rei creandæ præparando. Quæ eius actio sic antecedit passivam creationem illius formæ, ut ipsi necessitatem afferat: necessitatem inquam naturalis ordinis. Hoc modo, inquiunt, Christi humana natura, & sacramenta, quæ sunt sensilia rerum insensibilium signa, gratiam cum Deo efficiunt, non quidem gratiam ipsam attingendo, sed aliquid efficiendo per modum dispositionis, id quod esse censent creare gratiam instrumentaliter.

ALLII

ALII huic difficultati longe aliter occurrunt. Negant enim gratiam creari, id quod ex eo colligunt, quia gratiæ desitio, non sit annihilatio, sed gratiæ infusionem ad genus pertinere aiunt spiritualis immutationis, quæ non ad naturæ, sed ad gratiæ ordinem spectat. Ex quo fit, vt gratiæ infusio, non sit gratiæ procreatio, sed creature rationalis quædam immutatio secundum esse supernaturale, idque secundum potentiam, non quidem naturalem, sed obedientialem, in ordine ad coelestem beatitudinem. Hæc porrò immutatio dicitur gratificatio, siue iustificatio: ad quam vis creature per modum instrumenti potest attingere, hoc siquidem non est communicari creature vim, ac potentiam creandi instrumentarie, sed immutandi instrumentarie. Ita fit vt effectus hic, qui est hominis gratificatio, & à Deo proficiscatur, & à Christo homine, à Deo quidem per authoritatē, & principaliter, ab homine vero Christo instrumentarie, ad restauranda omnia quæ in coelis, & in terris sunt. Fit præterea, vt effectus hic qui est gratificatio, partim sit à Deo immediate, hoc est, nullius mediij interuentu, partim vero mediate, hoc est, interuentu creature cooperantis per modum instrumenti. Est siquidem à Deo immediate, quatenus ibi interuenit quodammodo creatio, quæ est ipsa gratiæ infusio, qua vero ibi interuenit animi immutatio secundum esse supernaturalis ordinis, in ordine ad coelestem beatitudinem, est à Deo interuentu humane Christi nature instrumentarie concurrentis.

EXISTIT tamen hoc loco dubitatio. Nam gratificatio non fit nisi interuentu gratiæ, quemadmodum albefactio fit interuentu alboris, quare si humana Christi natura attingit gratificationem ceu instrumentum, efficitur vt gratiam quoque instrumentarie attingat, hæc vero cum quodammodo creetur, relinquitur vt creatura instrumentarie concurret ad creandum, non solum materiam præparando rei creandæ, verum etiam attingendo rem ipsam creandam. Non abnuit Caietanus gratiam attingi instrumentarie humana Christi actione, non primo tamen, sed quadam consecutione. Quia enim actio humana Christi ad huiusmodi spirituales immutationes se extendit instrumentarie, hinc fit vt gratiam quoque instrumentarie attingat.

SVNT qui negent maiorem illam propositionem, vel certe sic interpretandam putēt. Gratificatio fit interuentu gratiæ informantis ipsam animam, nõ quidem necessario, cum Deus possit efficere aliquem sibi gratum & charum, nulla huiusmodi formæ appositione, & adiunctione, sed lege à Deo instituta, cum igitur iuxta legem à Deo institutam nemo gratificetur, & charus Deo efficiatur, nisi interuentu gratiæ, fit vt humana Christi natura, quæ est causa gra-

Caiet. 3.  
p. 98. ar.  
1. ad. 1.

Ephes. 1.

Solut.  
Sect. 4.  
sent. d. 1.  
q. 3. ar. 1.

gra-

gratificationis instrumentaria, sit quoque causa gratiæ, non quidem ipsam attingendo, sed quia actione instrumentaria posita, Deus cõcreat illam qualitatem, quæ est gratia. Ita fit, vt humana Christi actio sit immediata causa gratificationis, eaque instrumentaria, gratiæ vero, quæ concreatur, mediata, & quadam consecutione.

DICI potest apertius, & planius, non esse firmam illam consecutionem. Humana Christi natura est effectrix causa gratificationis, igitur & gratiæ, quandoquidem eueniat, vt dicatur aliquid efficere aliquid simpliciter, & tamen neutram ipsius partem efficiat, sed solam efficiat vnus cum altero coniunctionem. Etenim homo simpliciter gignit hominem, qui idem tamen neq; formam neque materiam efficit, sed solam efficit formæ cum materia coniunctionem. Ad eundem modum: humana Christi actio est instrumentum immediatum efficiendi hominem Deo gratum: gratiam tamen ipsam nõ attingit, nisi forte quadam consecutione, quia scilicet adhibita actione instrumentaria, Deus qualitatem illam, quæ est gratia, procreat. Et hætenus humana Christi natura, & sacramenta, dicuntur esse causæ gratiæ.

ITA firma & solida stat catholicæ veritatis assertio, Christum scilicet qua homo est, in vniuersum ecclesiæ corpus, ceu caput influere, vitam spirituale, quæ gratiæ interuentu perficitur, largiendo, hominesque Deo gratos efficiendo, iuxta Pauli sententiam, in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificauit nos in dilecto filio suo.

CÆTERVM cum humana Christi natura constet, cum ex animo, tum ex corpore, nos etiam ex animo & corpore constemus, addubitari hoc loco merito potuit, anne vis hæc influendi Christo conueniens tanquam capiti, cum animo, tum corpori ipsius conueniat, ita scilicet vt animus Christi in animos nostros, corpus vero influat in corpora? Dicimus vim influendi toti humanitati Christi conuenire, animo scilicet & corpori: sed primum quidẽ in animos: deinde vero & secundario in corpora hominum influere. Hoc facile intelligetur: si duo fuerint constituta. Illud est prius: corpus humanũ habere duplicem ordinem ad animam, siue duplicem habitudinem, scilicet materiæ ad formam: & instrumenti ad principalem motorem, ex qua habitudine mutua oritur vtrinque communio: vt scilicet corpus accipiat ab anima, & contra animus accipiat à corpore.

POSTERIVS vero illud est: humanam Christi naturam, ex sui cum verbo personali coniunctione, vim consequi influendi, cumque corpus coniunctum sit verbo mediante anima, efficitur vt corpus vim influendi accipiat

ex verbo interuentu animi. Hinc iam aperte cōcluditur, id quod erat ad ostēdendum propositum: totam humanā Christi naturam, animā .f. & corpus: in totū hominē, animū .f. & corpus influere: cæterū vis hæc influendi, animo Christi principaliter, corpori verò secundario conuenit: quemadmodum etiam ex parte recipientium influxum, animus ipse primum recipit, deinde corpus, idq; cum per modum ministerij, tum per modum deriuationis. Per modum quidem ministerij: quoniā cum anima iustificatur diuino & cælesti munere, tum animus ipse diuinitus afflatus, & ad studium colendę virtutis excitatus, corpus mouet ad assequendam, tuendā, augendamq; animi iustitiā: ex quo efficitur vt corpus hominis secundario: & vt minister animi, à Deo animam iustificante moueatur. Per modum verò deriuationis: quoniā in resurrectione mortuorum, cum animæ corporibus adiungētur, gloria, splendor, vigor, & immortalitas ex animis in corpora deriuabitur. Itaque fiet vt à glorificante animā, corpus etiam secundario glorificetur, animi ipsius gloria in corpus redundante: iuxta illam Pauli sententiā ad Rhom. 6. positam. Qui suscitauit Christum IESVM à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra, propter inhabitantem spiritum eius in uobis.

SECUNDA conclusio. Christus est caput omniū, non modo hominum, uerum etiam Angelorum. Quod attinet ad priorem conclusionis partē notandum, hoc interesse inter corpus mysticum: & corpus naturale: quoniam naturale corpus constat ex omnibus suis partibus simul, corpus verò mysticū non item, neque quantum ad esse naturæ, quoniam corpus ecclesiæ ex omnibus omnium ætatum hominibus conficitur, neque quantum ad esse gratiæ, siquidem eorum, qui vno & eodem tempore existunt: alij diuinę gratiæ sunt participes: alij verò eiusdem sunt expertes: quandoque tamen habituri. Ita fit ut membra ex quibus vniuersū ecclesię corpus conficitur, partim sint actu, partim potentia, quæ ipsa vel tandem aliquando ad actum reducetur: vel certe nunquam reducetur: quanuis potuerit ad actum traduci. Illud est præterea annotandum, sex esse hominum gradus & status: quibus omnes omniū hominū differentię & status continentur. Ac primum quidē gradū obtinent ij, qui beato æuo cū Deo fruuntur, huc pertinent omnes qui Christo capiti immutabiliter coniunguntur, quique ad extremeum iam peruenerunt. Secundus gradus est viatorum, qui præterquam quod fide, amore etiam & charitate Christo coniunguntur. Sub hoc gradu continentur tria hominum genera, quorum alij extra viā non sunt omnino, veluti ij qui purgatorio igne cruciantur: alij verò sunt illi quidem simpliciter viatores, sed horum alij sunt prædestinati

destinati ad vitam æternam: alij vero Christo charitate coniuncti, secundum præsentem iustitiã tamen, qui ipsi sunt diuinitus reprobati.

AC hi inter se partim conueniunt, partim differunt, conueniunt quidem: quoniam illi omnes sunt membra Christi actu, differunt tamen, quoniam duo illa priora hominum genera sunt membra Christi simpliciter, posterius vero in membris Christi numeratur, non simpliciter, sed ex parte, hoc est, secundum præsentem iustitiam solum.

TERTIUS gradus est eorum, qui sola fide Christo iunguntur, quorum alij ad vitam æternam sunt destinati, alij vero sunt sempiternos cruciatus subituri præuisi. Vtrique vero in membris Christi actu habentur, quoniam fide Christo adhærescunt: sunt tamen membra Christi imperfecta, quoniam imperfecte, hoc est, per fidem informem, Christo coniunguntur. Etenim fides, & gratia hominem Christo cõiungunt, fides quidem ex parte, gratia vero simpliciter & omnino. Vnde & hi, qui fide sola Christo adherescunt, influxum illi quidem vitæ à Christo recipiunt, vitæ inquam imperfectæ, quæ in actione fidei posita est, veluti si membrum mortificatum ab homine moueatur. Nam & fides sine operibus mortua est.

iacob. 2.

QVARTVS gradus est eorum, qui fidei nondum sunt participes, sunt tamen beato quo fruendo destinati. Hi sunt membra Christi potentia, quæ aliquando tamen, sempiterna Dei voluntate & instituto, ad actum traducuntur, ad actum quidem fidei & charitatis in via, ad actum vero fruitionis in patria. Huc non incommode referri possunt & illi, qui fidei non sunt participes, sunt tamen præuisi habituri fidem, & gratiam: & charitatem viæ duntaxat.

QVINTA sedes, siue quintus gradus ei hominum generi est assignatus, qui sic Christo potentia coniunguntur, vt ea potentia nunquam sit ad actum traducenda, neque perfecte, neque imperfecte, quia scilicet, neque ad charitatem viæ, neque ad fidem informem sunt vnquam peruenturi, cuiusmodi sunt homines perpetuo infideles.

SEXTVS est hominum gradus & status, qui in membris Christi, neque actu, neque potentia habentur: sunt autem ij, qui in damnationem æternam incurrerunt, siue in vita degentes aliquando habuerint fidem, & charitatem, vt Christiani damnati, siue nunquam habuerint, ceu perpetuo infideles. Interest tamen inter hosce, quoniam Christiani damnati sic desierunt esse membra Christi, vt non solum à potentia, verum etiam ab actu exciderint, etenim aliquando membra Christi actu fuerunt: at infideles à potentia duntaxat

exci-



exciderunt. Nam cum in vita degerent, erant potentia membra Christi, potentia inquam, quæ posset ad actum traduci, at cum è vita decesserunt, suntque æternis suppliciis perferendis addicti: eam omnino potentiam amiserunt.

**HINC** iam intelligitur Christum esse caput omnium hominum, non tamen æque, sed per quosdam gradus, iuxta varios hominum, quos exposuimus, status. Nam primum & principaliter est caput eorum, qui sibi per coelestis beatitudinis gloriam immutabiliter coniunguntur, deinde cæterorum, quos enumerauimus, exceptis damnatis, qui quoniam neque actu, neque potentia Christo coniunguntur, omnino alieni sunt à capite Christo.

**PORRO** Christum esse caput Angelorum, hac ratione ostenditur. Homines & Angeli vni & eidem fini, gloriæ scilicet coelestis beatitudinis percipiendæ destinantur, igitur corpus mysticum ecclesiæ non solum ex hominibus, verum etiam ex Angelis coalescit, etenim per similitudinem vni corpus dicitur, quæcunque vna multitudo ordinata ad vnum finem per diuersas actiones, munera, & officia. Cum igitur vniuersa hominum & Angelorum multitudo vni sit fini destinata, cernaturque in ipsis, diuersitas munerum & actionum in ordine ad illum finem, sequitur vt vnum, corpus mysticum conficiat: At vnius corporis est caput vnum: vniuersæ igitur ex hominibus & Angelis conflatae multitudini vnum est caput statuendum, quod ipsum Christus est, vtpote qui Deo sit coniunctior, & propinquior, & de cuius plenitudine, non homines modo, verum etiam Angeli accipiunt. Est igitur Christus non hominum modo caput, verum etiam Angelorum. Huic conclusioni suffragatur diuinæ scripturæ authoritas, etenim à D. Paulo sic de Christo dictum legimus, constituit eum Deus pater ad dexteram suam in coelestibus, supra omnem potestatem, & principatum, & virtutem, & dominationem, & omne nomen quod nominatur, non solum in hoc seculo, verum etiam in futuro, & omnia subiecit sub pedibus eius. Vnde Matthæi quarto legitur, accessisse Angelos, & Christo ministrasse: quod eorum ministerium argumento est, Christo Angelos esse subiectos, nam inferior est qui ministerium exhibet, & obsequium.

Ephes. 6.

**NEQVE** est quod tibi hoc loco scrupulum illud iniiciat, quia in capite requiratur naturæ cum membris consensio, quæ tamen ipsa in Christo homine per comparisonem ad Angelos, minimè cernitur: nam etsi Christus naturæ specificæ societate cum Angelis non iungatur: coniungitur in generis communitate. Namque Christus est caput hominum præcipuè quo ad animas, quarum interuentu homines & Angeli, eadè generis societate continentur.

Neque

**NEQVE** est etiam quod illud te moueat, quia nulla res corporea agit in rem omnino à materia separatam: ac proinde non videatur humana Christi natura posse vlllo modo in Angelos, mentes abstractissimas, influere. Nam vt id verum sit, si res corporea naturali & propria virtuti, & facultati permittatur, non tamen si superiori, virtuti coniungatur. Quæque enim res vt instrumentum superioris virtutis, potest aliquid efficere quod ipsum vi propria efficere non potest. Quemadmodum igitur phantasma, sui cum lumine intellectus agentis coniunctione consequitur, vt agat in animam intellectiuam, ita etiam humana Christi natura, sui cum diuina Verbi persona cõiunctione est consecuta, vt possit instrumentariè in Angelos & animas hominum influere, spirituale aliquid in ipsis efficiendo: atque vt ita loquar, causando.

**TERTIA** assertio. Gratia capitalis Christi, à gratia habituali eiusdem re ipsa minimè secernitur, sed ratione duntaxat. Id verò in hunc modum ostenditur. Idem est actus quo aliquid est actu, & quo agit in alia, quandoquidem vnum quodque quatenus est actu, hactenus in alia vim propriam immittit, idem enim est calor, quo ignis calet, & quo cetera calefacit: Ceterum vt actus quo aliquid est actu, vim habeat in alia agendi illud necessariò requiritur, vt secundum quandam excellentiam habeatur, quadoquidem semper id quod agit, vimque suam in alterum immittit, præstat ei quod vim illam excipit: at in Christi animo recepta est gratia summa excellentia, plenitudine, & eminentia, est siquidem veluti naturalis proprietates, hypostaticæ vnionis consequens, vt iam supra docuimus, relinquatur igitur gratiam illam, qua Christi animus sanctificatus & excultus est, ex hac excellentia consequi, vt sit in alios etiam actiua, at inde consequitur rationem capitæ, est igitur eadem secundum essentiam gratia personalis, qua Christi animus est sanctificatus, & gratia capitalis, per quam alij iustificantur. Differunt tamen ratione, quoniam illa eadem gratia quæ est personalis, efficit formaliter gratum ipsum habentem: quæ verò est capitalis, est principium agendi in alios: iam verò esse gratum, & efficere gratiam non sunt vnū & idem. Cū legis differre ratione gratiæ habituale & personale, intellige, ratione cõcepta, non cõcipiète.

**CÆTERVM** addubitari potest hoc loco: quoniam si habitus distinguuntur per actiones, & munera, sunt autè gratiæ habitualis, & gratiæ capitalis diuersæ actiões & munera: relinquatur igitur esse etiã diuersos habitus, falso ergo asserimus gratiam capitalem, & personalem esse vnum essentia habitum. Argumētum diluitur explicatione maioris p̄positionis. Nam diuersi actus, quorum vnus est ratio & causa alterius, non afferunt habitibus diuersitatē:

& distinctionem: iam vero actio gratiæ habitualis, quæ in coposita est vt sanctum formaliter efficiat habentem, est causa & ratio sanctificationis aliorum, id quod ad gratiam capitalē pertinet, ac proinde huiusmodi diuersitas nullā affert habitibus, quoad essentiam, distinctionē.

**QVARTA** conclusio. Essē caput ecclesiæ per internū influxum soli Christo cōuenit, vt qui solus vim habeat instrumētariani iustificādi, propter personalem humane ipsius nature cum Deo coniunctionem, esse tamen caput ecclesiæ per externam gubernationem, est ipsi Christo cum multis aliis cōmune, vnde & Amos 6. dicitur: optimates capita populorum. Interest tamen multum inter Christū & alios, quoniā Christus sic est caput ecclesiæ, quoad externā gubernationē, vt ipsius gubernatio attingat omne tempus, omnem locum, & omnē statum viæ. s. & patriæ: at gubernatio aliorū ad certū vel locum, cuiusmodi est episcoporū gubernatio, qui certē alicui ecclesiæ sunt prefecti, vel tempus, cuiusmodi est summi Pontificis gubernatio, quæ & si certo loco minime definitur, certo tamē tempore, hoc est, quandiu durat Pontificatus, terminatur, vel statum pertinet quandiu videlicet in vita manent, & viatorū statū obtinēt. Interest etiā, quoniā Christus vi propria & autoritate est caput: ceteri vt vices gerētes ipsius Christi. Quocirca illud est à D. Paulo dictū: pro Christo legatione fungimur, tanquā Deo exhortante per nos. Item alibi vicariā virtutē agnoscēs, sic ait: nam & ego quod donauī, si quid donauī, propter vos in persona Christi. Ac de gratia Christi hætenus, iam ad reliqua, quæ coassumpta sunt explicanda pergamus.

Amos. 6.

2. Cor. 5.

2. Cor. 2.

## DE SCIENTIA CHRISTI DOMINI.

### Quæstio. V.

*Vtrum in Christo præter increatam scientiam, fuerit creata aliqua scientia?*

**I**N coassumptis à diuino Verbo est scientia: hæc igitur qualis, quantaque in Christo Domino extiterit, exponendū nobis est: illudq; principio querendum, an ad increatā & diuinam Christi scientiā, aliqua alia, creata illa quidē & humana accesserit? Namq; negationi multa suffragantur. Etenim sciētia rerum cognitione, ceu sine continetur: at Christo Domino interuētū diuinæ scientiæ omnia cognita, comperta, & cōprehensa erant, frustra igitur Christus creatam, humanamue scientiam habuerit.

**A**D hæc omnis sciētia, velest humano studio comparata: vel diuinitus citra

P huma-

humanam operam animo infusa: neutram esse Christo tribuendam, vel hinc maxime constat, quoniam lux maior officit minori, iam vero scientia creata perinde est ad incretam affecta, atq; lux minor ad maiorē: non igitur alia in Christo, præter diuinam, enituit scientia.

ADDE, quia acquisitio scientiæ non congruebat cum Christi excellentia, & dignitate. Nam animus scientiam acquirens: siue doctoris opera, siue inuestigatione propria, successu quodā excolitur, & perficitur: succeditq; inchoationi rei perfectio, & absolutio: iam vero nō cōuenit cum Christi excellentia, aliquid in ipso aliquando inchoatum, ac quasi rude fuisse, deinde temporis progressu perfectum & absolutum. Non fuit igitur in Christo scientia humano studio comparata.

AT dices, fuisse eidem diuinitus infusam omnis rei cognitionem: certe hæc cognitio imperfecta est: si cum diuina cognitione comparatur: iam verò cū adest cognitio perfecta, nullus iam locus relinquitur cognitioni imperfectæ, quemadmodum cum adest cognitio beata, ænigmatica illa, quæque fide continetur, cognitio excluditur. Hæc negationem confirmant.

CÆTERVM affirmatio vera est, cui eidem fides multis argumentis fieri potest. Illud igitur in aperto, & confesso est: Christi animum fuisse perfectissimū. Assumpsit enim Christus naturam humanā, cum corpore, tū animo perfectā: at humani animi perfectio posita est in cognitione ac scientia rerū: Est enim homo animal rationis compos: sciētia vero ratione continetur.

AD hæc, innata est homini immensa quædam veri sciendi, & cognoscēdi cupiditas: id autem quo natura impellit, est rei cuiusq; perfectio, est igitur veri cognitio humani animi perfectio: ac proinde hanc perfectionē non abfuisse animo Christi omnino fatendum est. Quare tribuenda est Christo scientia creata, quæ est humani animi propria perfectio,

ADDE, quia si in Christo nulla, præter diuinā, inesset sciētia: anima Christi nihil prorsus cognouisset: quare & anima frustra fuisset assumpta, ut quæ nō intelligeret: iam vero rei cuique propria actio, ceu si nis, proposita est: & esset omni anima humana imperfectior, imo vero nihil differret à bestiis, seu multis lapidibus: quæ omnia sunt absurdissima.

HOC iam loco nobis occurrit aduersarius inquiring: posita illa sententia, hæc minimè consequi. Nam anima Christi intelligeret, si minus actu intelligēdi creato: certe actu intelligēdi increato ac diuino: cuius particeps esse potuit anima Christi: id quod hisce argumentis ostenditur. Namque Deus sic est beatæ menti adintuendum propositus: ut sit veluti species ac forma intelligibilis

bilis

bilis mentis beatæ: etenim diuina essentia efficit intellectum in actu secundo concurrens non solum vt obiectum, verum etiam vt principium formale intellectus: & visionis. Quid igitur est in causa, cur Deus ipse non possit esse intellectio mentis beatæ? Etenim minus Deo conuenit ratio habitus, quam actus, iam verò species intelligibilis est habitus, intellectio verò ipsa actus.

**P R Æ T E R E A**, visio illa beata est aliquid increatū: at beata mens est particeps visionis beatæ: est igitur particeps actus increati. Propositio ostenditur testimonio Augustini 4. de Trinit. quo loco de visione illa beata duo, eaque excellentissima, pronuntiat: & quod illa Deus est sapiens, & beatus: & quod est summū bonū, cuius adipiscendi gratia iubemur agere, quicquid rationi conueniēter agimus, est igitur de sententia Aug. visio beata aliquid increatū: alioqui Deus esset beatus re aliqua creata: & creatū aliquid esset summū bonū: & extremū expetendū, & agendarum rerū, id quod tamē falsum est.

**N E Q V E** officit naturæ creatæ ab increata differentia. Namq; nature diuersitas solā naturalitatē tollit: non cōmunicationē: vt enim actus superioris naturæ non possit esse naturalis inferiori naturæ, potest tamē cōmunicari cū inferiori natura. Multū enim interest inter cōuenire, vt naturale, & cōuenire vt cōmunicatum: proprietas siquidem ignis cōuenit ferro ignito, non vt naturalis, sed vt cōmunicata. Quocirca vt efficiat naturæ creatæ ab increata differentia, quominus diuina intellectio possit esse naturalis creature: non tamen efficit quominus possit cōmunicari. Etenim diuini Verbi personalitas, quæ est ipsa Dei substantia, conuenit animæ Christi: non vt naturalis ipsi: sed vt cōmunicata. Quare & diuinum intelligere potest conuenire animæ humanæ, non vt naturale, sed vt cōmunicatum.

**A D D E** his, quia par ratio est de diuino esse: & de diuino intelligere: nā & diuinū intelligere est ipsū diuinū esse: at aliqua creatura nēpe Christus, diuino esse formaliter subsistit: igit & diuina intellectio potest formaliter intelligere.

**A D Hęc**, & si diuina intellectio non informet intellectū creatū, potest tamē sic ei coniungi: vt interuentu ipsius dicatur intelligere: quæadmodū & diuinum Verbū, propter sui cū animo humano coniūctionē dicitur animatū, non tamen ab animo informatur. Multo plura argumenta extāt apud Cap. 3. d. 14. q. 1. potiora tamen deligimus: quibus tamen argumentis minime de priori sententia depellimur: nam explicari ac dilui facile possunt.

**Q V** Ocirca hanc assertionem ponimus. Intelligere superioris naturæ non sic potest cum inferiori natura communicari, vt sit actus quo formaliter intelligat. Id verò multis argumentis ostenditur. Ac primū argumentū ex de-

pendentia actionis ab agente ducitur. Namq; actio, aut est essentia eius quod agit, vel ab agente proficiscitur: neq; enim cadere sub cogitatione potest, esse rem aliquam operantem: & tamen operationem ab ipsa minimè proficisci. Qui enim fieri potest ut quispiam ambulet: & tamen motus ille ab ipso non suscipiatur? At diuina intellectio neque est substantia creaturæ, ut satis constat, nec esse potest à creatura, aliò qui ex creatura penderet natura increata: non igitur fieri potest ut creatura, diuina intellectione, formaliter intelligat.

**A C C E D I T**, quia intellectio est actio vitalis: est enim anima intelligendi principium: iam verò operatio vitalis, à viuente formaliter proficiscitur, aliò qui viuere actualiter: non haberet ortum à viuere substantialiter: id quod non modo esse, sed neque fingi animo potest: sic enim anima non esset anima, ut quæ non esset principium actionis vitalis, fieri igitur non potest, ut anima viuat actu, vita intellectuali, & tamen illius vitæ operatio, quæ est intellectio, ab ipsius substantia minimè proficiscatur: quemadmodum neq; fieri potest, ut Socrates generet Platonem & tamen actio illa gignendi, è Socratis natura minimè oriatur.

**S E C V N D V M** argumentum sumitur ex habitudine actionis ad rem quæ agit. Namq; autore Arist. actio non solum patientis, verum etiam ipsius agentis est actus: alio tamen & alio modo. Nam patientis est actus, ut in quo actio recipitur: agentis verò ceu è quo proficiscitur. Actio porrò ipsa proficiscitur ab agente, secundum esse naturale ipsius: ortum enim habet ex principiis naturæ: adde, quia suum cuiusque esse operatio consequitur, actio igitur est actus agentis, secundum esse naturale. At diuina substantia non potest esse actus creaturæ secundum esse naturale: (ut non repugnet esse actum creaturæ naturæ in esse intelligibili & obiectiuo: quomodo asserunt Theologi diuinam essentiam coniungi intellectui creato ceu formam intelligibilem, ut iam supra diximus:) non igitur diuina intellectio, quæ est ipsa diuina substantia, potest esse actus intellectus creati quo formaliter intelligat: nisi forte diuinum esse, in esse naturæ cum creatura communicetur, quod tamen factum est impossibile.

**T E R T I V M** argumentum trahitur ex natura actionis immanentis. Etenim actio immanens in agente formaliter inheret: intellectio. n. in intelligente manet, heretq;, & volitio in volente: non enim intellectio aliam quam externam, rei intellectus largitur appellationem, at diuina intellectio, non potest formaliter in re aliqua inherere: cum sit diuina substantia, non igitur diuina intellectio potest esse actus immanens intellectus creati.

**Q V A R T V M** argumentum ortum habet ex affinitate actionis cum re quæ suscipit actionem. Nam actio & agens naturæ societate iunguntur, igitur actio in-

creata

creata, vt proficiscatur ab agente creato fieri nequit. Antecedens verò hinc intelligitur, quoniam vis ad agendum rei naturam consequitur. Quo efficitur vt ratio actionis, congruat cum ratione naturæ.

ADVERSARIA vero argumenta diluimus. Quod igitur ad primū attinet, dato antecedente, negatur consecutio. Est enim valde dispar ratio. Nam forma intelligibilis est actus alterius in genere intelligibili, id quod non repugnat diuinæ essentiae, quæ immediate per se ipsam intellectui creato coniungitur, at actio est actus in genere nature, id quod repugnat essentiae diuinæ, vt iam diximus. Cōfirmationis porrò vis nulla est: nam diuina essentia nō sic rationē continet formæ intelligibilis: vt sit forma habitualis inherēs: sed vt sit forma actualis intellectui obiecta, ac proposita: & intellectionis efficiens. Notandū tamen principiū visionis, siue intellectionis esse duplex: vnū elicitiuum & internū: effectiuum alterum: siue motiuū & externū. Principiū elicitiuū est potētia ipsa: quæ interuētū formæ intelligibilis, siue sensibilis inherētis, elicit visionē siue intellectionem: principiū vero externum est obiectum, quod ipsum potentiam mouet, adq; eliciendam actionem excitat.

NEGARI etiam vel hac ratione potest illa consecutio, quoniam forma intelligibilis non proficiscitur à potētia, actio vero proficiscitur, iam vero diuina essentia vt ortum habeat ab intellectu creato, fieri nequit,

PORRO. Diui August. sententiam sic interpretamur, vt dicamus: eandem beatitudinem nobis ac Deo esse propositā: eandē inquā obiectiue, & modaliter. Nā Deus à se & à nobis per se ipsum cernitur: est etiā illa beatitudo obiectiua summum bonum, cuius adipiscendi gratia iubemur agere, quicquid consentaneæ rationi agimus. Quamuis & beatitudo formalis, sit etiā summum bonum & extremum, non simpliciter, sed in rebus creatis.

TERTIUM argumentum ita explicatur, vt dicatur: naturæ differētiam, non tollere communionem, cum natura ipsa communicabilis est, quemadmodum forma cum materia, & ignis cum ferro communicatur: secus tamen res habet cum natura est incōmunicabilis, tum enim diuersitas naturæ tollit non solū naturalitatem, verū etiam cōmunionē, ita scilicet vt actus illius naturæ, neque possit esse alicui alteri naturalis, nec cōmunicatus. Iam verò diuina natura omnino est incōmunicabilis naturæ creatæ in esse naturæ.

ID verò quod de personalitate contra obiicitur, facile diluitur. Nam diuina persona non communicatur vt actus alterius naturæ, ac proinde potest effici personalitas, alterius naturæ, at diuina intellectio communicatur vt actus, ac proinde non potest effici intellectio alterius naturæ: quemadmodum

ostendimus.

**QVARTVM** argumentum ita dissoluitur, vt dicatur, non esse parem rationem, de ipso diuino esse: & de diuino intelligere. Nam intellectio nulli potentie potest conuenire nisi ei, in qua inhercat: at diuinum esse potest alicui communicari: non tanquam ei, quod ipsius interuentu formaliter existit, sed tanquam ei, quod diuino supposito coexistit, vel dici etiam potest actionem communicari ceu fluēs ab alio: esse vero ceu coexistēs alteri. Iam vero diuina actio non potest fluere ab alio: id quod iam supra docuimus.

**AD** quintum, negatur cōsecutio. Nam Verbum diuinum dicitur animatum idiomatum communicatione: anima vero humana non potuit sic dici intelligens: sed per formalem intellectionis inherentiam. Nam actio hæret in eo cuius est actio: actio videlicet immanens.

**HINC** iam intelligitur non potuisse animam Christi intelligere intellectuone increata; ita. s. vt esset formaliter actio suscepta ab anima Christi. Quocirca præter cognitionē increatam, est Christo Domino tribuenda cognitio ac scientia creata: qua Christi animus formaliter perficeretur.

**IAM** argumenta illa dissoluenda sunt, quibus contra asserbatur. Ac primi argumenti explicatio, iam ex iis quæ disseruimus, liquere facile potest. Vt enim Christo omnia fuerint cognita diuinæ scientiæ interuentu, illa tamen attingebat actione increata: cuius alioqui anima Christi particeps esse non potuit, ne igitur propria actione vacaret, fuit Christo tribuenda cognitio creata.

**AD** secundū vtrūq; scientiæ genus in Christo Domino fuit. Lux porrò maior & contentior officit minori & imbecilliori luci illuminatæ: lux enim Solis officit luci astrorū: nempe cum vtraq; lux sit illuminas, cōtra tamē res habet, cum lux minor cū cōtentiori luce confertur, ceu illuminatū cum illuminatē: tum enim lux maior nō officit minori: imo vero perficit & ad auget minorē. In hunc modum luce Solis ad tenuem lucē aëris fit accessio. Iam vero creata scientia sic est affecta ad increatā, ceu lux illuminata ad lucem illuminantē: ex quo efficitur, vt ipsius præsentia perficiatur, augeat utq;.

**AD** tertiu. Acquisitio sciētiae, quæ posita est in alterius institutione, non cōgruebat cum excellētia animi Christi: acquisitio tamē sciētiae, quæ posita est in inuentione, & obseruatione rerū, nō dedecebat animā Christi. Hoc porrò modo scientiā Christus, successu quodā, acquisiuit, siquidē intellectus agens, cuius est illa actio propria, non simul omnia adsequitur, sed quodā successu. Fuit tamen in Christo hæc scientia perfecta consentaneè ætati.



## DE SCIENTIA ACQVISITA CHRISTI.

## Quæstio. V.

*An ne in Christo fuerit scientia acquisita?*

**C**ÆTERVM an sit Christo attribuenda scientia acquisita, controuersum est. D. Thomæ placet esse Christo attribuendam scientiã acquisitã: ne intellectus agens suo munere vacaret in Christo: ac proinde frustra fuisset Christo tributus. Nam frustra est quod propria vacat actione. Iam vero actio intellectus agentis posita est in abstractione formarum intelligibilium ex phantasmatibus, id quod pertinet ad scientiã acquisitionem. Nam scientia acquirere, est nihil aliud, quam formas intelligibiles, actione intellectus agentis illuminantis ex phantasmatibus decerptas animo concipere. Quæ actio ne non decuit humanam Christi animam defraudari: partim ne intellectus agens esset otiosus, partim, vt modo etiam humano Christo scientia conueniret. Hanc eandem sententiam Thomas argentina 3. collectaneorum. d. 14. quæst. vnica artic. 4. & Gabr. eodem lib. dist. 14. quæst. vnica articulo 2. tuentur.

Thom.  
3. P. 9. 9.  
ar. 4.Argent.  
Gabr.

**I**OANNES tamen Scotus, & Durandus hanc Thomæ sententiam non comprobauerunt. At Scotus ita argumentatur. Duo accidentia eiusdẽ speciei, vel ipso Thoma authore, non possunt inesse in eadem re subiecta: at scientia acquisita & infusa, eadem specie continentur: non possunt igitur esse simul in eodem intellectu. Minor ostenditur: nam cognitioni infusæ, & acquisitæ propositum est idem obiectum: differunt autem solum ortu & origine. Nam infusa scientia ex Deo immediate: acquisita verò ex actione intellectus agentis ortum habet: sic differunt homo creatus, & homo vi naturæ generatus: iam verò, teste August. ad Deo gratias, distinctio causarum non efficit distinctionem formalem, item Ambrosius ait in libro de incarnatione, disparitas ortus non efficit distinctionem, id quod cernitur in Adamo, & in nobis. Hoc eodem argumento vtitur Duran.

Scot. 3. d.  
14. q. 3.

August.

Ambro.

Dur. 3. d.  
14. q. 4.

**S**ECUNDO ita argumentatur. Aut vtroq; scientiæ genere perfecte nouit Christus res sensiles: aut altero tantum, si vtroque: alterum ergo superuacaneum fuit: sin altero duntaxat: alterum igitur minus perfectum fuit.

**T**ERTIO D. Thomæ rationem illam, qua est in eam sententiam adductus, ita refellit: In beatis hominibus inest intellectus agens, cuius actione ad

acquirendam naturaliter scientiam minimè vtuntur: & tamen non frustra inest: consimili igitur ratione in Christo non frustra inerat: tamen si scientiam naturaliter, & modo humano minimè acquireret. Quocirca doctissimus Scotus putat illam propositione. Frustra est quod caret propria actione, verà esse, nisi potentia præuenta ab aliquo superiori agente, perducatur ad terminum, ad quem aliàs propria actione erat peruentura. Tum enim potentia carens propria actione, non est frustra: siquidem perficit naturam: vacat autem propria actione, non propter imperfectionem, aut imbecillitatem aliquam: sed propter indictionem termini ab alio factam.

# inductione

**SENTENTIA** igitur Scoti de scientia animi Christi, hisce conclusionibus explicatur: interim tamen præponitur duplicem esse cognitionem: vnam intuitiuam, alteram abstractiuam. Est autè cognitio intuitiua, rei quæ existit, ac præsens adest, vel certè in obiecto aliquo præsentem, & existentem continetur perceptio. Hoc posterius adicitur propter res illas, quæ in diuina essentia cognoscuntur ab ipso Deo. Etenim res creatæ intuitiuè cognoscuntur ab ipso Deo: non quidem vt in se existentes, sed vt lucentes in diuina essentia, quæ cum eminenter ac virtualiter res omnes continet: tum Deo ipsi præsens ac proposita est. Cognitio verò abstractiua est rei, per speciem sui in animo infidentis, perceptio.

ad hanc

ad hanc

**UTRAQUE** vero cognitio tam actualiter, quam habitualiter accipi potest. Est autem cognitio habitualis: cum scilicet aliquis tenens animo conceptam speciem alicuius obiecti, proximam habet cognoscendi illius obiecti, interuentu illius formæ in animo inherentes, facultatem.

ad hanc

ad hanc

ad hanc

**PONUNTUR** igitur nonnullæ assertiones. Prima assertio. Anima Christi omnes rerum vniuersalium quidditates, per species sibi diuinitus impressas & infusas, abstractiue: idque habitualiter, nouit. Namque cognitio habitualis cuiuscumque obiecti intelligibilis, pertinet ad perfectionem intellectus creati: at omnem perfectionem decet animo Christi tribuere, id quod vel iure suo requirit animi cum Deo hypostaticè coniuncti excellentia, hæc ergo perfectio tributa est animo Christi: ac proinde habuit abstractiuam rerum omnium, per formas intelligibiles diuinitus inditas, cognitionem. Propositio vero hinc patet, quoniam intellectus creatus est receptiuus cuiuscumque obiecti intelligibilis per speciem intelligibilem: ergo tum perficitur, cum illius rei habitualement cognitionem consequitur. Nihil autem rude & impolitur: sed omnia exculta ac polita, perfecta que decuit esse in Christo. Hac eadem ratione Diuus Thomas eadem conclusionem fidem fecit.

ad hanc

**SECUNDA** assertio. Christus Dominus<sup>7115</sup>, non omnium rerum singularium cognitionem abstractiuam habituales habuit, id quod ita ostendit Scot. Id quod habet propriam entitatem, habet propriam cognobilitatem: at res singulae entitate secernuntur à rebus vniuersis, sub quibus continetur, distincta igitur ac peculiari cognitione percipiuntur: habent igitur proprias, quarum interuentu cognoscantur, formas intelligibiles: ac res singulae sunt infinitae saltem potentia: si igitur anima Christi res omnes singulares distincte cognouisset, formas intelligibiles infinitas rerum singularum actu animo continuisset. Adde, quia multae eiusdem speciei formae intelligibiles simul in eadem re subiecta inessent.

**TERCIA** assertio. Christus Dominus cognitione abstractiua habituali rerum singularum multas est consecutus: quarum formas intelligibiles animo continuisset, multas tamen non nouit, quas eadem tamen nosse potuit, si extarent.

**QUARTA** assertio. Neque res omnes vniuersas, neque res singulas omnes, anima Christi nouit cognitione abstractiua actuali. Ostenditur. Intellectus cui alioqui sunt scientiarum habitus diuinitus infusi, non potest habitus illos ad actum traducere, nisi operatione actuali facultati naturali consentanea: nam caecus vi ac munere diuino illuminatus: actionem videndi naturalem exequitur: at intellectus finitus non potest ad quaecunque obiecta simul distincte percipienda conuerti vi naturae: non igitur omnia quae Christus habitu nouit, actu cognouit.

**QUINTA** assertio. Christus Dominus non nouit omnia cognitione actuali. Ostenditur. Noscere rem intuitiue actu, idque in genere proprio, est aliud nihil: quam rem vt in se existentem: ac sibi praesentem cognoscere: at non omnia fuerunt Christo praesentia secundum propriam existentiam: non praeterita, aut futura, vt satis constat: neque etiam ipsa actu existentia omnia Christo fuerunt praesentia, non igitur omnia nouit cognitione intuitiua actuali.

**SEXTA** assertio. Cognitione intuitiua habituali, non omnia nouit anima Christi. Ostenditur. Illud dicitur habitualiter intuitiue cognosci, quod cum in se praesens existat, proximum est, vt possit actu intuitiue cognosci: at non omnia actu in se praesentia Christo extiterunt, non igitur, &c.

**SEPTIMA** assertio. Interuentu formarum intelligibilium, non omnia Christus intuitiue cognouit. Nam species infusa rem obiectam animo proponit contuendam, per abstractionem ab existentia. Namque siue res existat,

siue non existat: semper eodem modo rem eandem representat: quo effici-  
 citur, vt non sit ratio cognoscendi id quod existit, quatenus existit: at cog-  
 nitio intuitiua est rei existentis, qua est existens, non igitur omnia, per species  
 infusas, intuitiue cognouit.

**OCTAVA** conclusio. Cognitione intuitiua perfecta, Christus non om-  
 nia nouit. Est autem duplex cognitio intuitiua, perfecta vna, & imperfecta al-  
 tera. Cognitione intuitiua perfecta, est rei præsentis, qua præsens & existens est  
 perceptio. Cognitione vero intuitiua imperfecta, est memoria, siue recordatio  
 rei præteritæ: vel opinio seu suspicio rei futuræ, quæ eadem ortum habet ex  
 cognitione intuitiua perfecta. Putat enim Scotus ex cognitione intuitiua de-  
 relinqui quandam speciem intelligibilem in animo, quæ ipsa animo propo-  
 nit cognitionem illam intuitiuam, non vt præsentem, sed vt præteritam, &  
 qua terminatur ad rem obiectam sub ratione præteriti. Ea porro species in-  
 telligibilis in memoria conseruatur intellectiua, ipsiusque interuentu intelle-  
 ctus ad cognitionem intuitiuam præteritam, & ad rem obiectam, qua præ-  
 terita est, se se applicat, & huiusmodi rei præteritæ cognitio, dicitur recordatio.  
 Exempli causa: vidi aliquando Socratem sedentem, illa intuitiua cognitio  
 sessionis Socratis, siue Socrates sedens, impressit animo formam quandam in-  
 telligibilem, proponentem animo sessionem Socratis, quæ præterit, cuius  
 quidem speciei interuentu, agnosco præteritam Socratis sessionem. Estque  
 hæc cognitio, recordatio quædam: cuius recordationis obiectum immedia-  
 tum, est cognitio intuitiua ceu præterita apprehensa: mediatum verò est So-  
 crates sedens, qui ipse est obiectum immediatum apprehensionis illius.

**CVM** igitur Christus dominus non omnia nouerit cognitione intuitiua  
 perfecta, sequitur non omnia cum cognouisset cognitione intuitiua imper-  
 fecta, quæ ortum habet ex illa priori.

**NONA** conclusio. Christus multa per experientiam de nouo didicit. Ostē-  
 ditur. Cognitione experimentalis posita est in cognitione intuitiua perfecta rei:  
 at Christus multa de nouo intuitiue cognoscebat: quæ prius intuitiue non  
 cognouerat: multa igitur per experientiam: quæ prius non nouerat, cognos-  
 cebat. Hanc conclusionem D. Pauli authoritas confirmat. Sic enim inquit:  
 ex his quæ passus est didicit, id est, experientia cognouit obedientiam.

**DECIMA** conclusio. Christus dominus omnem compositionis siue cō-  
 iunctionis contingentis cognitionem de nouo acquisiuit. Hoc ipsum verò ita  
 ostenditur. Cognitione coniunctionis contingentis requirit intuitiuam cog-  
 nitionem coniunctionis prædicati cum subiecto, seu sessionis cum Socrate,

at omnem intuitiuam cognitionem Christus de nouo acquisiuit, omnem igitur compositionis contingentis, &c. Propositionem vero ita ostendit Scotus. Nam cognitio veri contingentis obtineri non potest sola extremorum cognitione, per speciem intelligibilem cuiuscumque extremi: siquidem illa extrema, non necessariam habeant ad se se mutuo habitudinem. Quatumuis enim habeam abstractiuam cognitionem Socratis, & alboris, non tamen cognoui Socratem esse album, nisi videam alborem inesse in Socrate: requirit igitur cognitio veri contingentis, cognitionem intuitiuam coniunctionis attributi cum re subiecta. Ac hoc, inquit Scotus, genere cognitionis Christus profecit: quia videlicet, alias, atque alias subinde notitias intuitiuas: siue perfectas, siue imperfectas, siue simplices, siue coniunctas recens comparauit. Non tamen hinc conficitur in Christo Domino fuisse ignorantiam, siquidem illa omnia erant ipsi iam inde ab ortu, conspectu diuini Verbi, certissime ac euentissime cognita, atque perspecta: tamen si singula, omni modo quo erant cognobilia, ab ortu non cognouerit.

**CONTRA** obiici potest Scoto. Fuit igitur in Christo recens aliqua, eaque acquisita ac comparata cognitio. Non negat Scotus Christum Dominum aliquatum rerum cognitionem acquisiuisse. Namque omnem cognitionem ex rerum experientia, ac sensu perfectam acquisiuit: itemque omnem veri contingentis notitiam recens comparauit. Ceterum habitualement cognitionem abstractiuam quiditatum, tam rerum sensilium, quam insensilium in genere proprio non acquisiuit, id est, per formas ex phantasmatibus abstractas non est eam consecutus, sed per species infusas. Rerum etiam singularum multas, per species infusas nouit: multas etiam per species ex rebus singulis impressas cognouit.

**SI** queras ab Scoto, vtrum ne Christus Dominus decursu: qui ipse est hominis proprius, vteretur. Respondet bifariam posse quempiam vti decursu, vno modo quoad vsum, altero modo quoad scientie acquisitionem. Nam si quispiam experimento compertum & exploratum habeat, hominem esse habilem ad ridendum, adhibeatque ad illam eandem conclusionem probandam principia, tum ille decursus, illaque ex illis principiis demonstratio, non efficit vt conclusio simpliciter cognoscatur, erat enim iam experimento cognita: sed efficit, vt ex principio & causa sua cognoscatur. Tum enim ipsum quia est, reuocatur ad ipsum cur est, id quod rei propositae scientiam parit. Sin vero illam eandem conclusionem habitu nouerit, ipsamque ex principiis actu concludat, tum scientiam illius conclusionis minime acquirit, sed parta iam

accom-

ac comparata scientia utitur. Ac hoc posteriori modo, Scotus asserit Christum dominum decursu usum fuisse: tametsi dici possit etiam Christum priori modo usum fuisse decursu. Nam & si ab ortu sit consecutus omnem scientiam quæ posita est in cognitione abstractiua terminorum, non tamen omnem scientiam quæ est habitus conclusionis: sed hanc ipsam collatione formarum intelligibilium inditarum, ac decursu quodam, consentaneè ei parandæ scientiæ rationi qua homo utitur, est consecutus. Hactenus Scoti de Christi scientia sententiam explicauimus.

Dur. 3. d.  
14. q. 4.

**DVRANDVS** verò docet Christo domino non conuenire scientiam naturali vi luminis acquisitam, partim quia id cum Christi excellenti ac dignitate minus congruit, quemadmodum enim doctor discreti, eodem etiam modo res sensibiles inuestigant res obiectas proponunt, itaq; fieret ut Christus ex rebus mutis, ac sensibilibus disceret: id quod ipsius excellentiæ non conuenit: partim quia Christus scientia diuinitus infusa cognouit, quæ naturali vi luminis erant cognobilia: aut igitur acquisita cognitio abundaret, vel certè duæ formæ eiusdem speciei in eadem re subiecta inhaerent. Adde quia non omnia sensibilia fuerunt Christo ad cognoscendum, atque experiendum proposita: iam verò scientia acquisita ex perceptione rerum sensibilibus constat.

**EXPOSIVIMVS** varias de scientia Christi acquisita sententias: reliquum est ut probabiliorem deligamus. Principio illud præponimus in explicanda Christi scientia, habendam esse rationem cum veri probabilioris, tum excellentiæ ac dignitatis Christi. Sic enim quod verosimilius est, sequendum ac tuendum est, ut interim nihil excellentiæ ac dignitati Christi detrahatur.

**SECUNDO** illud volumus esse constitutum: id omne quod humanæ mentis peruestigatione potest cognosci, posse homini momento quodam diuini luminis illustratione cognitum esse, atq; perspectum, non tamen quidquid diuini ac superni luminis infusione homini cognitum est, humanæ iam mentis acie sciri, ac cognosci potest. Sunt enim quædam quæ non aliter homini, quam diuina illustratione, ac reuelatione cognita, ac comperta esse possunt, cuiusmodi sunt futura contingentia: & abditissima religionis Christianæ mysteria. Ac cognitionis per se generatio harum rerum, est infusio, illarum verò rerum, quæ aliò qui humanæ mentis vi cadere sub cognitionem possunt, per infusionem cognitio, est ex accidenti. Latius igitur patet infusa cognitio, quam acquisita & studio comparata: quemadmodum etiam latius patet vis diuina, quam creata & humana.

**TER TIO** illud præponimus: posse vim omnem, ac facultatem naturalem, principis

principis ac supremæ causæ vi & actione præueniri, ita scilicet vt diuina actio-  
 neco perducatur quodam momento, quò naturæ vi & actione, successu quo-  
 dam potuit peruenire. Id quod intueri licet in Adamo primo omnium pa-  
 rente. Etenim vis intellectrix ac nutrix in ipso, diuina actione præuentæ sunt,  
 eoque perductæ quo aliò qui vi propria perducitur, progressu temporis potuerit.  
 Factus est enim Adamus initio, cum omni scientia cumulatus, tum ea cor-  
 poris mole & magnitudine, quæ perfectò animamali conueniret.

**HIS** ita positis, cum Scoto & Durando de sciētia Christi acquisita sentimus.  
 Negamus enim in Christo fuisse scientiam acquisitam: non quidem cog-  
 nitionem ex sensu, & experientia profectam, sed scientiam habitualem, ui lu-  
 minis intellectus æt. als, per formas ex phantasmatis decerptas, compara-  
 tam: siquidem omnis vniuersarum rerum cognitio, quæ alioqui potest hu-  
 manæ mentis peruestigatione comparari, fuerit animæ Christi diuinitus tri-  
 buta & infusa, id quod testatur etiam D. Thomas 3. quæst. 11. artic. 1. quo lo-  
 co inquit, omnem cognitionem fuisse animæ Christi diuinitus infusam, tam  
 earum rerum quæ sciri humanæ mentis vi possunt: cuius generis sunt illa  
 quæ pertinent ad scientias humanas, quâ earum rerum, quæ diuini luminis  
 illustratione cognosci solum possunt, siue ad sapientiam, siue ad alia spiritus  
 sancti dona, ac munera pertineant.

Thom. 3.  
 q. 11. ar. 1.

**HOC** cum apertissimè dicat Diuus Thomas, est quod magnopere sit mi-  
 randum, Caietanum Thomæ interpretem, tanto errore fuisse lapsum, vt di-  
 ceret, animam Christi fuisse initio creatam, expertem omnis scientiæ ex suo  
 genere acquisitæ, hoc est cuius per se generatio est acquisitio: siue mentis hu-  
 manæ puestigatione: siue institutione acquiratur. Nam hoc præterquâ quod  
 falsum est, multum enim detrahit dignitati & excellentiæ Christi, aperte cū  
 sententia Thomæ, paulo ante exposita, pugnat. Etenim humanarum sciētia-  
 rum seu Physicarum, & Mathematicarum per se generatio, est acquisitio,  
 harum tamen scientiarum cognitionem asserit. D. Thomas Christo, primo  
 sui ortu, siue conceptu, fuisse diuinitus infusam.

Caiet. 3.  
 q. 9. ar. 4.

**CÆTERVM** Caieta. argumentis, non mediocri ad efficiendū id quod  
 est propositum vi præditis, suam hanc sententiam confirmat, ostenditque in  
 Christo non solum fuisse scientiam suapte natura acquisibilem, verum etiam  
 per acquisitionem comparatam.

**AC** primum quidem argumentum sumitur ex Christi domini excellen-  
 tia, atque præstantia, decet enim omnem vim ac facultatem Christi ani-  
 mo tribuere per se, & nō ex accidente, ita scilicet vt quæque facultas propriâ

ac

ac naturalem vim, & actionē obtineat: at Christo diuinitus est tributus intellectus agens: obtinuit igitur in Christo suam vim & actionem, quæ posita est in effectione formarum intelligibilium, & acquisitione, habuit igitur Christus scientiam, non solum suapte natura acquisibilem, verum etiam humana ratione conquistam. Alioqui frustra eidem fuisset datus intellectus agens, vt pote qui propria, ac sua per se actione caruisset.

**SECUNDVM** argumentum ducitur ex ipsa acquisitæ scientiæ natura. Namque huiusmodi scientiæ per se generatio, est acquisitio: ex accidenti vero, infusio. Accidit enim & miraculo quodam efficitur, vt huiusmodi scientia infundatur, at per se generatio præstat generationi per accidens: igitur, &c.

**TERTIVM** argumentum sumitur ex ipso sciente. Nam mouēs se ipsum præstantius est eo, quod mouetur ab alio, vt est apud Arist. 8. de Physico auditu: at scientiam ingenij propriij peruestigatione acquirens, se ipsum ad acquisitionem scientiæ mouet: acquirens vero scientiam diuini luminis illustratione, ab alio, nempe à superiore agente, vim mentis præueniente, & ad actum traducente, mouetur: illud igitur prius est Christo Domino attribuendum: vt scilicet scientiam suapte natura acquisibilem, vi ingenij comparauerit.

**QVARTVM** argumentum sumitur ex ratione sciendi. Namque scientia beata Christo Domino tribuitur, sub ea ratione qua beatis mentibus cōuenit: itemque scientia indita siue infusa cōsentaneè ipsius naturæ: tribuenda est igitur Christo Domino, scientia humana & acquisita, conuenienter humanæ parandæ scientiæ rationi.

**HÆC** Caietani argumenta, non dum effecerunt id, quod erat ad concludendum propositum. Quocirca singulatim explicanda sunt. Ac primum quidem argumentum bifariam diluitur, vno modo negatione assumptionis. Namque intellectus agens in Christo peculiarem habuit sui muneris ac facultatis functionem. Etenim duplex est vis siue munus intellectus agentis: quorum vnum positum est in obiectiua phantasmatum illustratione, qua fiunt formæ intelligibiles, alterum vero in efficienda, ac gignenda euidentiæ primarum propositionum cernitur, ex qua alioqui oritur euidentiæ conclusionum: quæ ex primis principiis cognoscuntur. Ac priori quidem munere intellectus Christi agēs non est functus, posteriori vero vsus est, quem admodum etiam, teste Caietano, Adamo accidit. Etenim interuentu luminis intellectus agentis erant Adamo euidentiæ cum principia, tum conclusiones: quæ alioqui ex illis principiis cognoscuntur. Notitiam tamen abstrac-



Etiam tam simplicem, quam coniunctam diuina infusione est consecutus. Aciuxta meam sententiã, qui formas intelligibiles non admitto, hæc posterior functio, potissima est intellectus agentis operatio. Nam quod ad intellectum attinet, duo sunt intellectus agentis munera: vnum positum est in obiectiua phantasmatum illustratione, qua efficitur, vt phantasmata fiant menti visibilia: ab ipsaque mente percipiuntur: qua perceptione efficitur notio siue rei singularis: siue vniuersalis, si phantasma intelligitur per abstractionem à proprietatibus indiuiduis. Est autem, vt inquit Themistius, notio: actus & operatio intellectus de subiecto phantasmate. Phantasma vero impressio seu vestigium sensus. Est alterum intellectus agentis munus, scilicet efficere euidentiã ipsa pronunciata, siue proloquia: ex qua euidentiã mentis assensio existit. Etenim lumine intellectus agentis efficitur euidens coniunctio prædicati cum subiecto: siue habitudo prædicati ad subiectum, cuius euidentiã ipsa mentis assensio consequens est. Hæc porrò actio, vt sit posterior, est tamen potior.

**POSTERIORI** modo explicari illud argumentum potest maioris propositionis distinctione. Nam decet omnem facultatem animi per se Christo tribuere, nisi diuinitus præueniatur, & ad finem sibi propositum perducatur: iam vero vis intelligendi animæ Christi, diuina est actione præuicta: id quod nihil detrahit excellentiæ Christi, sed plurimum potius ornamenti Christo Domino adiungit. Est enim rerum scientiam consecutus, diuiniore actione, quam humana.

**SECUNDVM** argumentum ita explicatur. Actio vt cõsequatur speciem ex re obiecta ac proposita, excellentiam tamen ac præstantiam, cum ex ipso agente nanciscitur, tum ex modo actionis. Namque eadem re proposita, illa est præstantior actio, quæ ex præstantiori agente proficiscitur, quæq; fit præstantiori modo, ita fit vt nutritio animalis rationalis, sit præstantior nutritio animalis rationis expertis. Ad eundem etiam modum scientiæ infusio præstat acquisitioni scientiæ: nam scientiæ per infusionem acquisitio, Dei actione perficitur: at scientiæ per vim humanam acquisitio, actione intellectus agentis constat: cuius actio longe est actione diuina inferior.

AD hæc, quæ nobis diuini luminis illustratione patefiunt, apertiora & dilucidiora, atque adeo cognobilia nobis fiunt iis, quæ lumine intellectus agentis cognoscuntur. Nam quæ diuina actione, ac adeo miraculo præter ordinem à Deo institutum fiunt, præstantiora sunt iis, quæ vi nature, & progressu quodam fiunt, id quod facile declarauit vinum illud ex aqua in nuptiis,

Christi

Christi nutu, confectum,  
**QVOD** vero ad argumentum attinet, dicimus accidentariam generati-  
 onem posse duobus modis capi, vno modo vt significet quādam per se ge-  
 nerationis consecutionem, quomodo accidentia accidentario gignuntur, nā  
 generantur substantia generata. Altero modo ex accidenti generari nihil a-  
 liud est, quam præter institutum & consuetum naturæ modum gigni. Ac  
 priori quidem modo per se generatio, generationi per accidēs antecellit: po-  
 steriōri vero, non item: alioqui hominis cuiusque conceptio & generatio,  
 quæ ex virili femine conueniente naturæ efficitur, præstaret conceptioni: &  
 formationi corporis Christi, quæ præter naturæ ordinem ac rationem est  
 effecta.

**TER TIVM** argumentum ita diluitur. Illud Arist. pronunciatum verum  
 est, cum omnia sunt paria: vt scilicet vtrumque mouens sit creatum mouens,  
 & eodem fere modo mouens, ita fit, vt propriij ingenij peruestigatione sciē-  
 tiam comparare, sit præstantius: quam alterius opera & institutione, vtrū-  
 que enim est agens creatum: & eodem modo agens: contra tamen res ha-  
 bet cum agentia non sunt paria. Nam diuini luminis illustratione rerum sci-  
 entiam, & cognitionem consequi, longe præstantius est, quam adhibito stu-  
 dio & ingenio.

**QVOD** vero ad quartum argumentū attinet, negamus decuisse, vt Chri-  
 stos scientia humano modo conueniret, quando quidem longe fuerit excellē-  
 tius diuinitus præueniri, & sciētia compleri. Id vero omne quod excellentius  
 est, Christo Domino attribuendum est.

**CÆTERVM** non sic hanc sententiam amplectimur, quin putemus etiā,  
 Thomæ sententiam posse defendi: Quocirca aduersariæ rationes explican-  
 dæ sunt. Ac primum illud Scoti argumentum, D. Thomæ studiosi ita dilu-  
 unt, vt dicant habitum scientiæ infusæ, & scientiæ acquisitæ eadem ratione  
 minime contineri: differunt enim non solum ortu & origine: verum etiam  
 formali obiecti ratione. Namque scientia infusa per se, qua de est sermo, non  
 est accōmodata obiecto, prout lucet in phantasmate: sed longe excellentiori,  
 ac præstantiori modo, quam sit obiectum lucens in phantasmate. At scientia  
 acquisita est accōmodata obiecto, prout lucet in phantasmate. Nam res pro-  
 posita scientiæ acquisitæ est natura rei sensibilis & materialis, idque per abstra-  
 ctionem à rebus singulis: & omnino à proprietatibus indiuiduis: namque  
 species acquisitæ, & ex phantasmatibus abstractæ, vniuersaliter duntaxat,  
 non item singulariter representant. At res obiecta, propositaque scientiæ in-  
 fusæ,

fusæ, est quiditas siue natura, non per abstractionem à rebus singulis: namq; species infusæ non solum substantiam: sed accidentia etiam substantiæ adiuncta: non solum naturas vniuersas, verum etiam res ipsas singulares, adiunctis omnibus indiuiduis proprietatibus, referūt & exprimūt. Ad hæc, obiectum scientiæ infusæ, non solum est natura rei sensibilis, verum etiam rei insensibilis, & materiæ expertis.

**HINC** iam duo, huic sententiæ consentanea: intelliguntur, illud est prius, interesse inter scientiam infusam per se, & infusam per accidēs, quoniam quæ interuentu scientiæ per se infusæ cognoscuntur, altiore, lumine cognoscūtur eo, quo cognoscitur res in phantasmate. Efficit enim illud lumen, vt obiectū luceat nō solum quoad quiditatē, verum etiam quoad proprietates, & quoad indiuiduas cōditiones. At lumen scientiæ infusæ per accidēs, est proportionatū phantasmati, efficit enim vt obiectū luceat, quoad quiditatem solum, per abstractionem à cōditionibus indiuiduis. Vnde Adamo sub illo lumine, erant euidētia quæ nouerat per infusionem, quo sunt nobis euidētia, quæ nouimus per acquisitionem. Posterius est illud, Geometriam infusam per accidens nō differre specie à Geometria acquisita, Geometriam tamen infusam per se differre, propter diuersam rationem cognobilitatis ex parte luminis, vt exposuimus. Ita fit, vt Geometria angelica differat specie, à Geometria Euclidis.

**QVONIAM** vero diuersa ratio scibilitatis, efficit diuersam rationem scientiæ, quantumuis materialia obiecta sint eadem: eius vero quod diuini luminis infusione cognoscitur, sit lōge diuersa ratio cognobilitatis, vt iam exposuimus, videtur cōsequi, scientiā infusam, & acquisitā omnino ratione differre: ac proinde Christum cognitionem, rerum etiam earundem, longe diuersa ratione, diuina infusione atque acquisitione, fuisse consecutum. Nam priori modo acquisiuit, nulla mentis ad phantasma applicatione, posteriori vero applicatione mentis ad phantasma. Esto ita res habeat, non dum tamen de nostra sententia depellimur. Nam applicatiō mentis Christi ad phantasma non fuit in Christo necessitatis, sed libertatis. Nam quod diuini luminis illustratione, citra vsum phantasmatis cognitum habuit, potuit etiā per applicationem mentis ad phantasma cognoscere, id quod etiam docet D. Tho. 3. q. 11. ar. 2.

**NEQVE** est quod contra obiiciat Dur. scientiam infusam Christo cōuenire: quatenus viator erat, ac proinde in vso scientiæ infusæ, necessario fuisse applicationem mentis ad phantasmata requisitā: id enim falsum est: partim quia scientia infusa modum Angelicū obtinuit in Christo: at modus ille ad

comprehensoris statum pertinet, partim quia & si Christus simul fuerit viator, & comprehensor, ceterum quæ comprehensoris statum attingunt, maxime obtinuit quoad animam intellectiuam, ac proinde non fuit illa anima phantasmaticibus necessario addita, quæ ad modum neque animæ beatæ.

SECUNDVM argumentum Scoti ita diluitur. Christus utroque scientiæ genere perfecte res nouit: non tamen sub eadem cognoscendi ratione: ac proinde alterum genus scientiæ non abundat. Decuit enim utroque modo perfici animum Christi.

TERTIVM argumentum ad hunc modum explicatur. Vis illa atque facultas frustra est omnino, quæ tum caret propria actione, quando actionem illam expleri oportuit: ita in Adamo non frustrata erat vis nutritrix & auctrix: siquidem & perfectam fuerat consecutus quantitatem: & eo in statu erat, in quem alioqui auctio non caderet. Ad eundem etiam modum, intellectus agens non frustra inest in beatis, quando quidem cum vitæ intellectualis statum obtinent: qui omnem intellectus agentis actioni locum intercludit.

IAM vero Christus viator erat: ac proinde decuit in illo scientiam in esse consentaneam statui viatoris: hoc est acquisibilem, & acquisitione comparatam: quare frustra fuisset illi animæ intellectus agens datus: nisi proprium munus obiret. Ita diluuntur Scotica argumenta.

ARGVMENTORVM porro Durandi hæc est explicatio. Longe aliter res sensibiles: atque præceptor ac doctor obiectam rem proponunt. Namque res sensibiles scientiam afferunt, ceu quædam instrumenta: etenim in rebus ipsis ab optimo, Maximo, ac sapientissimo Deo effectis, mirum quoddam elucet diuinæ sapientiæ specimen. Vnde illa sententia profluxit, Sapientiam effudit super omnia opera sua, quo efficitur, ut ex rebus sensibilibus rerum scientiam percipere perinde sit, atque doceri à Deo: non quidem immediate, sed rerum à se factarum interuentu. At homo sapientiam præstat, sensa mentis vocibus, quæ eadem mentis sunt interpretes, explanans: ac hoc modo scientiam acquirere non conueniebat Christi Domini excellentiæ: qui vnus est cunctorum hominum doctor, & institutor.

SECUNDI argumenti, ex his quæ diximus, iam constat explicatio.

## DE SCIENTIA CHRISTI INFUSA.

### Quæstio. VI.

*Anne in Christo fuerit scientia infusa?*

**A**C de scientia Christi acquisita haecenus. Iam quartum illud argumē-  
tum initio quaestionis positum, diluamus. Dicimus igitur Christum  
dominum omnia, idque perfectissime, cognouisse, interuentu diuinæ scien-  
tiæ, actione increata verbi, at decuit etiam Christum actione creata intelli-  
gere, quemadmodum ostendimus.

**V**ISIO porro beata ænigmaticam cognitionem excludit: quoniam eidem  
repugnat. Quod verò ad rerum cognitionem Christo domino inditam di-  
uinitus, & infusam attinet: illud omnino habendum est: fuisse hanc scientiam  
multo præstantiorem cognitione Angelica: quandoquidem & euidentior,  
certiorque extiterit: (namque vis luminis indita animo Christi, fuit excellē-  
tior: & acrior ea, quæ est mentibus Angelicis indita) & multo plures res co-  
gnobiles sit complexa. Cæterum species intelligibiles animo Christi im-  
presse, & insculptæ, longè sunt inferiores iis: quas Deus mentibus Angelicis  
insculpsit: & impressit: sunt enim minus in representandis rebus vniuersales:  
id quod erat rei recipienti conueniens: namque natura ita comparatum est,  
vt anima humana diuersas naturas specificas, diuersarum formarum intelli-  
gibilium interuentu intelligat, & cognoscat. Id quod non sic putamus esse  
intelligendum, quod species illæ infusæ, solas naturas specificas animo propo-  
nant contuendas, nam & indiuidua, atque ad eò proprietates indiuiduas re-  
præsentant, & non solum substantias: verum etiam propria accidentia refe-  
runt. Namque illæ species sunt similes formis Angelicis in representandis re-  
bus, idque quod ad res obiectas, non tamen quod ad modum representandi, at-  
tinet. Nam particularius repræsentant: iam autem formæ illæ Angelicæ sunt  
ad exemplar diuinæ essentiæ effictæ, quæ vna existens res multas, easque inter  
se dissidentes, distinctissimè, illarumque rerum omnia exprimit, atque refert,  
Cæterum diuina essentia est vna rerum omnium, & propria rei cuiusque si-  
militudo: at formæ intelligibiles inditæ, hoc ipsum particularius imitan-  
tur.

**H**O C etiam formæ intelligibiles inditæ mentibus Angelicis præstant for-  
mis inditis menti Christi: quoniam illæ ad vsum sui decursum: aut applica-  
tionem ad phantasma neque requirunt, neque admittunt, hæ verò vt non  
necessario requirant, admittunt tamen, id quod iam supra docuimus.

**H**I N C illud primum consequitur, scientiam Christi infusam, esse in va-  
rios, eosque specie dissidentes habitus distributam, deinde Christum vna  
& eadem specie leonis, non solum naturam illam leoninam, verum etiã res  
singulas illi subiectas cognitatas habuisse: quæ sunt, fuerunt, vel aliquãdo erūt,

idque tam abstractiue, quam intuitiue.

**DEINDE** illud intelligitur, non esse recipiendas assertionum Scoticarum duas, secundam. s. & septimam. Nam quod ad rationem secundæ illius assertionis attinet: negamus in Christo inesse singularum rerum proprias formas intelligibiles, siquidem formæ inditæ animo Christi, sint eminentioris ac superioris ordinis iis, quas mens hominum acquirit, & fingit, hæ namq; naturas atque substantias per abstractionem à rebus singulis, & proprietatibus indiuiduis repræsentant: at species illæ infusæ, & naturas ipsas, & res singulas repræsentant: ac proinde non necesse est iuxta numerum rerum singularum, formas ipsas multiplicari. Ita cæteræ consecutiones nihil habent firmitatis.

**NEGATVR** itidē septima assertio. Namq; species leonis animo Christi indita, est quædam imago non solū nature Leoninæ absolute, & abstracte, verum etiam eiusdē sic vel sic indiuiduatæ, qualitatæ, quantitatæ, & existētis, repræsentant enim naturā leonis sub quacūq; accidentaria dispositione. Quo efficitur, vt interuentu illius speciei non solum cognouerit Christus naturā leonis: verū etiam intuitiue viderit omnia ipsius indiuidua.

**HÆC** porro species & si ex parte rerū repræsentatarū, non semper eodem modo repræsentet, aliter enim rem animo proponit cū existit: & aliter cū non existit. Nam leone existente repræsentatur vt existēs, secus vero non existēte. Ceterum repræsentatiuū semper est idem: neq; mutationem aliquam subit, re quouis modo cōmutata.

**AD** hæc huiusmodi species non sunt adæquatæ terminis incomplexis, quæ admodum visum est Scoto, sed sunt diuinæ essentia imitatrices: non solum quæ res ipsas secundum se repræsentat: verum etiam quæ repræsentat coniunctiones, tam necessarias: quam contingētes. Ita decima conclusio Scotica falsa est. Namque anima illa Christi beatissima, sui ad formas illas intelligibiles applicatione, non præsentia modo, verum etiam præterita, & aliquando futura cernebat.

**DVO** tamen illa quæ asseruimus scilicet & cognitionem rerum Christo Domino infusam, esse excellentiorem ea, quæ conuenit Angelis, itemque species animo Christi inditas, esse minus vniuersales iis, quas Deus in seuit mentibus angelicis, Scoto non probantur, contrariamque omnino sententiam tuetur.

**Scot. 3. d. 14. q. 4.** **AC** Christo infusam scientiā, esse angelica inferiorē, ita ostendit. Quanto intellectus est imperfectior, tanto intellectio est imperfectior, siquidē summo

mira-

miraculo, intellectio elicitur consentaneè naturali intellectus facultati, at intellectus animæ Christi est imperfectior, & obiectum est idè respectu vtriusq; scilicet angelici & Christi intellectus, multo igitur imperfectius res ipsas in genere proprio, tam abstractiue, quam intuitiue cognouit animus ille Christi, quam Angelus.

**SPECIES** porrò Christo inditas esse præstantiores, ita demonstrat. Christo Domino tributa est summa gratia, est igitur verosimilimū fuisse illi tributas perfectissimas formas intelligibiles: quarum interuentu cognitione abstractiua habituali omnia perfectissime nouerat.

**PRIVS** illud argumētum diluitur hoc pacto. Propositio illa verà esset si intellectio ab intellectu & obiecto solum proficisceretur (id quod tamè Scotus vult esse concessum) sed adsit oportet lumen intelligibile: hoc ipsum vero cū multo præstantius sit infusum animo Christi, quam mentibus Angelicis, fit vt anima illa, res in proprio genere, tam intuitiue, quam abstractiue perfectius cognoscat: non quidem vi intellectus, sed vi luminis, illi menti diuino munere concessi.

**POSTERIVS** dissoluitur negata consecutione. Namq; vt cognitio beata respondeat quadam proportione gratiæ, siquidem non sit cōnaturalis creature, sed omnino nature create facultatem superet: ac proinde nature nullo modo, sed gratiæ respondet, infusa tamen, siue indita cognitio in iis est, quæ sunt creature cōnaturalia: ac proinde perfectioni, ac facultati nature quadā proportione respondet: ita cognitio Christi infusa, est ad hominis naturā accommodata, quæ ita comparata est, vt per formas minus vniuersales intelligat. Vt fuerint tamen species Christo inditæ, longe imperfectiores iis, quæ sunt inditæ mentibus angelicis: cognitio tamen Christo infusa, angelicæ cognitioni, cum euidencia, & certitudine, tum multitudine rerum cognitarū antecelluit. Nouit enim Christus interuentu cognitionis infusæ, & quicquid vi & acie humanæ mentis homini est cognobile, & quicquid diuini luminis illustratione patefieri homini potest. Cognitum enim habuit quicquid pertinet ad ordinem cum nature, tum gratiæ. Nouit etiam omnes res singulas, id quod ad perfectionem intellectus practici Christi: atque adeo ad prudentiam ipsius, non solum Monasticam, verum etiam politicam, Basilicam, & Monarchicam attinebat. Est illi siquidem totius orbis, tam coelestis, quam terrestris, imperium à patre tributum, iuxta illud quod est apud Mat. ult. Data est mihi omnis potestas in celo, & in terra: hæc autem omnia Angelis non sunt cognita.

Matthæi  
ultimo.

## DE BEATA CHRISTI COGNITIONE.

## Quæstio. VII.

*Vtrum Christus omnia in verbo cognouerit.*

**F**VIT & aliud creatæ cognitionis genus in Christo, quod ipsum in diuinæ naturæ contemplatione positum est. Etenim anima illa Christi diuinam naturam, cui erat hypostaticè coniuncta, cernebat, inque verbo, ceu in speculo omnia intuebatur. Ac animam Christi hac sui cum diuino verbo coniunctione, beatitudinem, quæ in eiusdem verbi contemplatione consistit, fuisse consecutam, nulli eorum qui res diuinas tractauerunt, venit in dubium. Qui enim fieri potuit, vt anima illa Deum non cerneret, quæ eidem Deo esset hypostaticè coniuncta? Cæterum an omnia, diuinæ naturæ conspectu, cognosceret, hoc multis venit in dubium, estque in controuersiam & contentionem adductum.

Capit. 3.  
d. 14. 19. 3

**S**VNT enim quibus visum sit, res creatas in diuina natura omnino non cerni, id quod hisce argumētis volunt esse persuasum. Nulla res cernitur imagine ipsius conspicua, alioqui Cæsarem viderem, eiusdem imagine oculis proposita, itemque somnia essent vera, vt quæ sint rerum quædam simulachra, & imagines: at diuina illa natura res creatas ceu imago quædam refert, & exprimit, non igitur ipsius conspectu res creatæ cernuntur.

Ioan. 1.

**ADDE**, quia si beata mens in Verbo rem creatam contuetur, eamque distincte cognoscit, eadem contemplatione nouit, verbum ipsum non esse creatum illud, quod in ipso cernitur, at hoc omnino falsum est. Namque res creata, quæ cernitur in Verbo, non est quiddam aliud à Verbo distinctum, id quod diuus Ioan. apertissime significauit inquiens, quod factum est, in ipso vita erat: perinde ac si diceret, rerum pro creatarum essentiam in Verbo, esse vitam, esse diuinitatem, esseque æternitatem.

**PRÆTEREA**, si eodem actu simul cognoscit verbum, & rem in Verbo, eadem etiam dilectione posset, cum verbum ipsum, tum creaturam diligere. Namque cuius cognitioni amor respondet, hoc tamen effici non posse declarat extremorum diuersitas. Namque Deus & creatura, diuersa sunt extrema: quare vt Dei dilectio, sit etiam creaturæ dilectio, fieri non potest.

**HÆC** facile diluuntur. Ac quod ad primū argumentū attinet, dicitur triplicem esse imaginem: est enim quædam imago, quæ rei quam refert, similis est,

& si



& si non similitudine naturæ: certe reali, aut coloris, aut quantitatis similitudine. Est alia quæ rem, sub conditionibus eidem non conuenientibus representat. Tertium genus imaginis, vt non sit cum re, quam refert, naturæ societate coniunctum, est tamen illi in representando similitimum, nempe quod omnia quæ insunt & spectantur in re, perfecte, ac distinctissime, siue secretissime referat. Propositio igitur illa maior vera est, quod attinet ad primum, ac secundum genus imaginis, nam primum genus imaginis semper eodem modo representat, quantumuis res quam exprimit, cõmutetur: ac proinde potest rem præter atque est representare. Non sic habet in tertio imaginis genere, ex quo vt vt omnia sub quacũque dispositione, tertio illo genere represententur, eoque conspecto cernantur, huiusmodi imago est diuina natura, tametsi res in diuina natura, non tam sicut res in speculo, quam ceu effectus in causa conspiciantur.

AD secundum, conceditur consecutio, & negatur minor propositio, quod vero ad probationem attinet, dicimus: rem visam in verbo posse duobus modis spectari, vno modo quoad illam entitatem, quæ illi conuenit vt ens est ceteris entibus adnumeratum, altero modo quoad illam entitatem, quam habet in verbo: priori modo res in Verbo conspecta est aliud quiddam ac diuersum à Verbo, posteriori vero modo est ipsa diuina essentia: ac posteriorem hanc essendi rationem Ioannes spectauit, cum dixit: quod factum est, in ipso vita erat.

AD tertium, negatur assumptio. Namque vt Arist. author est, vbi vnum ad alterum refertur, ibi vnum quiddam duntaxat est: ita fit vt eadem dilectione diligatur creatura & Deus, siquidem in dilectione Dei, dilectio creaturæ includatur: quemadmodum in mediis quoq; finis expetitur.

Liche. 2  
d. 3. q. 11.

ITA illud omnino persuasum esse debet, cerni res in Verbo, esse que rerum in Verbo cognitionem intuitiuam. Etenim intuitiue potest aliquid cognosci bifariam, vno modo, vt cognitio immediate terminetur ad rem cognitam sub propria existentia: ipsaque vis cognitiua à re presente, & existente moueatur. Altero modo, vt cognitio intuitiua immediate quidem ad representatiuum præsens, quod ipsum rem representatam vi, efficientia, & eminenter continet: mediate verò, ad rem ipsam representatam terminetur, ipsaque potentia cognitiua immutetur, non quidem ab obiecto, sed à representatiuo, supplente vicem obiecti. Ac priori quidem modo res intuitiue cernuntur in proprio genere, posteriori verò modo in diuina essentia: siue res sint, siue non sint.

# ipsa

Thom.  
veri. q. 8.  
art. 11.

QVONIAM vero quicquid diuina illa natura vi, efficiencia, atque adeo naturaliter continet: angelica natura intentionaliter continet: hinc efficitur, vt quicquid diuina natura naturaliter representat, id ipsum similitudines angelicis mentibus, atque animæ Christi inditæ intelligibiliter representent, ceu ad exemplar diuinæ essentiæ effectæ. Ac proinde mens angelica, interuētu illarum similitudinum, res existentes intuitiue cognoscat.

QVOD vero attinet ad secundum theorema, quod ipsum propositum nobis est initio ad explicandum: quibusdam Theologis, iisque doctissimis, visum est: animam Christi omnia in verbo cernere. Ac Scotus quidem ita argumentatur. Id quod potest multas actiones, quæ inter se non pugnant obire, quemadmodum potest duas actiones suscipere, ita & plures duabus, idque nullo exitu: nam quibuscumque actionibus positis, nulla sequitur repugnantia: at anima Christi vim ac facultatem habet infinitarum visionum in verbo, simul igitur visiones illas potest obire, ac proinde infinita cognoscere. Nam hinc nihil consequitur quod repugnet, neque ex parte receptiui, neque ex parte actionū, siue obiectarum rerum, id quod tñ accidit in materia naturalium formarum receptrice. Nam & si naturalem quandam vim ac facultatem recipiendi omnes formas contineat, non tamen omnes simul potest recipere, ob eam quæ in formis cernitur, repugnantiam, siue dissimilitudinem.

PRÆTEREA nonnullis placuit, Christum in Verbo omnia habitu nosse, igitur & actu, namque actus secundus est præstantior actu primo, iam vero id quod excellentius est, Christo tribuendum est.

ADDE, quia si anima Christi potest recipere infinitas species intelligibiles, potest etiam recipere simul infinitas intellectiones, quandoquidem par sit vtriusque receptionis ratio, at potuit recipere infinitas formas intelligibiles, nam cognitione abstractiua habituali omnium rerum quiditates cognitatas ac comprehensas habuit, iam autem formarum & magnitudinū forme sunt infinitæ, habuit igitur anima Christi illarum quiditatum species intelligibiles, igitur, &c.

ITA concludit Scotus animam Christi in Verbo omnia & infinita contineri, idque vel infinitis intellectionibus simul à vi intelligendi profectis: vel certe vnica intellectione siue visione, quæ ad infinita simul obiecta terminetur.

NEQVE hinc, inquit, illud consequitur, vt aut intellectus sit infinitus intensiue: aut intellectio infinita extensiue: non illud quidem prius, quoniam

intel

intelligere est perfectio quædam accidentaria, igitur infinitarum rerum intellectio non efficit intellectum entitate infinitum, efficit tamen, vt intellectus pluribus cognitionibus perficiatur, id quod pertinet ad accidentariam perfectionem intellectus. Neque hoc posterius consequitur, partim quia ille actus intelligendi, non sit comprehensiuus primi obiecti, scilicet diuinæ essentia, neque secundariorum obiectorum in diuina natura clucentium, nempe cum sua natura & perfectione non sit illa intellectio, aut primi obiecti, aut secundariorum apprehensio: partim quia infiniti illi respectus, ad infinita illa obiecta in Verbo lucentia terminati, inque illa vnica visione fundati, non sunt reales, & actuales, sed potentiales, & fundamentales, quandoquidem obiecta illa ad quæ terminantur, non sunt actu existentia.

**HÆC** Scoti sententia nullo modo defendi potest, partim quia ponit actu infinita scilicet infinitas intellectiones, partim quia cōcedit infinita actu posse pertransiri, id quod pugnat cum natura infiniti, partim quia illa infinitorum cognitio esset intensiue infinita, & non solum extēsiue. Nam si plura ceu tria distincte intelligere, perfectius quiddam est: quam pauciora ceu duo: certe intelligere plura tribus, erit multo perfectius: ac proinde infinita intelligere, erit necessario perfectionis infinitæ.

**SCOTICA** vero argumenta id quod est propositum non efficiunt. Nam quod ad primum argumentum attinet, negatur propositio, namque vt non pugnet duas aut tres aut certe multas actiones poni: pugnat tamen vehementissimè infinitas actu poni, eaque repugnantia non oritur ex repugnantia actionum, sed ex eo quia infinitum actu esse nullo modo potest. Anima vero Christi vim habet eliciendi infinitas intellectiones, non quidem simul, sed quodam successu, idque non categorematice, sed syncategorematice. Vel certe anima Christi vnica visione illa omnia attingit, idque non collectim: sed diuisim ac distributim. Nam vt author est Augustinus, fortassis ibi cogitationes nostræ nõerunt volubiles, ab aliis in alia euntes neque redeuntes, sed scientiam nostram vnico intuitu habebimus. Non negat Augustinus, quin aliud atque aliud subinde beatis mentibus representetur: sed negat illa cerni, alia, atque alia subinde visione: sed eadem elicitue, quamuis non obiectiue, aut terminatiue. Neque enim oportet vt nõnulli putauerunt, quod cum variatur id quod est sub oculos subiectum: visio quoque ipsa euarietur: sitque alia subinde visio rei quæ recens sub visum, ac conspectum cadit. Nam illud quod recens adiungitur, & ad intuendum proponitur, pertinet ad totale obiectum.

August.  
Trini. 15  
cap. 15.

Gab. 3.  
d. 13. q.  
vni, ar. 1.

Q 5 AD

**Item. 3.** **d. 14. q. 2.** **ar. 3.** **Capr. 3.** **d. 14. q. 2.** **Caiet. 3.** **P. q. 11.** **ar. 6.**  
**AD** secundum, negatur consecutio: quia & si habitu possint à potentia finita infinita cognosci, non tamen actu simul, vt idem Scotus docet q. 3. d. 14. nosque ipsum id superiori quæstione, conclusione quarta retulimus.

**AD** tertium respondet Cap. Animam Christi in verbo res tametsi infinitas, per vnicam speciem, scilicet diuinam essentiam intueri. Adhæc interuentu scientiæ infusæ, cognitæ habere infinitas species numerorum & magnitudinū ceu figurarū per similitudines finitas. Nāque similitudines rerum indi- cæ animo Christi, solum sunt substantiarum similitudines, quæ eedem om- nia, quæ rei conueniunt, tam accidentario, quam essentialiter, representant. Ita nullæ accidentium similitudines, aut indiuiduorum sunt animo Christi impressæ, aliōqui vel Christus non omnia cognouisset, vel certe oporteret inesse in Christi animo infinitas actu formas intelligibiles: at vtrumque fal- sum est.

**S V N T** qui putauerint, animam illam Christi, omnia quæ verbo sunt co- gnita, in diuina essentia habitu cognoscere, non actu. Ac de probatione po- sterioris particulæ inter hosce constat. Volunt enim id, vel maxime perspectū, quoniam aliōqui vis intelligendi animæ Christi, naturali alterius animi per- fectioni, infinite antecelleret: id quod omnino falsum est. Consecutio verò hinc intelligitur: quoniam si plura cognoscere, maiorem in vi intelligendi excellentiam requirit, certe infinita cognoscere, infinitam excellentiam re- quiret. Consequentis porro falsitas vel ex eo constat maxime, quia nihil crea- tum, & finitum, infinitæ perfectionis particeps esse potest.

**ADDE**, quia animus in multa simul intentus, imperfectius cognoscit, in infinita igitur actu simul intentus, nihil omnino cognoscit: hac posteriori pro- batione vtuntur Guilelmus, Varro, & Scotus.

**Henr.** **quodl. 5.** **q. 14.**  
**Q V O D** vero ad priorem illam huiusce assertionis particulam attinet: dis- sident inter sese Theologi. Nam Henrico visum est, animam Christi om- nia in Verbo habitu cognoscere, interuentu cuiusdam habitus inhærentis in anima Christi, qui idem est ratio cognoscendi illa omnia distincte, & sub propriis rationibus. Hoc tamen non probatur Scoto, partim quia ille habitus esset infinitæ intensiōis, nempe qui esset formalis ratio cognoscendi infinita obiecta, quorum quodlibet certum perfectionis gradum in ratione formali sui cognitiua requirit, partim quia ille habitus habeat necesse est actum ad æ- quatum, vel vnum, vel multos. Itaque fit vt habitus sit infinitus, vel actus qui est infinitorum obiectorum non sit infinitus, ac proinde quemadmodum habitu potest infinita videre, etiam actu potest.

QV O circa Scotus & Varro aiunt, infinita in diuino verbo habitu cognosci, non quidem per habitum inhærentem, sed per præsentiam actus primi, nempe diuinæ essentia, quæ virtualiter continet omnia obiecta secundaria, ac proinde cernens diuinam essentiam, proximam habet omnia obiecta secundaria cernendi, & cognoscendi facultatem. Ita de sententia Scoti anima Christi infinita contuetur, non quidem collectim: ac simul, sed distributim & quodam successu: qua scilicet ad hoc vel illud contuendum se se accommodat.

D. Thomæ longe diuersa est sententia, quam eandem hisce assertionibus exponimus. Est autem prima assertio huiusmodi. Anima Christi cernit in Verbo omnia præterita, præsentia, & futura, facta scilicet dicta, & cogitata, idque simul vnico intuitu. Namque hæc ad se pertinent omnia, vt qui sit iudex omnium, viuorum scilicet & mortuorum: cuique sit rerum summa à Deo parte demandata: iam vero beatorum quiuis omnia ad se pertinentia in Verbo intuetur: simul autem & vnica visione illa cernit: quoniam simul, & vnica visione illa cernuntur, quæ per eandem speciem repræsentantur. Tum enim illa multa, vnum obiectum totale ex multis partialibus constans efficiunt. Ita fit vt tectum, paries, & fundamentum, simul intelligantur, & vnica intellectione, cum sub domus specie ante mentis oculos proponuntur. Quare cum beatæ mentes res cernat conspecta diuina essentia, sequitur vt nullo successu, sed simul & vnica visione res cernant.

Thom. 3.  
p. q. 10.  
ar. 3.

Thom.  
1. p. q. 12.  
ar. 10.

SECUNDA assertio. Anima Christi in Verbo nõ cognoscit omnia, quæ ipsum Verbum cognoscit. Id vero ita ostenditur. Cognoscens omnia quæ Verbum cognoscit, verbum ipsum comprehendit: at nulla creatura potest verbum comprehendere, non igitur omnia, quæ verbo sunt cognita, creature comprehensa, ac perspecta esse possunt. Propositio ostenditur. Nam cognoscens omnia, quæ verbum cognoscit, nouit & illa, quæ secundum aliquam differentiam temporis sunt actu, & illa quæ fieri possunt à Deo, nunquam tamen erunt: at harum rerum cognitio est diuinæ essentia comprehensio: etenim cognoscens adæquatam effectum causæ, cognitam atque comprehensam habet vim causæ: nam vis alicuius cognoscitur ex eo in quod valet, ex quo fit vt adæquata effectus cognitio, adæquatam inferat cognitionem virtutis, ac proinde adæquatam cognitionem causæ. At infinitum à re creata minime comprehendi potest.

Thom. 1.  
p. q. 12.  
ar. 3.  
Item 3.  
p. q. 10.  
arti. 2. d.  
ver. q. 2.  
ar. 4.

TER TIA assertio. Anima Christi in Verbo nouit infinita, quadam simplicis intelligentiæ cognitione. Namque nouit omnia quæ vi ac potestate in

Thom. 3.  
p. q. 10.  
ar. 3.

cre-

creatura continentur, hæc vero ipsa sunt infinita, ac simplici notitia cognoscuntur, nouit igitur anima Christi, &c.

**QVARTA** assertio. Anima Christi nouit infinita actu in Verbo. Ostenditur. Anima Christi nouit in Verbo omnia, quæ Deus nouit scientia visionis: at hæc sunt infinita: nouit igitur in Verbo actu infinita. Propositio ostenditur. Anima Christi nouit omnia quæ sunt erunt, vel fuerunt actu, siue à Deo illa proficiantur: siue à creatura: hæc autem sola sunt, quæ cadunt sub scientiam Dei, quæ dicitur visionis: nouit igitur omnia quæ Deus nouit scientia visionis. Assumptio vero ostenditur. Nam hominum affectus, & cogitatus infinite actu multiplicabuntur. Hæc sunt nobis tradita à diuo Thoma, quæ eadem probata sunt Thomæ de Argentina Augustiniano: cæterum multis aliis non probatur. Quocirca refutandæ à nobis iam singulæ assertiones sunt aduersariorum refutationibus.

Thom. 3.  
p. q. 10.  
ar. 2. ad 2

Thomas  
Argentin.  
3 d. 14. q.  
vnic. ar. 3

**AC** secundum illud argumentum, quo ostenditur animam Christi non cernere omnia actu in Verbo, valet ad refellendam posteriorem primæ assertionis particulam: quocirca ita dissoluendum est. Multorum quæ multa sunt intellectio, & perceptio, animi ad illa intentionem imminuit, longe tamen aliter res habet, cum illa multa ceu vnum, vel per modum vnius intelliguntur, tum enim in multa simul animus, citra vllam attentionis imperfectionem, potest intendere. Namque illa multa, non vt multa interque se differentia, sed vt vnum quiddam intelligibile animo obiciuntur, ita autem habent ea, quæ vnica specie animo repræsentantur, quæue in alio cernuntur. Qua enim cernuntur in illo vno, neque inter se se, neq; cum illo vno numerantur.

Caiet. 1.  
p. quæst.  
12. ar. 10.

**CONTRA** obiici potest, beatæ mentes in diuino illo Verbo non solum res ipsas contuentur, verum etiam earum inter se se, & à diuino illo Verbo distinctionem, differentiamq; agnoscunt, alioqui res ipsas distincte non cognoscerent, igitur quæ multæ, ac quæ differentes repræsentantur.

Scot. 3. d.  
14. q. 2.

**SCOTVS** illud argumentum diluit bifariam: vno modo vt dicat, re vera multa indistinctius, imperfectiusque simul cognosci, quam pauciora: cæterum id non conuenit intellectui, quæ est prior actu elicitio: sed ob aliquid aliud concomitans, quod ipsum ab esse putandum est ab animæ Christi intellectu. Altero modo ita respondet vt dicat, intellectum illum Christi non elicere visionem primi obiecti, quæ eadem est visio secundariorum obiectorum: sed recipere potius, ceu à diuina voluntate profectam: iam vero diuina illa natura, quæ potuit præstare animæ Christi infinitarum rerum conspectiones, potuit etiam in ipsa efficere visiones æque distinctas & perfectas, multarum atque pau

paucarum rerum.

**HOC** loco existit questio haud vulgaris. Vtrum scilicet beata mens eliceat diuinę naturę visionem: an recipiat potius? cuius explicationem omittendā nobis hoc loco putauimus, ne longius quam par est, ab eo, quod est ad tractandum propositum, digrederemur. Quod vero ad argumentum attinet, dicimus, omnino animam Christi distinctē, idq; vnico a<sup>u</sup>tu in Verbo res ipsas cernere, quandoquidem illa per eandem similitudinem, etiam vt distincta representantur. Est enim diuina essentia cuiusque rei distinctissima imago & similitudo. Iam vero quę distincte per diuersas species repræsentatur, diuersas postulant animi ad illa applicationes: ac proinde non æque distincte simul intelliguntur, ac si separatim cognoscerentur.

**SECUNDA** assertio varie refutatur: aduersariorum tamen argumenta facile dissoluentur: si hæc tria nobis probentur. Principio illud persuasum esse volumus, diuinę naturę comprehensionem non esse in eo positam, vt Deus totus cognoscatur, nihilque ipsius intuentem later. Neq; item in eo, vt totus illius obiecti modus cernatur, namque beati vident Deum sicuti est, hoc est, cernunt ipsius infinitatem: ipsius infinitam essentiam, potentiam, & cognobilitatem: sed in eo posita est Dei comprehensua cognitio, vt ille modus, hoc est, infinita cognobilitas videnti conueniat, ita scilicet vt videns diuinā essentiam infinite cognobilem, ipsam infinite cognoscat. At hoc creaturę conuenire non potest.

**SECUNDO** illud probatum cuique esse volumus: diuinam naturam esse naturale obiectum solius diuini intellectus: à cæteris autem esse conspecta m diuino munere & gratia. Solus enim Deus se naturaliter intuetur, beatę mētis ipsum diuino munere intuentur. Ex quo iam efficitur, vt quę indiuiua essentia elucet, solī Deo naturaliter repræsentetur: intellectui vero creato diuina gratia & voluntate: ac proinde tot res eidem represententur, quot Deus ipsi vult esse repræsentatas: quotue ipsius beatitudo requirit.

**TERTIO** illud notandū est, quod quāuis res omnes, tam creatę, quā procreandę, & procreabiles minus quiddam sint, quam diuina natura, si ipsarū propria entitas spectetur: attamen quā in diuina essentia continentur, non sunt minus quiddam, sed vnum & idem: neque est excellentius illa, quā huiusmodi intelligere: quam ipsam diuinam essentiam.

**HIS** suppositis facile diluuntur aduersariorum argumenta, Scoti scilicet, Durandi, Gabrielis 3. dist. 14. Illud præterea adiungimus, animam illam beatam Christi, multa possibilia siue creabilia in verbo cognoscere, non tamen

omnia

omnia, id quod non proficiscitur ex possibilitate vlla inter se se repugnantia: sed ex eo quia vis causae cognita omnino ac comprehensa teneri non potest. Hoc vero est magnopere notandum.

DE quarta conclusione etiam controuersia est, eaque duobus illis argumentis refutatur, quibus ostenditur animam Christi non potuisse omnia actu in Verbo cernere. Adiungit praeterea Gabriel, si anima Christi cerneret in Verbo infinita actu: & distincte, aut illa cerneret vnica intellectione aut multis, si vnica, illa est infinita, vt quae attingit infinita obiecta, ac proinde aequipollent infinitis intellectionibus ad illa infinita singulatim terminatis: si multis ac distinctis, illa igitur sent infinita, vt quae singulatim infinita obiecta attingat, at neutra infinitudo cadit in animam Christi non igitur. &c.

PRÆTEREA, inquit Adamus, anima Christi non potest plura intelligere quam Deus possit facere: at Deus non potest efficere actu simul infinita, non igitur illa eadem actu simul potest anima Christi intelligere.

ADDE quia posset esse odium infiniti demeriti: si quispiam videlicet infinitos homines simul visos, & ante mentis oculos propositos, odio haberet, aut contra amor infiniti meriti, si eosdem ipsos charitate prosequeretur.

ACCEDIT, quia fieri non potest, vt infinitum percurratur, iam verò. Si cognitio animae Christi, actu ac singulatim infinita obiecta attingit: certe infinitum pertransitur. Id quod rationi rei infinitae vehementissimè repugnat.

HÆC omnia argumenta diluuntur. Ac quod attinet ad argumenta Scoti & Varronis: prius argumentum dissoluitur negata consecutione. Nam visio rerum in verbo non quantificat, aut modificat visionem: sed videre perfectius vel imperfectius ipsum verbum. Est quod nobis obiiciat aduersarius. Tanto quis perfectius cernit principium, de tua sententia, quanto plura cernit in principio: quare si infinita cognoscantur in principio, infinite cognoscitur principium, cum igitur anima Christi infinita cernat in Verbo, est igitur illa visio ac cognitio infinita. Negamus consecutionem, nam vt cernat anima Christi infinita in Verbo, non tamen omnia. Namque vt nouerit infinita vnus ordinis, reliqua sunt tamen infinita alterius ordinis, iam verò infinita Dei cognitio in visione & comprehensione omnium consistit. Scotus concedit illam animae Christi cognitionem, qua omnia cognoscit in verbo, esse infinitam, non quidem intensiue, siquidem illa cognitio, non sit naturalis animae Christi ex principiis naturae profecta, sed extensiue, siquidem attingit tot obiecta, quot attingit diuina cognitio. Adde quia Deus illa eadem perfectius videt, quam anima Christi.



NOBIS non probatur vllomodo hæc Scoti sententia. Nam si anima Christi tot obiecta cognitione attingeret: quot attingit ipse Deus, certe vim omnem diuinam comprehensam haberet, vt quæ cognosceret adæquatum effectum illius causæ, ac proinde respectu rei cognitæ illa cognitio esset perfectissima: & infinita: tamen si ex parte cognoscentis diuina cognitio esset perfectior.

POSTERIVS argumentum Scoti iam est dissolutum. Quod vero ad argumentum Gabrielis attinet, dicimus animam Christi, vnica cognitione infinita in Verbo cognoscere, negamus tamen consecutionem, ob eam quam iam exposuimus, causam. Dici etiam potest illam cognitionem esse infinitam ex parte, scilicet extensiuæ: non tamen infinitam simpliciter, & intensiuæ. Nam cognitio infinita intensiuæ posita est incomprehensione essentiæ infinitæ. Etenim res obiecta intellectui est essentia, quare cum ea, quæ cernit anima Christi in Verbo, sunt essentiæ finitæ, infinita tamen multitudine, sequitur illam cognitionem non esse simpliciter infinitam, sed ex parte: vel certe esse cognitionem altioris ordinis.

AD Adami argumenta, priori respondetur, antecedentem propositionem esse falsam, quemadmodum & illa, quicquid Deus intelligit potest efficere. Nam Deus intelligit mala, quæ eadem Deus facere non potest, item quæ intelligit repugnantia, quæ eadem sub diuinam actionem cadere minime possunt, iam vero infinita simul produci repugnat.

POSTERIVS ita diluitur, quantitas meriti aut demeriti non sumitur ex obiecto, sed ex gradu siue quantitate essentiali rei expenditur, hæc porro essentialis quantitas meriti ortum habet ex quantitate charitatis, vt. si illud sit maius meritum, quod ex perfectiori charitate proficiscitur.

POSTERIVS argumētum est explicatu difficilius, dilui tamen potest consentaneè doctrinæ D. Thomæ. i. p. quæst. 14. arti. 12. ad. 3. Item contra Gent. 1. ca. 69. Notandum est igitur de sententia diui Thom. per transitionem infiniti duobus modis accipi posse, vno modo vt idem sit, quod enumeratio partium singularum quodam successu: altero modo vt idem sit quod adæquatio siue comprehensio. Illud enim dicitur adæquari, & comprehendi, cuius nihil est extra comprehendentem: sed totum coercetur & continetur. Ponitur ergo duplex conclusio. Priori modo infinitum pertransiri non potest, neque ab ente finito, neque infinito, id quod sic ostenditur. Priori modo rei infinite pertransitio constat singularum partium enumeratione: at partes singulæ rei infinite non possunt complete denumerari, nam alioqui veniretur

ad

ad extremam partem: iam vero infinitum nullo extremo continetur, non igitur priori modo infinitum potest pertransiri. Hinc iam intelligitur, infinitum ea ratione quae infinitum est, non modo non a creatura, sed neque a Deo ipso posse cognosci. Nam cognoscere infinitum quia infinitum est, est aliud nihil quam infinitum cognoscere, singulas partes enumerando: ac persequendo: at partium singularum persecutio compleri non potest: non igitur infinitum, quia infinitum est potest cognosci.

**POSTERIOR** conclusio: infinitum posteriori modo potest pertransiri. Ostenditur, illud pertransiri posteriori modo: cuius nihil latet comprehendentem: at nihil rei infinitae latet ipsum Deum: igitur Deus pertransit infinitum posteriori modo. Assumptio ostenditur. Nam quemadmodum in infinito, quacunque parte data datur ulterius: neque est ullus exitus: nullumque extremum: ita etiam Deus quacunque parte infiniti conspecta, cernit ulteriorem, non tamen eius cognitio extremam partem attingit: quam nullam cernit. Non enim rei infinitae partes sunt collectim omnes. At nulla pars remanet incognita, nihil igitur rei infinitae latet ipsum Deum.

**HINC** sequitur infinitum posse perfecte cognosci, non quidem quatenus infinitum, hoc est, per partium enumerationem, sed quatenus finitum, hoc est, per ipsius comprehensionem, adaequationem, & quasi finitionem. Nam auctore Augustino, illud comprehenditur: quod cognoscentis notione finitur. Adde quia non cognoscitur quodam successu: sed simul ceu infinitum quiddam.

**ANIMA** igitur Christi, infinitum multitudine cognitum habet in Verbo: non quasi pertransiendo, ut argumento conficitur, sed quasi adaequando.

**QUOD** vero attinet ad quantitatem beatitudinis animae Christi, id est omnino sentiendum, quod de Christi gratia diximus esse sentiendum: quando quidem beatitudo gratiae respondet. Est igitur beatitudo animae Christi summa ac maxima de lege, non tamen absolute & simpliciter, quod ipsum testatur D. Thomas 3. p. quaest. 11. artic. 4. ad 3. Ac de scientia animae Christi haec tenus.

## DE POTENTIA ANIMAE CHRISTI.

### Quaestio. VIII.

*Vtrum anima Christi fuerit omnipotens?*

**I**n coassumptis numeratur etiam potentia. Quo circa illud imprimis venire in quaestionem solet, vtrum anima Christi habuerit omnipotentiam?

Namque

Namque affirmationi illud maxime suffragatur, quoniã anima Christi tãtam habuit scientiam, quantam Deus habet: cum igitur Deus omnia possit efficere quæ nouit, relinquatur & animã Christi, cum similiter nouerit omnia, potuisse etiam omnia efficere.

**AD DE**, quia Christus omnem est scientiam consecutus, practicã. s. & theoreticã: quo efficitur vt omnia nouerit, quæ cadunt sub vtrinq; scientiam, ac proinde potuisse omnia efficere quæ nouit.

**NEGATIONI** tamẽ omnes Theologi assentiuntur, quorũ sententia nõ nullis assertionibus, interim prepositis nõnullis distinctionibus, explicatur. Prior distinctio est huiusmodi. Anima Christi potest spectari duobus modis, vno modo secundũ suã naturã: altero modo qua est diuino Verbo hypostatice cõiuncta: estq; proinde ipsius instrumentũ. Posterior distinctio est huiusmodi. Potentia potest bifariã considerari, vno modo secundũ formalẽ inherẽtiam: altero modo secundũ assistentiã: etenim id quod potest quippiã efficere aut id efficit potentia formaliter in ipso inhxerente, aut vi alterius ipsi assistente. Nam & quæ per alios possumus: & ipsi quodã modo possumus.

**ILLVD** præterea præpositum esse volumus, potentiam esse principium quiddã effectiuũ, quod ipsum in aliud à se vim suã immittit, Arist. author. 5. Meth. Porro mutatio triplex est. Est enim mutatio naturalis, quæ efficitur vi naturalis efficientis, consentaneæ facultati & progressionis naturæ. Est mutatio miraculosa, quam efficit supernaturale agens: supra omnem naturæ rationem, & institutionem, vt illuminatio cæci hominis ab ortu. Tertia mutatio est illa, cuius interuentu res creatæ ex nihilo procreantur, & in nihilum tandem reuocari possunt. Quocirca illud efficiens est omnipotens, quod valet omnem mutationẽ efficere. i. cuius vis ad omnẽ mutationẽ creaturæ valet.

**HIS** ita positis & constitutis, ponuntur nõnullæ assertiones. Prima assertio. **ANIMA** Christi per vim & potentiam sibi formaliter inherẽtem: nõ est omnipotens. Id vero ita ostenditur. Anima Christi interuentu potentia sibi formaliter inherẽtis, non potuit omnem transmutationem efficere, non igitur per potentiam sibi formaliter conuenientẽ fuit omnipotens. Antecedens ostenditur. Namq; vis & potentia formaliter inherens in anima Christi, erat potentia creaturæ ex initiis naturæ profecta: sed omnis vis, & potentia creaturæ, certis limitibus continetur, & definitur: quemadmodum ipsa essentia creaturæ: non igitur valet ad omnia.

**ADDE**, quia si anima Christi per potentiã sibi formaliter inherẽtẽ, valeret ad omnia, & quelibet anima per potentiã sibi formaliter cõuenientẽ, ad oĩa

valeret, id quod aperte falsum est. Cōsecutio vero hinc liquet, quoniā vis illa ex principiis naturæ proficiscitur, quare ubi sunt eadē principia: sit oportet eadem ac par ratio potentiæ: cū igitur in quavis anima cernatur eadem principia, in sit etiam in quaq; eadem, ac par ratio potētiae oportet.

**SECUNDA** assertio. Anima Christi, per potentiam sibi formaliter inherentem ex initiis naturæ profectam, ad ea duntaxat efficienda ac præstanda valuit, ad quæ valet cuiusque hominis perfecti anima. Sunt autem ea, gubernatio proprii corporis, & humanarū actionum administratio, ac cæteræ actiones animæ convenientes. Ostenditur. Potentia formaliter inherēs est cōsequens ipsius naturæ: at natura animæ Christi, specie erat cū natura cæterarum animarum consentiens: naturalis: igitur potentia animæ Christi, ad ea sola præstanda valuit: ad quæ valet potentia cuiuslibet animæ ex initiis naturæ profecta.

**TER TIA** conclusio. Anima Christi per nullam potentiā sibi formaliter inherentem, seu naturalem, siue supernaturalem, potuit efficere ea quæ trita naturæ via & ratione effici non possunt, cuiusmodi sunt opera miraculosa. Ac non fuisse in Christo naturalem potentiam, ad harū rerum effectiōem satis constat ex superiori cōclusionē. Accedit, quia potētia naturalis formæ est consequens: quare si anima Christi vim naturalem haberet efficiendi opera miraculosa, vis illa, naturæ humanæ esset consequēs, ac proinde in singulis hominibus cerneretur, ut qui natura cum Christo consentiant.

**NEQVE** fuisse homini Christo datam vim aliquam supernaturalem, effectricē huiusmodi operum miraculorū, quæ formaliter hereret in anima Christi, ceu qualitas quædam permanēs, hinc ostenditur. Quemadmodum Christus Dominus humanas imbecillitates assumpsit: ut ipsarū interuentu, verè se esse hominem declararet: ita etiam miraculosa opera faciebat, ut diuinitatem testatā hominibus redderet: quare quæadmodū imbecillitates erant humanæ naturæ, ita etiā miracula deitatis.

**HOC** porrò ipsum multis Christi Domini testimoniis apud Ioannem apertissime confirmatur, Ioannes. 5. ita ait. Dominus, Pater meus usque modo operatur & ego operor: perinde ac si diceret se p̄na vi operari, non igitur vi aliqua creata supernaturali sibi formaliter inhaerente. Id vero ipsum multo apertius testatur Ioann. 14. Pater, inquit, in me manens, ipse facit opera, item Ioan. 10. opera quæ ego facio in nomine patris mei, isaa testimonium perhibent de me. Quod nam est illud testimonium? Pater & ego vnum sumus. Hinc aperte intelligitur Christum Dominum miracula edidisse, vi & effica-

Ioan. 5.

Ioan. 14.

Ioan. 10.

effica-

efficacitate diuina, quæ sibi cum patre per essentiam cõmunis est, non autem  
 vi aliqua creata supernaturali, in anima inhaerente, quæ ad huiusmodi actio-  
 nes animam perficeret: ad huiusmodi inquam actiones miraculosas, supra  
 naturæ ordinem & institutione. Nam quod attinet ad actiones animæ pro-  
 prias, multæ qualitates supernaturales sunt animo Christi indite, quæ ad hu-  
 iusmodi actiones obeundas animum ipsius summe, & decetissime perfice-  
 rent: sunt autem huiusmodi actiones intellectus, & voluntatis actiones, &  
 actiones meritoria, quæ vulgo dicuntur ab his imperata. Haftenus omnes  
 Theologi consentiunt.

**CÆTERVM** quo pacto anima Christi potetiam habuerit ad huiusmodi  
 mutationes miraculosas: non eodẽ modo omnes Theologi exponunt. Durã-  
 dus putat animã Christi hanc potetiam habuisse per assistentiam diuinitatis:  
 ita scilicet ut ille homo Christus vi diuina sibi assistente miracula ederet: quibus a-  
 lioqui ea quæ hominibus tradebat, cõfirmaret. Nam cui conuenit docere ea  
 quæ superant hominis captum, conueniat etiam necesse est & illa facere, quæ  
 superant naturæ ordinem, quibus illius doctrinae veritas testatissima efficia-  
 tur: at prius illud conueniebat homini Christo, ceu primo & vniuersali do-  
 ctori religionis Christianæ: & hoc etiam posterius vt conueniret oportuit:  
 non per potetiam naturalem siue supernaturalem, in illa anima formaliter  
 inhaerentem: igitur per potetiam diuinitatis assistentem.

D. Thomas asserit animam Christi habuisse vim efficiendi miracula instru-  
 mentariè, siue actione diuinitatis propria participata. Hoc vero vt intelliga-  
 tur melius, notandum est de sententia eiusdem Thomæ. 3. p. q. 19. ar. 1. in cor-  
 pore, item in responsione ad secundũ, rem illam quæ est instrumentum posse  
 spectari duobus modis, vno modo quatenus est res quædam, constans pro-  
 pria natura & forma: altero modo quatenus adhibetur ab efficiente, ad effi-  
 ciendum id, quod est ipsi ad efficiendũ propositũ. Ac priori modo actio illius  
 distinguitur ab actione primarij efficientis: vt quæ sit consequens propriæ for-  
 mæ, ceu incisio dolabri: neq; habet rationem instrumenti. Posteriori vero mo-  
 do rationem obtinet instrumenti, ipsiusq; actio instrumentaria non est diuer-  
 sa ab actione primarij efficientis: sed omnino eadẽ. Namq; res illa quatenus  
 adhibetur ad efficiendũ id, quod est primario efficienti propositũ: ceu effectio  
 scamni, particeps redditur actionis, & effectio primarij efficientis. Ita fit  
 vt effectio scamni sit ab efficiente primario effectiue & principaliter, à dolabro  
 vero effectiue instrumentariè.

**QVIA** vero dolabrum ex illo motu ac vsu artificis, consequitur cum ra-

tionem instrumenti, tum vim & efficacitatē quādam relatione ad effectum principalem: hinc efficitur, ut vis instrumentaria & efficacia, cōsistat in illo motu, sitq; media interiecta inter vim efficientis primarij, & ipsum effectū primarium. Quoniam vero motus est in rebus fluentibus, hinc cōsequitur, ut vis instrumentaria non sit vis permanēs: sed fluens potius.

**I L L V D** præterea hinc intelligitur, motum illum siue vsum instrumenti, per propriam actionem instrumenti, ceu sectionem: deferre vim & efficacitatem efficiētis primarij ad effectum. Artifex siquidem lignū secando, scamnum fabricatur, vnde & motus ille artificis, quo agitatur instrumentū ad efficiendum id, quod est artis propriū, dicitur motus virtuosus. Quocirca motus instrumenti non cooperarius arti, dicitur motus simpliciter, non tamen motus instrumentarius, aut virtuosus.

**C V M** igitur Deus Optimus & Maximus, qui sola vi sua potest efficere miracula, creaturam aliquam adsumit, ceu instrumentū ad effectum miraculi, ipso vso seu applicatione creaturæ, vim quandam illi donat effectiuam, & instrumentariam ad efficiendum miraculum, estq; proinde actio creaturæ siue interior veluti mentis in Deum sublatio, siue exterior, ceu locutio: aut contactio, delatrix diuini imperij: & executrix diuinæ voluntatis. Quia vero illa actio creaturæ, siue interior, siue exterior, antecedit opus miraculosum: proinde dicitur operatio dispositiua: siue præparatiua. Notanter autem diximus, quando Deus assumit creaturam ceu instrumentum ad edendum miraculum: namq; viri sancti ac pij bifariam edunt miracula, vno modo precatione, & ante actæ vitæ merito, ac hoc modo dicuntur efficere miracula impetrando. Nā Deus solus efficit miraculum, antecedente tamen viri pij precatione ac supplicatione: ceu causa sine qua nō.

**A L T E R O** modo viri sancti efficiunt miracula, ceu instrumenta exequentia actione propria siue interiori, siue exteriori diuinum imperium: ac hoc modo sanctissimi viri dicuntur efficere miracula potestate quadā: ita scilicet ut viri sancti non solum sint intercessores: & bene de Deo meriti: verum etiam coeffectores miraculi. Ac hoc posteriori modo inerat in anima Christi vis quædam ad efficiendum miracula, vis inquam instrumentaria, cum .s. diuinum Verbum actione animi Christi, siue interna, siue externa vteretur, ceu diuini imperij delatrice.

**H I N C** iam patet explicatio illius argumenti, quo vis hæc instrumentaria animæ Christi refutari consuevit. Namq; instrumentū efficit aliquid, quod ipsum per modum dispositionis valet ad effectū efficiētis primarij: at Christi

homi-

hominis actio, nihil huiusmodi efficiebat. Quid enim effecit vox Christi ad Lazari excitationē? aut manus contactio ad cæci illuminationē? Data propositione, negatur assumptio. Nā actio Christi erat delatrix diuini imperij ad rem illam, in qua alioqui erat efficiendum miraculum.

**HINC** etiam illud intelligitur, quo pacto in Sacramento insit vis quædā effectrix gratiæ. Est siquidē vis illa instrumentaria consistens in illo motu siue vsu sacrae rei, quam Deus adhibet ad sanctificandam creaturam. Estq; actio creaturæ delatrix diuini imperij, ceu ablutio aquæ in baptismo. Etenim Deus vtitur ablutione illa visibili & externa, ad effectū inuisibilem, & internum. s. infusionem gratiæ: per quā sanctificatur creatura.

**STATVATVR** igitur iam quarta cōclusio in hunc modū. Anima Christi per potentiam diuinitatis sibi assistentem, iuxta Durandi sententiā, vel vi, & efficacitate instrumentaria, de sententia D. Thomæ, quæ nobis magis probatur, edebat miracula: illa autē vis cōsistebat in actione humana Christi seruiente Deo instrumentarie, ad effectiōnē miraculi.

**QVOD** vero attinet ad effectiōnem ex nihilo, ponitur quinta assertio.

**ANIMA** Christi, etiam qua instrumentum Verbi, non potuit quippiam ex nihilo creare, quod ipsum ita ostenditur. Necessē est actionem propriam rei quæ est instrumentum, antecedere effectum primarium, ita scilicet vt prius natura attingat id quod est propositum, quam operatio participata, at nullam huiusmodi actionē potest instrumentum exequi in re creāda, cum nihil sit, non igitur creatura potest instrumentariē creare. Adde, quia instrumentum vim & efficaciam agentis perfert ad id quod est propositum: iam vero nulla vis deferri ad nihil potest.

**NEQVE** est quod nobis obiiciatur gratiæ infusio, quæ instrumentariē attingitur ab humana natura Christi. Namq; infusio gratiæ non est creatio, siquidem amissio, siue deperditio ipsius non sit annihilatio.

**DVRANDO** tamen visum est, animā Christi per potentiā diuinitatis sibi assistentem potuisse creare, ceterū illam actionē non fuisse necessariā ad testificandā diuinitatē: siquidē minus apertū foret, vtrum ex nihilo, an ex aliquo res illa fuisset effecta. Hęc tamen sententia superiori assertione refellitur, hoc ipsum tamen. 2. collectaneorum accuratius excutitur & expenditur.

**SEXTA** assertio. Quod attinet ad immutationem proprii corporis, anima Christi eandem plane habuit immutandi corporis facultatem: quā ceteræ animæ habent. Ostenditur. Anima Christi eadem cum cæteris specie cōtinetur, naturales igitur facultates ipsius eadē cū cæteris specie continebatur.

Nam & si præstantiores essent creatarum animarum facultatibus, illa præstantia non erat posita in diuersitate graduali secundum formam specificam, sed secundum intensiorem, & perfectionem sub eadem specie, ut potè quæ ortum haberet ex præstantioris corporis habitudine, & constitutione. At cæteræ hominum animæ non habent facultatem immutandi propria corpora: nisi secundum ordinem naturæ: anima igitur Christi, quod attinet ad perfectionem naturalem, eandem habuit facultatem.

**CÆTERVM** eidem, quæ erat instrumentum Verbi, erat omnino subiecta omnis sui corporis dispositio, hæc ipsa tamè omnipotètia ipsi diuino Verbo potius, quàm animæ Christi tribuitur. Nam actio primarij efficiētis: ipsi efficiēti potius, quam instrumento, quo utitur, attribuitur.

**IAM** aduersaria argumēta, initio quæstionis posita diluamus. Prioris argumenti hæc est explicatio. Damus scientiam animæ Christi parem esse scientiæ ei, quæ dicitur visionis scientia: negatur tamen consecutio. Namq; rerum imagines & similitudines existentes in mente diuina, sunt effectrices: imagines autem existentes in anima Christi, non item: nam omnis superioris naturæ vis & perfectior, communicatur inferiori naturæ diminutius & imperfectius. Ita fit ut scientia animæ Christi, à scientia diuina vincatur, tum quoad cognoscēdi perfectionem, tum quoad multitudinem rerum sub scientiam cadentium: rerum etiam similitudines, quæ insunt in Christi mente, vim diuinam in efficiendo minime exequent.

**POSTERIVS** ita diluitur. Negamus Christum Dominum habuisse omnium rerum praticam, hoc est effectiuam scientiam: ut interim habuerit rerum omnium, tam earum quæ sub effectione minime cadunt, quam earum quæ cadunt, contemplatiuam scientiam. Nouit enim anima Christi quo pacto Deus creet, id tamen facere ipsa non potuit.

**SËCVNDO** loco addubatur, vtrum quoad expletionem suæ voluntatis, Christus fuerit omnipotens? Hæc quæstio explicatur posita distinctione. Vis animæ Christi potest spectari duobus modis: vno modo quæ ipsa anima erat diuini Verbi instrumentum, altero modo quæ erat humanæ naturæ consequens. Adde, quia id quod voluit anima Christi, aut per se aut per alium erat explendum. Ponuntur igitur nonnullæ assertiones.

**PRIMA** assertio. Anima Christi vi naturali potuit efficere omne illud, quod per se expletum esse voluit. Ostenditur. Christus quatenus homo nihil voluit vnquam à se fieri, nisi quod sub ipsius potestatem caderet: indignum enim esset sapientia Christi: si aliquid vellet per se confectum: quod ipsum

potesta-



potestati, ac efficacitati ipsius minime subiiceretur: omne igitur illud, quod effectum per se voluit, effecit.

**SECUNDA** assertio. Quicquid voluit anima Christi vi diuina perfici & expleri, omnino effecit. Etenim & id debuit fieri. Nam vt, ait, Augustinus, Christus non debuit velle, quod sciuit fieri nõ debere: & vis diuina per Christum hominẽ illud potuit efficere: igitur quicquid voluit, &c.

Quest.  
nou. &  
veteris  
testamẽ-  
ti.

**TER TIA** assertio. Non quicquid voluit anima Christi per ceteros expleri, vi naturæ consequi potuit. Ostenditur. Vis naturæ animæ Christi non valuit ad immutationem proprii corporis: etenim vi naturali non potuit anima Christi animæ suæ statum, quoad actiones & perpeffiones naturales immutare, non igitur valuit ad immutandam alterius voluntatem: potuit enim Christus humana voluntate efficaciter velle: vt aliquis non discederet ab officio, ille tamen Christi voluntate repugnante, potuit discedere: siquidem in potestate naturali animæ Christi, minime situm est peccatum cohibere contra peccantis voluntatem. Ad hanc humanam Christi voluntatem etiam efficacem secundum potentiam naturalem, referendum est illud quod Marci 7. positum est, scilicet quod ingressus domum neminem voluit scire, & non potuit latere: certe illud non potuit consequi vi naturali, vt potuerit interim hoc ipsum, & cætera omnia consequi vi instrumentaria, & actione Verbi participata.

Marc. 7.

**A C** referendum esse illud ad humanam Christi voluntatem, apertissime declarauit Agatho summus pontifex epistola decretali, quæ à Synodo sexta recepta, & comprobata est. Ita enim inquit. Ergo ne ille omniũ cõditor, & redemptor in terris latere volens, non potuit: nisi hoc ad humanam eius voluntatem, quam temporaliter dignatus est assumere, referatur.

Confili-  
orum to-  
mo.

**A D V E R S A T V R** tamen nobis authoritas Augustini, in eo quem de questionibus noui & veteris testamenti cõscripsit libro, ita dicentis. Impossibile est, vt saluatoris voluntas non impleatur: neque potest velle, quod sciu fieri non debere. Ergo quod factum est, hoc voluisse dicendus est Christus. Etenim illud in finibus gestum est gentilium, quibus adhuc tempus prædicandi non erat, vltro tamen venientes ad fidem non suscipere inuidiæ erat. A suis ergo noluit prædicari: requiri autem se voluit: & hoc factum est. Ita de sententia Augustini, Christus Dominus absolute voluit requiri: quãuis illa sui subductione declararet: non dum venisse illud tempus, quo erat euangelium gentibus annũtiandum ac patefaciendum. Hæc diui patris Augustini explicatio perdocta & diserta est. Sic enim multa eius generis, de euulgatione

August.

miraculorum Christi in euangelio tradita, explananda sunt. Prior tamē expositio nobis magis probatur: impossibile autem fuit Christi Domini voluntatem non impleri: in iis quæ aut per se, aut per diuinitatem sibi coniuētam effecta esse voluit. Ac de Christi potentia, deque coassumptis ad perfectionem humanæ naturæ attinentibus hætenus iam coassumptas imbecillitates persequamur.

## DE IMBECILLITATIBVS CHRIS-

ti Domini.

## Quæstio. IX.

*Utrum Christus Dominus naturales humanæ naturæ imbecillitates suscepit?*

**V**ERBUM illud diuinum, quemadmodum assumpsit omnem humanæ naturæ perfectionem, ita etiam dignatus est assumere humanæ naturæ imbecillitates, tam eas quæ corpus, quam eas, quæ animum attingunt. Erant enim tria Christo Domino proposita, scilicet verissimam sui cognitionem hominibus tradere, peccata hominum delere: ad extremum patientiæ documenta dare. Hæc Christus Dominus, humanis imbecillitatibus assumptis, est consecutus.

**PRINCIPIO**, quemadmodum effectis miraculis diuinitatem, ita laborū & dolorum perpessione, veram naturam humanam declarauit. Quis enim Christum Dominum verum esse hominem credidisset: nisi illa, quæ naturā humanā in genere toto attingunt, pertulisset: cuiusmodi sunt mors: fames, sitis, frigus, æstus: & omnino dolorum & laborū perpessio.

**DEINDE** crimina expiantur suppliciis, & acerbitatibus perferendis, siue ab eo qui illa ipsa comisit: siue ab alio qui aliena peccata delenda & expianda suscepit. Etenim peccatum alienum etiam expiari potest ab eo, qui poenā illi peccato debitam sustinet & dependit. At diuinum illud Verbi numen, hoc vel maxime consilio, humanæ se carni coniunxit, vt poenis, peccatis hominum debitis, perferendis, hominum peccata expiaret, fuit igitur conuenientissimum tantæ dignationi: vt imbecillitates quoque nostras assumeret, hoc est, corpus patibile, mortale, caducum: animamque eiusmodi, quæ doloris sensum perciperet, quæque affligeretur mæreret, & angeretur. Vnde illud est

ab

ab Isaia dictum, vere dolores nostros ipse tulit, & ægrotationes nostras ipse portauit. Isaia, 53.

AD extremum non solum redimi hominum genus oportuit ex misera demonia seruitute: verum etiam ad omne munus officij institui: præsertim ad præstandum magnum, & elatum in rebus difficillimis, & aduersis animi, eramus informandi, & cohortandi. Quocirca oportuit, vt homo ille Christus, cui non liberandorum solum, sed etiam instituendorum hominum à Deo negotium datum est, datis integerrimæ & patientissimæ vitæ documentis, nos ad tolerantiam, ceterasque virtutes colendas excitaret. Hinc illa Pauli pietatis plenissima cohortatio profluxit. Hebr. 12 Recogitate eum, qui talem aduersus semetipsum à peccatoribus sustinuit contradictionem: vt non defatigemini animi vestris deficientes.

**A S S V M P S I T** igitur Christus Dominus, tum corpus, tum animam patibilem: & imbecillitatibus iis, quæ huiusce patibilitatis sunt consequentes, semetipsum vltro subiecit: eum morti, fami, siti, frigori, æstui, dolori, angoni, & timori.

**D I C I M V S** vltro hæc Christum imbecillitates suscepisse: quoniam illa corporis & animi patibilitas est Christi voluntate suscepta: permissum est enim, vt ait Damascenus, carni efficere & perpeti, quæ carnis erant propria. Etenim suppressa beatæ animæ in corpus redundantia continuo corpus illud ex contrariis compositum, ex ossibus, nervis & carnibus compactum, suæ est naturæ, hoc est, naturali, vt ita dicam actiuitati, & patibilitati derelictum, ac proinde naturali necessitate voluntarie suscepta, imbecillitatibus, perturbationibus, & perperisionibus subiacebat.

**E X** hisce nonnulla iam colligi possunt non obscure. Illud est primum, Christum Dominum hæc imbecillitates non contraxisse, sed suscepisse. Cæterum obijci contra potest, illud contrahitur quod simul cum sua causa trahitur, ac Christus patibilitatis causam ab origine sumpsit, vt iam diximus, patibilitatē igitur illam, atq; adeo imbecillitates omnes contraxit.

**D I C I M V S** patibilitatis corporis humani duplicem esse causam, naturalem vnā & per se: aduentitiam alteram, & per accidens: illa posita est in mixtione, & concretionem elementorum, & contrariarum qualitatum compositione, quo genere mixtionis, & concretionis initio humanum corpus est à Deo conditum & fabricatum. Cæterum effectum huius causæ, nempe patibilitatem, & corruptibilitatem præpediebat munus illud originalis iustitiæ Adamo diuinitus tributū. Posterior causa posita est in peccato, quod ipsum

amouit ac sustulit id quod aliô qui hominem à patibilitate & corruptibilitate vindicabat: scilicet iustitiam originalem. Simul ac enim homo per incontinentiam à Deo discessit, iustitia originali spoliatus est, estque illa expoliatione effectum, vt causa patibilitatis in ipso existens effectum sui proprium proferret: hoc est, per passionem mortis: & cæterarum imbecillitatum. Ita fit vt in genere causæ, compositio ex contrariis sit causa patibilitatis remotior: peccatum verò propinquior: cæterum efficientia & effectum, illa propinquior causa est, hæc verò remotior. Nam primum peccati actione sublata est iustitia originalis, deinde ex principiis naturæ consecuta est patibilitas.

Nota.

**EX** quo iam efficitur vt primaria harum patibilitatum causa sit ipsum peccatum: nam inuidia diaboli intrauit. Mors in orbem terrarum, item, per hominem vnum intrauit peccatum in mundum, per peccatum mors. Quocirca is contrahere huiusmodi defectus & imbecillitates dicitur, qui ex debito peccati easdem contrahit. Cum igitur in Christo peccati labe nulla fuerit: assumpsit enim humanam naturam ea puritate præditam, quam eandem habuit Adami natura felicissimo illo innocentia statu, sequitur vt hæc imbecillitates non contraxerit, sed susceperit potius: potuit enim corpus non patibile assumere.

Sap. 2.

Rhom. 5

**DEINDE** illud intelligitur, nō omnes imbecillitates nostras Christū dominum suscepisse: sed eas duntaxat, quæ vniuersè deprauationem humanæ naturæ sunt consecutæ, dummodo cum Christi domini excellentia: & perfectione minime pugnarent: quod genus imbecillitatum D. Ioannes Damascenus appellat. *φυσικὰ καὶ ἀσθενήματα παθῆναι*, id est. Naturales & non detrectabiles perturbationes. Quæ easdem quadam veluti descriptione explanans inquit, naturales autē: & non detrectabiles, siue reprehensibiles affectus sunt illi, qui in nostra potestate siti non sunt: cuius generis perturbationes & imbecillitates, ex præuaricationis condemnatione, multationeque extiterunt: & in hominum vitam irrepserunt: ceu famis, sitis, lassitudo, labor, lachrymæ, corruptio, impendentis mortis recusatio, timor, concertatio, ex qua aliô qui sudores: & sanguinis guttæ existunt: & id genus cætera: quæ natura cunctis hominibus conueniunt. Hæc igitur omnia ille suscepit: quo omnia sanctificaret. Hæc Damascenus.

Libr. 3.  
ca. 30.

**ITA** fit vt dominus I E S V S non susceperit illas imbecillitates, quæ ex causis specialibus in hominibus ortum habent, ceu morbos & ægritudines. Neque itidem peccatum et ignorationem: illi siquidem defectus in vniuerso hominum genere nō in sunt: hi verò cū Christi dñi excellentia minime cōueniunt.

AD

AD dubitauerit tamen hoc loco quispiam, an ne potuerit morbus aliquis aut febris in Christum dominum incidere? At negationem illud confirmat, quoniam morbus omnis in qualitatuum quadam dissensione consistit: at huiusmodi qualitatuum dissensio: ægraque corporeæ dispositionis affectio cadere in Christum minime potuit, non enim id decebat: nullus igitur morbus potuit Christo domino accidere. Adde, quia causa effeatrix morbi naturalia principia profligat: & perturbat vsque adeò, vt à propriis illa aut actuositatibus, aut patibilitatibus vel præpediantur omnino: vel certe retardentur: at hoc ipsum non licet Christo tribuere, non igitur.

AFFIRMATIONEM verò illa confirmant, quoniam Christus vim frigoris vimque æstus senserit, potuit igitur ab immoderatiore frigore, vel calore lædi.

PRÆTEREA, suppressa beatitudinis redundantia, corpus Christi naturæ patibili & alterabili derelictum est, at corpus patibile & alterabile à continentis æris qualitate afficitur: & læditur: potuit igitur corpus Christi inde affici & lædi.

ITEM, externæ impressiones oblesivæ, corporis habitudinem immutant, afficiunt & profligant: & febrem inducunt: ceu percussio & vulneratio: at huiusmodi externas impressiones Christus, easque vehementissimas, pertulit: nihil igitur est dubij, quin interna corporis dispositio inde fuerit alterata: ac male affecta. Quocirca illa causa morbi quæ ex immoderatione vitæ: & intemperantia proficiscitur, nullo modo neque incidit, nec cadere potuit in Christum: vt qui nihil præter ordinem aut egerit, aut agere potuerit: illa tamé egritudo quæ ex causa externa, eaque violenta proficiscitur, cadere potuit in Christum: imo verò cum ingentes corporis cruciatus ferret, & exciperet, citra dubitationem affirmari poterit, Christum dominum fuisse ægre corpore affectum, illamque ægritudinem pertulisse: quam afferre huiusmodi tormenta: & cruciatus consueuerunt.

HINC iam liquet argumentorum, negationem confirmantium, explicatio. Namq; vt omnis corporis egritudo in qualitatuum dissensione consistat, non tamen omnis ex interna causa, siue ex victus intemperantia ortum habet: namque interdum ex impressione externa per vim allata proficiscitur: illa inesse in Christo non potuit, hæc potuit.

NEQVE est vlllo modo negandum naturalia corporis Christi principia fuisse, excruciationis illo tempore, à propriis actionibus vel præpedita omnino, vel certe retardata, cui rei argumento sunt vel apertissimo, Christi in ingrediendo

diendo defatigatio, & ad crucem perferendam imbecillitas: vox faucibus hærens: ac cæterarum actionum vitalium præpeditus, vel retardatus vsus, ac functio.

Isai. 53.

**HANC** porrò nostram de Christi ægritudine sententiam illud Esaia confirmat: vere dolores nostros ipse sustinuit: & ægritudines nostras ipse pertulit.

### Quæstio. X.

*Vtrum si Christus à Iudæis non fuisset occisus necessitate naturæ mortem obiisset?*

**CVM** igitur dominus **IESVS** Christus corpus patibile: alterabile, ac demum dissipabile adsumpserit, quæritur, an ne si à Iudæis non fuisset occisus: necessitate naturæ mortem obiisset, veluti nimio senio confectus? Hanc quæstionē explico tribus positis assertionibus, ac prima est huiusmodi: **ANIMA** Christi potuit efficere, quominus ille homo mortem, aut naturæ necessitate contractam, aut vi illatam subiret. Ostenditur. Anima Christi erat beata, potuit igitur illam beatitudinem corpori impertire: itaque corpus ab omni impetu, detrimento, ac læsione vindicare. Nam beatitudinis communicatione corpus humanum efficitur impatibile: & incorruptibile.

**SECUNDA** assertio. Suppressa beatitudinis in corpus redūdantia, anima Christi, non potuit efficere, quominus mortem à Iudæis illatam perferret. Namq; nulla creatura potest naturæ ordinem & institutum immutare, hoc enim efficere solum potest conditor naturæ: at natura sic instituit, vt actiuis vim suam in patibilia immittentibus, & eadem exuperantibus: mors, dissipatio, & interitus consequatur: non potuit igitur Christus applicatis causis interitus effectricibus: ceu percussione corporis: ipsiusque in crucem sublatione, non interire.

**TERCIA** assertio. Suppressa, ac cohibita beatitudinis inundantia, si Christo non fuisset per vim mors illata, omnino ille, naturæ necessitate, mortem obiisset, id quod ita ostenditur. Id omne quod vitam tuetur alimento, tandē aliquando vitam amittit: at Christus dominus, quā homo vitam tuebatur alimento, tandem igitur aliquando desiturus erat. Ac propositioni fidem facit Aristot. authoritas priori de ortu & interitu rerum libro, quo loco inquit, quod quemadmodum vinum efficitur impurius aquæ admitione, minorisque acrimoniæ, infusa verò copiosiori aqua efficitur dilutum: ad eundem etiā modum

Aristo. I.  
de generat  
rat & corrup.  
c. 5.

modum membra animalis, in quibus inest vis nutritiva: & calor innatus, ad iunctionem, & admissionem impurius alimenti, redduntur impurius, minusque valentia ad assimilandum sibi alimentum, interuentu nutritivae facultatis, & caloris nativi. Ac tandem ad eam aetatem pervenitur, quae aetate forma membri, adiunctis sibi inservientibus instrumentis, vim quidem illa habet alimenti resoluendi, conuertendi & assimilandi non item: ac hunc animalis statum, mors ipsius & dissolutio consequitur. Est porro haec aetas nimiae senectutis, quae aetate vis ingeniti caloris frangitur, ac tandem deficit: iam vero defectui caloris vitae extinctio necessario succedit. Namque vita animalis calido & humido conservatur.

**Q**UAMVIS igitur Christus vixerit quam moderatissime: ob praedictam tamen causam foret aliquando moriturus.

**O**B I I C I tamen contra potest illa domini, apud Ioannem sententia, nemo tollit animam meam à me: sed ego pono illam à me ipso, item, potestatem habeo ponendi animam meam: nulla igitur, aut naturae, aut violentiae necessitate mori, repugnante voluntate, Christus potuit. Dicitur potestatem Christi posse spectari bifariam, vno modo vt Verbi instrumentaria, altero modo vt humana, principia naturae consequens, ac priori quidem modo erat in Christi potestate situm, mori & non mori: id siquidem referendum est ad coniuncti Verbi potestatem: posteriori vero modo non item. Adde, quia anima illa Christi quatenus beata, illud potuit efficere, vt iam exposuimus.

Ioan. 10.

**Q**UO circa annotandum est magnopere id, quod tradit Damascenus tertio de fide orthodoxa cap. 2. ita enim inquit. Itaque naturales nostrae perturbationes fuerunt in Christo, & naturae consentaneae: & supra naturam. Naturae quidem conuenienter huiusmodi affectus excitabatur in Christo: quoniam permittit carni, vt propriis motibus ciceretur: supra naturam vero in illo fuerunt: quoniam naturalia non anteuertebant in domino ipsius voluntatem. Nihil enim coactum in Christo spectatur: sed omnia voluntaria in illo fuere, volens siquidem famam, volens sitim pertulit, volens timuit: volens demique animam efflauit. Haec Damascenus. Fuit autem nihil coactum in Christo, coactione opposita voluntati aut diuinae aut humanae deliberate, quae ipsa fuit semper cum diuina, re volita, consentiens: vt fuerit interim aliquid coactum in Christo, coactione repugnante inclinationi: & voluntati naturali. Ita pertulit Christus vim clauorum, & verberum: ac denique corporis dissolutionem: inuita corporis, & animae natura, cuius est proprium mortem,

Damasc.  
3. c. 20.

Nota.

dissipa-

dissipationem, & omnia quæ corpori nocitura videantur, auerfari, & pro Virtutibus declinare. Ac hæc hactenus fuerunt huiusmodi affectus in Christo naturales, vt testatur Damascenus:

**A**C de imbecillitatibus corporis hactenus: nõ nihil iam de imbecillitatibus animi differamus.

**Q**uestio XI.  
**V**trum Christus animi imbecillitates suscepit?

**C**HRISTVS Dominus omnes animi nostri imbecillitates: omnesque affectus: & perturbationes suscepit: iis exceptis, quæ cum ipsius excellentia pugnarent, cuiusmodi sunt peccatum & ignorantia. Ceterum nullas in Christo omnino fuisse perturbationes facile declarat nomen perturbationis. Nam huiusmodi affectus ob id perturbationes dicuntur, quoniam rationem perturbant, quandamque ipsi caliginem offundunt: quæ efficitur, vt homo id quod rectum, & officio consentaneum est minus videat: ac proinde ab officio discedat. Quocirca veteres, hosce affectus, egritudines appellauerunt: illumque animum ægrum esse existimauerunt: qui huiusmodi affectibus commoueretur.

**P**RÆTEREA quæangi & incedere Christus potuit, qui Deum conueniens summis voluptatibus fruebatur, cuique nihil præter voluntatem potuit accidere? Iam vero, Augustino teste, tristitia iis de rebus capitur, quæ nobis molentibus accidunt.

**T**IMERE autem quæ potuit is: qui omnia euentura certo nouerat, quiq; omnia incõmoda potuit quam facillime declinare? Iam vero timor, Aristotile auctore, iis de rebus suscipitur, quæ impendent illæ quidem, incertum tamen habent euentum, possuntque declinari. Quo efficitur, vt cum timore semper sit quædam impendētis mali euadēdi spes coniuncta.

**I**RASCI vero non potuit is, qui animo semper quieto, tranquillo, ac pacato fuit: iam autem iræ affectio commotionem quandam animo, ac perturbationem affert.

**H**ÆC facile diluuntur. Quod igitur ad id, quod primo omnium est obiectum, atinet, dicimus huiusmodi affectus, in Christo Domino nullo modo fuisse animi egritudines, aut perturbationes: sed propassiones quasdam potius. Interest autem inter animi passionem, & propassionem: non secundum

materiã

Aug. 14.  
de Trin.

Arist. 2.  
de Rhet.  
libro.



materiam, sed secundum formam. Nam idem numero & specie affectus, dicitur tum passio, tum propassio: passio quidem cum rationis iudicium & deliberationem anteuertit, priusque excitatur, quam ratio se colligat, inque affectionem illam intendat: propassio vero, cum iudicium & deliberatione consequitur: ita scilicet vt pro rationis imperio: & iudicio eiusmodi affectio in animo existat: sitque cum ipsius ortus, tum progressus, mentis iudicio & imperio subiectus. Priori modo huiusmodi animalis affectio, ægritudo quædam est animi, & perturbatio: ac tum vel maxime: cum animo imperat, ipsumque aut deicit, aut frangit, aut effert, aut titillatione voluptatis à recto abducit. Ac hoc modo accepisse huiusmodi affectus Stoici putandi sunt: cū ex animo sapientis eos omnino eiici edos, ac tollendos esse censuerunt: ipsosque animi morbos & ægritudines appellauerunt. Posteriori tamen modo affectus huiusmodi in malis, & vitiis non sunt: sed cōmōtiones quædam sunt naturæ animalis, cuius est proprium, ab his quæ sensum doloris afferunt, abhorrere, ad ea vero impelli, quæ delectant. Hinc illud est ab Augustino, ad reprehensionem Stoicorum dictum: cum rectam rationem sequuntur istæ affectiones, & quando, & vbi oportet adhibentur, quis <sup>etiam</sup> ens tum morbidas: aut vitiosas passiones audeat dicere? Ac priore quidem modo huiusmodi affectus non conuenerunt Christo, sed posteriori modo solum, vt testatur Augustinus inquit adhuc modum. Ipse dominus in forma serui, vitā agere dignatus: humanitus adhibuit eas affectiones. s. vbi adhibendas esse iudicauit: neq; enim in quo verumerat hominis corpus: verusq; hominis animus: falsus erat humanus affectus.

Stoici.

Aug 13.  
de ciuit.

Rho. 7.

**COLLIGE** hinc, affectiones animalis naturæ Christi, ab affectionibus animalis naturæ cæterorum hominum, ortu, progressu, & re obiecta fuisse seunctas, ortu quidem, quia in cæteris hominibus, rationis deliberationem & iudicium vt plurimum præcurrunt: at in Christo Domino consequentur. Progressu vero, quoniam in cæteris hominibus animum eo interdum, quo præter rationis præscriptionem impellunt, victum pertrahunt, vel certe animum afficiunt, & perturbant: in Christo autem Domino non itē: sed in parte animi sentiente ita consistebant, vt interim nullo rationi impedimento essent. Postremo huiusmodi affectus in cæteris hominibus ad id interdum impellunt, quod abhorret à ratione: in Christo autem huiusmodi affectuum impulsus nullo modo fuit. Cum autem huiusmodi animales affectus, ad id impellunt, quod alioqui est ab officio & ratione alienum, vocantur à D. Paulo passiones peccatorum: quæ ex fomite oriuntur,

SECVN.

**SECUNDVM** argumentum ita diluitur. Christus Dominus mente quæ est pars animi superioris Deum cernebat Deoque summa cum voluptate fruebatur. Hæc porrò intelligentis, ac superioris animi partis beatitudo, in partem animi sentientem, & inferiorem, inque corpus ipsum Christi minime redundabat, id quod diuinitus effectum est, vt corpore propriæ patibilitati derelicto, Christus incômoda, quæque obledunt, angunt & excruciant, animo & corpore perferret. Sic ubi tamen Hilarius videatur contra sensisse, eius verba sic interpretanda sunt, vt non doloris sensum Christo, sed per passionis necessitatem detraxerit.

**PORRO** huiusmodi dolorum & cruciatuum incômoda, secûdum se & absolute spectata, aspernatus & auersatus est Christus: & voluntate naturali, & animali appetitu, eadem tamen, per relationem ad hominum liberationem: paternamque voluntatem: summo est studio, & incredibili deliberatæ voluntatis alacritate, amplexatus. Naturalis Christi voluntatis erat illud, **Mat. 26.** Pater transeat à me calix iste: deliberatè vero illud, verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.

**TERTII** argumenti hæc est explicatio. Timor & tristitia partim cõsentiant, partim differunt, consentiunt quidem materiali obiecto: differunt tamen conditione, siue ratione formali obiecti. Etenim vtrique, tristitiæ videlicet, & timori, malum est propositum: sub alia tamen & alia ratione: tristitia siquidem ortum habet ex comprehensione mali certi, siue iam adsit, siue sit euenturum. At timor excitatur ex cognitione mali incerti, quodque vitatu est possibile: incerti inquam, vel quoad substantiam rei, cum scilicet putatur mali aliquid esse euenturum: ignoratur tamen certo esse euenturum, vel quoad aliquam circumstantiam: id quod fit tum maxime cum malum certo est euenturum, omnis tamen eius circumstantia ignoratur. Quo efficitur, vt semper cum timore incertitudo aliqua, & spes euasionis sit coniuncta: cum tristitia vero certitudo. Illud præterea efficitur, timori semper esse adiutam tristitiam. Nam malum illud quod impêdet, ac timorem incutit, quia malum est, quæue naturali & animali appetitui repugnat: quæue non nihil habet certitudinis, tristitiam affert, ac deiicit animum. Adieciimus illud, quæue non nihil habet certitudinis: quoniam malum futurum nunquam affert tristitiam, nisi vt certum cognoscatur, ac percipiatur animo. Sin vero per abstractionem à certo vel incerto percipiatur, timorem efficit. Ac hoc modo perceptio futuri & impendentis mali, timori fuit Christo: non quidem quatenus incertum: (certo enim nouerat illud esse euenturum, quæadmodum

relta-

testatur D. Ioannes inquit: Sciens autem IESVS omnia quæ euentura erant super eum) sed quatenus sub ratione mali, vim ad lædendum & cruciandum habentis, animo obuersabatur: per abstractionem interim à certo vel incerto. Illud porro malum vt potuerit Christus vi diuinitatis facile declinare, carnis tamen imbecillæ vi, vel nullo modo, vel certe ægre illud potuit effugere ac vitare.

Ioan. 81.

QVOD verò ad quartū argumentū attinet: notandū est in ira tria spectari, scilicet materiā, formā & effectricē causam. Ira materialiter in cōmōtione sanguinis in corde consistit. Sanguis enim existēs in corde, varie variis animi affectibus, & p̄turbationib⁹ afficitur. Nā timore secedit, pudore diffūdit. Id verò quod formæ & finis rationē obtinet in ira, est appetitio vindictæ, hæc porro vindictæ appetitio, ortū habet ex tristitia de malo vel incōmodo proprio, vel alieno percepta: quo efficitur, vt ira sit effectus tristitiæ, id quod tradit Arist. 2. de rhetor. libro sic inquit.

Arist. 2.  
de rheto  
rica.

Ira est appetitio vindictæ cū tristitia cōiūcta, ob id quia aliquid ad se, vel ad sui aliquē pertinēs indecenter fuerit contēptū, ac reprehensū. Hic porro animi affectus cum à rationis præscriptione abhorret, vitiosus est: tum autē à rationis præscriptione abhorret, cum præter ordinē rationis, ac iuris præscriptionē, vitio expetitur. Cæterū cum rationi & iuri cōsentaneæ, vitio aut appetitur, aut expletur, tum laudi ducitur: appellaturque ira per zelum. Ad hoc genus pertinet illa Mosæ ira, qua est Dei iniuriam & contumeliam, magna hominum strage persecutus. Ad hoc etiam genus refertur ille zelus Phinees, qui duos per incontinentiam coeuntes, ictu gladij simul confodit.

Exod. 32.

Num 25.

IGITVR Christus dominus hoc posteriori genere iræ excanduit: id quod facile declarauit illa tēplum Domini prophanantium eiectio: id quod euenturum aliquando fuit olim à Dauide prædictum. Zelus inquit domus tuæ comedit me, & opprobria exprobantium tibi, ceciderunt super me.

Psal. 68.

Hæc tamen commotio in uerba in ea animi Christi parte, quæ animalis est, inerat, interim in partem superiorem minime redundans. Nulla enim istarum animi partium, in Christo fuit redundantia, sed ita vnicuique parti munus suum obire permissum est, vt vna alteri impedimento non esset. Ita tranquilla & quieta mente Christus dominus ira cōmouebatur, quem admodum etiam eadem læta, mœrore & anguore afficiebatur. Ostendimus fuisse in Christo naturales & vitio carentes affectus, vt qui cum ipsius excellentia minime pugnarent.

e nso  
2 mol

## Quæstio. XII.

*Vtrum in Christo fuerit ignorantia?*

**V**TRVM tamen in ipso fuerit ignorantia, aut peccatum, aut certe peccatifacultas? quæstio est. Ac fuisse Christo ignorantiam siue nescientiam nonnulla diuinarum literarum testimonia ostendunt. Dicitur enim Isai. 8. Antequam sciat puer vocare patrem suum, & matrem suam: auferetur fortitudo Damasci: at puer ille est Christus: igitur in Christo fuit aliquarum rerum ignorantia.

**MAR. 13.** **ITEM** Christus apud Marcum faretur se extremi iudicij horam ignorare, ita enim inquit: de die autem illo vel hora, nemo scit, nec Angeli in celo, nec filius nisi solus Pater: habuit igitur Christus alicuius rei ignorantiam.

**2. COR. 5.** **EST** etiam à D. Paulo de domino IESU Christo dictum: Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit: igitur in Christo fuit ignorantia.

**CÆTERVM** non fuisse in Christo ullam alicuius rei ignorationem, Ioannis testimonio comprobatur, ita dicentis, vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis, hoc est, plenum gratiæ & virtutis, & rerum cognitionis. Iam, quemadmodum plenitudo gratiæ in Christo peccati fomitem omnino exclusit, ita veritatis & cognitionis plenitudo, nullum prorsus ignorationis locum reliquit.

**ADDE**, quia in diuinis literis Christus, dicitur lux, quæ mentium humanarum tenebras erat discussura, & clarissima luce completura: iuxta illud Isaiæ vaticinium. Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam, habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. Cui vaticinio consentanea est illa Zachariæ sententia apud Lucam. Per viscera misericordiæ dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto, illuminare ijs, qui in tenebris, et in umbra mortis sedent.

**CHRISTVS** etiam sese in euangelio lucem appellat, quædiu inquit, sum in mundo, lux sum mundi: & alibi, Ego sum lux mundi: At à luce longe abest caligo & obscuritas: igitur à Christo, vera luce, splendidissimoque iustitiæ sole, longissime abfuit ignorantia vlla caligo.

**RELIQUUM** est vt testimonia scripturæ, quæ huic catholice & verissime conclusioni videtur repugnare, interpretemur. Primum igitur illud ex Isaiâ scriptum testimonium, duobus modis exponitur. Vno modo, vt illud (antequam) referatur ad tempus incarnationis filij dei antecedens, vt scilicet illa verba hæc, quod ad seculum literale attinet continerent sententiam. Ante quam puer sciat vocare patrem & matrem. id est antequam deus humane carnis iteru fiat puer, habens patrem putatiuum, et matrem virginem, futurum est vt rex

Assyri-

Assyriorum robur omne Damasci infringat, atq; debilitet. Quod vero ad sensum spiritualem pertinet, illis verbis declaratur, filium Dei ante incarnationem populo suo, sola nominis inuocatione, opem & salutē attulisse, quē admodum D. Hieronimus interpretatur.

**ALTERO** modo illud Isaiæ testimonium sic explanatur, vt referatur ad tempus incarnationis filij Dei, & illud (antequam) ordinē temporis declarat, secundū ætatē infantilē Domini nostri IESV Christi. Quocirca illa verba hanc sententiam continent, antequā sciat, hoc est, ostendat per ætatē se scire: & humana verba proferat patrē appellās, & matrē auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ coram rege Assyriorū, id quod completū esse testatur Augustinus in aduentu, & adoratione Magorum: quæ prima spolia infans Christus idololatriæ detraxit. Etenim Samaria in sacris literis idolorū cultum significat: siquidem in Samaria populus primū cæpit idola colere. Iam autem Magi ex gentibus vocati, & populo Dei adscripti, erāt spolia Samariæ: quæ infans Christus abstulit diabulo.

**SECUNDVM** ex Marco & Mathæo desumptum testimoniū D. P. Augustinus sic explanat, vt dicat, Christum non simpliciter negasse se illum diem scire & cognitum habere, sed negasse habere se illius diei scientiā manifestatiuam. Nam de diei illius tempore ab apostolis interrogatus dixit se nescire, non quidē simpliciter, sed vt illū diem ipsis patefaceret. Sed iam Augustinū de hac re in expositione Psalmi. 36. differentē audiamus. Vtiliter autem Deus latere voluit illum diem, vt semper sit paratū cor ad expectandū quod esse venturum scit, & quando venturū sit nescit. Quia vero Dominus noster IESVS Christus magister nobis missus est, etiam filium hominis dixit nescire illum diem, quia in magisterio eius non erat, vt per eum sciretur à nobis. Neque enim aliquid scit Pater, quod filius nescit, cum ipsa scientia Patris ille sit, qui sapientia est eius, sed quia nobis scire non proderat, quod ille nouerat qui nos docere venerat. Tanquam magister enim sciebat & docere quod proderat, & non docere quod oberat. Si autem quodam genere locutionis nescire filius dicitur, quod non docet, ideo nescire dicitur quod nescire nos facit, &c.

August

**TERTIVM** ex D. Paulo petitum testimonium ad cognitionē experimentalem referēdum putat Augustinus, in explanatione Psalmi. 34. Explicans siquidem illum versum, insurgentes testes iniqui, quæ ignorabam interrogabant me, sic ait. Domine quid ignorabas? Non ne & inte insurgentium corda noueras? non ne eorum dolos ante te prospexeras? Non ne vt

ab eis patereris, veneras? Quid ergo ignorabas? ignorabat peccatū. Et hoc peccatū ignorabat, non quasi non iudicādo, sed non cōmittendo. Sūt huiusmodi locutiones etiam quotidianę, cum dicis de aliquo, nō nouit benefacere, quia non benefacit, nō nouit malefacere, quia non malefacit.

**A**D huc instari potest vehementissime, ignorantia purę negationis est vere ignorantia, at hanc habuit Christus, aliquarum igitur rerum ignorationem habuit Christus. Minor ostenditur. Namq; Christus diuinam essentiā minime comprehendit, ex quo effectū est, vt illa ignoraret, quę eminenter in diuina essentia continetur. Damus non fuisse Christi scientia comprehēsa ea, quę cadunt sub scientiam simplicis intelligentię. Harum siquidem rerum cognitio, neque pertinet ad statum beatitudinis, nec est intellectui creato possibilis, quemadmodū nec diuinę essentię comprehensio: vt iam alibi docuimus, ex quo efficitur, vt harum rerum ignorantia, siue nescientia non inferat ignorantiā fuisse in Christo.

### Quæstio XIII.

*Vtrum in Christo fuerit, aut esse potuerit peccatum?*

**T**AMETSI Christus humanę nature imbecillitates suscepit, defectibilitatē tamen peccati minime assumpsit: id quod varie ostenditur. Etenim authore D. Ioāne Damasceno, Christus imbecillitates & defectibilitates solū assumpsit in detrectabiles, at defectibilitas peccati, est defectus summe detrectabilis: talē igitur defectibilitatē minime assumpsit.

**P**RÆTEREA, peccatum, est animi à bono incōmutabili auersio, eiusdemq; ad bonum cōmutabile conuersio, at anima Christi non potuit auerti à bono incōmutabili: vt pote quę ipsi erat vnione beatifica coniuncta: non potuit igitur peccatum vllō modo suscipere.

**A**DDE, quia peccatū in actione consistit, est enim peccatū operatio volūtate suscepta, abhorrens à ratione, actio vero est suppositi, igitur operatio peccati est suppositi operatio: at in Christo nullū aliud erat suppositū operās humana nisi diuinū, quare si Christus peccatū potuit admittēre, diuinum suppositum peccare potuisset, id quod est impossibile.

**P**OSTREMO, peccatum repugnat fini incarnationis, igitur nullo modo potuit in Christum cadere. Antecedens ostenditur. Namq; finis incarnationi propositus fuit peccatorum expiatio, & hominū recōciliatio, iam autē

huic

Huic fini non solum non opitulatur: verum etiam magnopere obest peccatū: Ecccl. 34.  
 iuxta illam sententiā sapientis, dona iniquorum non probat altissimus: nul-  
 lum igitur in Christo fuit aut esse potuit peccatum: alioqui pœnam quam  
 pertulit, pro peccato proprio commeruisset. Hoc est à Paulo grauissime di-  
 ctum, epistola ad Hebræos scripta cap. 7. Talis namq; decebat nobis vt esset  
 pōtifex, sanctus, innocens, im maculatus, segregatus à peccatoribus, & ex- Heb. 9.  
 celsior cœlis factus, qui non haberet necessitatē quotidie, quemadmodū sa-  
 cerdotes, prius pro suis dilectis hostias offerre, deinde pro populi. Christi sum-  
 mam innocentiam testatus est Petrus inquit: qui peccatum non fecit, ne-  
 que inuentus est dolus in ore eius. 2. Pct. 2.

**DURANDVS** tamē acutior interdum quam oportet, nō putat repug- Dn. 3. c. 5.  
 nare, Christum potuisse peccare, si naturam humanā assumpsisset, cum gra- d. 12. q. 2.  
 tiæ, tum beatitudinis expertem, naturæ duntaxat defectibili derelictam, id  
 vero hisce rationibus vult esse persuasum. Namque si peccatum Christo re-  
 pugnaret, ob id vel maxime repugnaret: quia illa actio peccati, Verbo diui-  
 no humanæ carni coniuncto tribueretur: ac talis operatio diuino Verbo non  
 debuit attribui: non igitur repugnat Christū habere, vel habere potuisse pec-  
 catum. Minor ostenditur. Nam si peccatum tribueretur diuino Verbo, ob  
 id vel maxime tribueretur: vel quia diuinum suppositum naturam humanā  
 assumptam ad peccandū impelleret, vel quia peccatum non prohiberet, cum  
 tamen prohibere debuisset: neutram ob causam peccatum fuisset imputan-  
 dum diuino Verbi supposito: non ob priorem: quia mouere creaturam ad  
 actionem, trium personarum est commune, ac proinde defectus, qui actio-  
 nem consequuntur, non magis sunt vni personæ attribuendi, quam alteri,  
 neque itidem ob posteriorem: nam Deus humanam naturam liberam cō-  
 didit, illique ius omne sui permisit, ex quo efficitur vt propriis eam motibus  
 agi, & impelli sinat, ac proinde non teneatur ipsam à persequendo inpetu, &  
 impulsu naturali cohibere, quemadmodum neq; prohibere ignē tenetur,  
 ne domum pauperis absumat.

**ACCEDIT** ad cōfirmationem, quia si Verbum ignem assumpsisset, nō  
 teneretur ipsum impedire, quominus citra vllum discrimē, quicquid illi esset  
 oblatum combureret, igitur.

**PRÆTEREA** & si humana Christi natura diuini Verbi esset instrumē-  
 tum, potuit tamen sic assumi, vt non esset ipsius instrumentū: ac proinde si  
 Christus peccasset, illa actio non foret Verbo attribuenda.

**HINC** colligit Duran. potuisse Christum assumere naturam damnatam

& peccato obnoxiam: nempe cum actiones peccatorum in Dei Verbum minime esset conferenda. Postremo si Christus assumpsisset naturam gratiae & beatitudinis expertem potuisset peccare: igitur peccatum in Christum potuit incidere. Antecedens hinc intelligitur, quia si eiusmodi natura fuisset assumpta, nullum actum primum perfectiorē haberet, quam nō assumpta: igitur neq; vllum actum secundū.

**HÆC** omnia facile diluuntur. Ad primum respondetur, neutrá ob causam peccatum fuisse diuino Verbo imputadum, sed ob id solum, quia esse personale est Deo cum humana natura cōmune, ita. s. vt humana natura sit personata persona diuina. Ex quo illud est consequens, vt actio humana sit à supposito diuino, non solum vt à causa prima mouēte, sed vt à principio proximo elicitivo operationis. Ac proinde non recte dicitur illam operationē non magis esse personæ assumētis, quam non assumētis: imo vero multo magis est personæ assumētis, siquidem persona assumens, non concurrit solū vt causa prima mouens, quomodo quælibet diuina persona concutrit ad omnē humanam operationē, verum etiam vt proximū & principale principiū operationem suscipiens & eliciens.

**AD** secundum negatur consecutio. Nam actio ignis cum sit naturalis nullo modo est regulabilis: actio vero voluntatis cū sit libera, ea est natura vt possit ad normam & regulam rationis dirigi.

**AD** tertium negatur antecedēs. Etenim fieri non potest, vt aliquid coniungatur alicui secundū esse, quin eidem iungatur secundum operationē, si modo illa vim habeat operandi, quare cū humana natura fuerit diuino Verbo coniuncta secundum esse personale, sequitur vt eidem etiam fuerit vnita secundum operari, ita. s. vt diuinū Verbum humanas actiones interuētū naturæ assumptæ exequeretur, ac proinde Christus homo peccare nullo modo potuerit. Notandū est tamē hoc loco, quod quāuis assumpta natura, esset instrūentum totius Trinitatis, vt pote quæ à tota Trinitate moueretur ad operandum, specialius tamen fuit instrūentū Verbi, siquidem propter vnionē personale mouebatur à Verbo tāquā à mouēte proximo & principali, à cæteris autem diuinis personis tanquā à primis mouentibus.

**HINC** iam consequitur contra Duran. non potuisse Deū assumere naturam damnatam, siquidem esse damnatū naturam declarat obnoxia culpa, quæ in Deum cadere, vt i demonstrauius, non potest.

**AD** quartum negatur illam naturam sic assumptam sine gratia, scilicet & beatitudine potuisse peccare, quod vero ad probationem attinet negatur etiam



etiam illud quod sumitur. Nam natura assumpra sine gratia haberet esse diuinae subsistentiae, ac proinde etiam diuinas operationes quae illud esse consequuntur. Ita Durandi subtilius potius, quam pium & decens inuentum, est vndique labefactatum.

**CÆTERVM** pro Durá. licet in hunc modum argumentari. In Christo videtur fuisse fomes peccati, igitur & peccatum vel certe ad peccandum facultas, consecutio hinc liquet, quoniam fomes peccati in id suapte natura impellit quod aduersatur rationi, ad quem impulsus sequitur posse à recta ratione discedere, in quo defectus peccati consistit. Antecedens vero illud ostenditur, tum quia patibilitas corporis fuit in Christo, iam autem ex eodem fonte vtrūque deriuatur. scilicet fomes & patibilitas naturæ, nempe ex subtractione originalis iustitiæ, tum quia non coronabitur nisi qui legitime decertauerit, iam vero sublato fomite nullus relinquatur pugne locus, ac proinde nec victoriæ, ad extremum nec coronæ. Nam corona victori tribuitur.

**CATHOLICA** assertio est non fuisse peccati fomitem in Christo, cui assertioni, cum auctoritas scripturæ, tum ratio suffragatur. Ac quod ad auctoritatem scripturæ attinet dicitur Math. 1. quod in ea natum est de Spiritu Math. 1. sancto est. Sed Spiritus sanctus tollit non solum peccatū verum etiam inclinationē ad peccandum, quæ nomine & appellatione fomitis continetur, igitur in Christo non fuit fomes peccati.

**ID** vero ratione sic confirmatur. Hoc est virtutis moralis munus & officium, hæc eius vis, ut animum efficiat rationis præscripto obtemperatē: ac tanto id magis efficit, quanto virtus est perfectior. Quocirca quāto in aliquo virtus hæc moralis est perfectior, tāto in eo magis vis fomitis frangitur & imminuitur, nempe cum ratio fomitis in inclinatione quadā appetitus, in id quod repugnat rationi, sit posita. Quare cum gratiæ & virtutes in Christo fuerint secundum perfectissimū gradum, sequitur vt nullo modo fomes in eo fuerit peccati. Ac proinde non modo non peccauerit sed neque peccare vllō modo potuerit.

**ADVERSARIA** porro argumenta facile dissoluitur, prius diluitur negatione cōsecutionis. Neq; enim sequitur, in Christo fuit corporis patibilitas, igitur fuit fomes in Christo. Nā quamuis ex eodē fonte vtrumq; proficiatur, illud esse potuit in Christo, hoc non item, siquidem patibilitas corporis non repugnat perfectæ virtuti, fomes vero repugnat, cū incitet & impellat ad malum, à bono vero retrahat & retardet.

**OBIICI** contra potest, in Ioanne Baptista fuit perfecta virtus & tamen

Psal. 84.

habuit fomitem peccati, igitur perfecta virtus non excludit fomitem peccati. Maior probatur quia Ioannes Baptista fuit tantæ perfectionis vt in diuinis literis fuerit iustitia appellatus, dicitur enim in psalmis iustitia ante eum ambulabit, quam iustitiam glossa Ioannem interpretatur: qui iustissimus & sanctissimus existens viam domino præparauit, homines ad iustitiã cohortando.

**DICIMVS** hoc interesse inter animam Christi & animas cæterorum hominum, quantumuis sanctificatorum in vtero, quoniam anima Christi perfectionem habuit illam quam animæ hominum in statu innocentie fuissent habituræ, at animæ ceterorum hominum etiam in vtero sanctificatorum sunt veluti anima hominis qui incidit in latrones: qui non solum gratuitis muneribus est spoliatus, verum etiam vulnus accepit in naturalibus. Ex quo iam illud consequitur, vt naturalis inclinatio partis sentientis in bonum sibi cõsentaneum, esset in Christo perfectæ rationi subiecta. Ita scilicet vt nulla fomitis ratio in eo reperiretur, in cæteris vero hæc eadem inclinatio & impulsio est vulnerata: ac proinde perfectio virtutis in ipsis non sufficit ad tollendum fomitem, sed præterea requiritur gratia sic sanans, vt omnino peccati fomes extinguatur id quod soli beatæ virginis fuisse diuino munere concessum tradunt ij, qui peccatum eam originis contraxisse existimant. Ex perfectione igitur virtutis simpliciter non conficitur fomitem in aliquo esse nullum, sed ex perfectione virtutis in Christo.

Apoc. 6.

**POSTERIVS** argumentum sic diluitur, vt dicatur non solum animi fortitudinẽ care declarari, quia cupiditatibus auersis à ratione fortiter oblectatur, sed multo etiam magis, quia appetitum sentientem sic comprimit, vt nullo modo in ipsum insurgat, illique negocium aliquod facessat, id quod Christo maxime conueniebat, cuius animus ad præstantissimum fortitudinis gradum peruenerat. Verum enimvero & si Christus internam pugnam non sit perpeffus, externam tamen sibi cum à dæmone, tum à mundo illatam pertulit: quibus superatis coronam victoriæ, & lauream est consecutus iuxta illam scripturæ sententiam: data est ei corona, & exiuit vincens vt vinceret.

### Quæstio. XIII.

**ANNE CHISTVS SIMPLICITER**

fuerit viator an comprehensor?

HÆC

**H**ÆC quæstio vnum aliquid præponit, & aliud exquirat. Supponit si-  
quidem Christum simul fuisse viatorem & comprehensorem: illud  
exquirat an ne potius dicendus esset viator, quam comprehensor. Ac fuisse  
Christum comprehensorem ex eo intelligitur, quia comprehensor est qui  
iam obtinet beatitudinem quæ in diuinitatis non solum conspectione, ve-  
rum etiam fruitione consistit, at Christus Deum cernebat, eoque suauissi-  
me fruebatur, vt supra docuimus, sequitur igitur Christum Dominum  
fuisse comprehensorem. Caterum quoniam perfecta & integra hominis  
beatitudo non in animo solum, verum etiam in corpore consistit, quate-  
nus scilicet immortalitatem, gloriam, & incorruptionem consequitur, vt  
testatur D. Paulus: corpus vero Christi erat patibile, & mortale, sequitur,  
vt hac parte Christus esset viator vt pote cui aliquid deerat, ad beatitudi-  
nem pertinens, in quod tamen meritorie operandum tendebat. Etenim vi-  
ator est, qui tendit in beatitudinem, quemadmodum comprehensor qui  
eam iam obtinuit.

**C**V M igitur Christus simul esset viator & cõprehensor respectu diuerso-  
rum: erat siquidem animo cõprehensor, corpore viator, adducitur in quæ-  
stionem vtrum simpliciter esset viator an comprehensor? Certe ad vtrâq;  
partem suppetit ratio probabilis. Ac fuisse Christum simpliciter compre-  
hensorem, & viatorem ex parte hinc intelligitur: quoniam moueri siue  
tendere in beatitudinem essentialem efficit simpliciter viatorem, igitur  
ipsam obtinere efficit simpliciter comprehensorem, cum igitur Christus  
beatitudinem essentialem ab ortu, & conceptu obtinuerit, efficitur vt ab  
ortu & conceptu simpliciter cõprehensor extiterit.

**P**O R R O fuisse eum simpliciter viatorem hoc argumento cõcluditur.  
Meritum est operatio simpliciter viatoris: at Christus in vita meruit, re-  
linquitur igitur vt fuerit simpliciter viator.

**P**R O explicatione istius quæstionis nonnullas statuendas putamus con-  
clusiones, quarum hæc est priõr. Fieri non potest vt idem secundum idem  
simul sit viator & comprehensor, id vero sic ostenditur. Viator est qui tẽ-  
dit in beatitudinem, comprehensor vero is, qui eam iam obtinet: at eo-  
dem tendere in aliquid, & obtinere illud implicitam continet repugnan-  
tiam, tenderet, enim & non tenderet, obtineret, & non obtineret, sequi-  
tur igitur, vt idem secundum idem nullo modo sit viator & comprehen-  
sor. Ita Christus fuit viator quoad corpus patibile, cõprehensor vero quoad  
animam quæ superiore sui parte Deum cernebat.

**SECUNDA** conclusio. Christus magis fuit comprehensor quam viator. Hoc vero ostenditur hoc pacto. Essentialis hominis beatitudo in conspectu & fruitione diuinæ essentiae consistit, cui tamen quasi ex consequenti, & secundario adiungitur corporis glorificatio quæ ex animo in corpus redundat, at Christus fuit viator quoad corpus patibile per repressionem redundantiæ in ipsum corpus, comprehensor vero quoad animam, quæ suprema sui parte Deum conspiciat, eoq; cōspecto fruebatur: relinquatur igitur Christum potius fuisse comprehensorem, quam viatorem.

**TER TIA** conclusio. Christus neque simpliciter viator fuit: neque simpliciter comprehensor. Nam simpliciter comprehensor is est qui cum corpore, tum animo beatitudinem obtinet, simpliciter viatoris, qui tum corpore, tum animo eadē caret, ac proinde ad vtrūq; meritorie operando tēdit, at neutrum simul fuit in Christo, vti diximus, non fuit igitur, aut simpliciter viator, aut comprehensor.

**ARGUMENTA** aduersaria explicantur hoc pacto, prius argumentum diluitur negatione cōsecutionis. Nam in beatitudine simpliciter requiruntur etiam corporis bona, tametsi secundario, & quasi instrumentarie vt est author Arist. 1. de moribus libro. Hæc bona per repressionem inundantiæ non inerant in corpore Christi, ac proinde hæcenus viator erat, & comprehensoris statum omnino non obtinebat.

**A** Dhuc tamen instatur vehementissime. Qui habet illud quod principale est, nō meretur illud quod ex illo iam adeptus & possessio cōsequitur, sed Christus habuit gloriam animi, ad quam quadam necessitate naturali consequitur gloria corporis, igitur nō meruit gloriam corporis, ex qua tamen solum ratione dicitur viator.

**A** D D E, quia si simpliciter comprehensor is est, qui tum animo tum corpore beatus est, sequitur vt sancti qui in celo Deo fruuntur non sint simpliciter comprehensores, sed etiam viatores, nempe quorum animæ solum Deo fruatur corpora vero sepulta morti & corruptioni sunt obnoxia. At dicuntur simpliciter cōprehēsores, & nullo modo, nullaq; ex parte viatores, vt qui ad metam iam peruenerint, relinquatur igitur non proinde esse dicendum quæpiam simpliciter comprehensorem, qua tum animo tum corpore beatus est. Quamuis igitur Christus corpore fuerit patibili, quia tamen animo iam beatitudinem fuerat consecutus non viator, sed simpliciter comprehensor dicendus est.

**P** R I O R instantia sic diluitur, vt dicatur, maiorem propositionem non esse

esse veram quando illud consequens fuit accessorium, est secundum congruentiam humanorum meritorum, idq; diuina institutione. Tum enim accessorium, etiam a deo principali cadere potest sub meritum: iam autem gloria corporis est ad gloriam animi accessoria, secundum congruentiam humanorum meritorum, ex diuina ordinatione. Etenim sic est diuinitus institutum, ut quemadmodum homo actiones meritorias exequitur in corpore, ita corpus beatitudinem consequatur, per animi redundantiam, ac proinde corporis gloria cadit sub meritum.

**POSTERIORI** refutationi in hunc modum occurritur. Principio negatur consecutio, ad probationem vero dicitur, multum interesse inter animas sanctorum qui Deo in caelo fruuntur, & inter animam Christi, interq; corpora illorum, & inter corpus Christi. Nam animae sanctorum in caelesti domicilio collocatae, se totis beatæ sunt, hoc est, tum superiore tum inferiore parte, neq; patibile aliquid habet. At anima Christi saltem inferiore parte erat patibilis. Item corpora sanctorum nihil agunt, per quod in beatitudinem tendant, at Christus Dominus aliquid agebat in corpore, per quod in beatitudinem tenderet, etenim interuentu per passionem corporis in beatitudinem tendebat, quod attinebat ad gloriam corporis non solum veri, verum etiam mystici non enim sibi solum, verum etiam nobis meruit, quemadmodum alibi docebimus.

**POSTERIVS** argumentum diluitur explicatione maioris propositionis. Etenim non omnis facultas merendi conficit statum viatoris simpliciter. sed facultas merendi essentialem beatitudinem, quæ non fuit in Christo, utpote qui à primo ortu & conceptu essentialem beatitudinem obtinuerit. Eam tamen & si non sibi, aliis tamen meruit, sibi tamen solam corporis gloriam pro meruit. Verum de Christi merito, quinto prælectionum libro latius differemus. Ac de coassumptis hætenus.

**PRÆ-**

q. 19. ar. 3. ad 3.

Thom. 2. 2. q. 1. ar. 3. ad 3.

DE COASSVM ET DE IMBECILLITATIBVS CHRISTI Vol. 115  
PRAELECTIONVM, SIVE ENARRA-  
tionum incarnationis diuini Verbi.

Liber quintus.

*Deijs que admirabilem hanc vnionem sunt consecuta.*



**A**DHVC DE ASSVMPTA NATVRA  
deque assumente persona: deque iis quæ simul cum natu-  
ra assumpta sunt, disseruimus: reliqua est de ijs quæ admi-  
rabilem hanc vnionem sunt consecuta disputatio. Hæc  
porro ipsa partim Christo Domino perse: partim per re-  
lationem ad Deum patrem: partim denique per relati-  
onem ad homines quorum causa humanæ se naturæ coniunxit, conueniunt.  
Ac perse quidem illi conueniunt esse, fieri, & operari, per relationem ad Patrē  
subiici, & obtemperare, adoptari, ac prædestinari, per relationem vero ad ho-  
mines illa ei conueniunt omnia, quæ hominum causa in corpore gessit, ac  
pertulit. Adiunge his honoris & gloriæ omnes accessiones.

Quæstio. I.

*Vere ne sint (&) essentielles hæc propositiones, Deus est  
homo, & homo est Deus?*

**Q**UOD dicitur ad primum caput disputationis attinet: hanc admira-  
bilem vnionem illud primum est consecutum: vt Deus esset ho-  
mo: & homo esset Deus. Nam Augustino auctore primo de Trinitate libro,  
talis erat illa susceptio, quæ Deum hominem faceret, & hominem Deum.  
Hac igitur assumptione effectū est, vt Deus esset homo, & homo esset Deus.  
De vtraque igitur propositione disceptari à Teologis consuevit, & addubi-  
tari: ad quam nam sit vtraq; materiam, referēda, necessariam ne, remotam,  
an contingentem? Diuo Thomæ placuit, illam propositionem Deus est ho-  
mo, esse necessariam, ac constare ex materia naturali, quandoquidem attri-  
butum siue prædicatum rei subiectæ naturam & essentiā attingat. Etenim  
homo dicitur de Deo ceu de re singulari, deque supposito illius naturæ: sed  
natura specifica de re singulari, deque supposito illius naturæ dicitur essentia-  
liter,

August.

Thom. 3.  
p. q. 16.  
art. 1.

liter, igitur in hac propositione Deus est homo, prædicatum homo rei subiectæ naturam & essentiam attingit. Maior propositio ex eo intelligitur, quia in hac pronuntiatione, subiectum Deus accipitur pro persona Verbi humanæ carni coniuncta, siquidem de subiecto propositionis sit iuxta prædicati naturam & ingenium sentiendum, sola autem Verbi persona est humanæ carni coniuncta, sequitur igitur vt in hac propositione Deus est homo, subiectum Deus accipiatur pro persona Verbi incarnata: cumque illa coniunctio effecta sit in persona, efficitur vt subiectum Deus accipiatur pro supposito humanæ naturæ, cumque suppositum omne in humana natura subsistens, vere, proprie, & essentialiter sit homo, sequitur vt Deus, vere, proprie, & essentialiter sit homo. Dissidentia vero & pugnantia extrema efficiunt propositionem falsam, cum illa extrema in aliquo tertio realiter minime conspirant, vt homo est equus: iam autem diuina natura & humana in vna Verbi persona conuenere.

**DVRANDVS** & Scotus negant huiusmodi propositionem esse naturalem essentialem necessariam ac per se, sed accidentariam potius & denominatiuam. Non esse naturalem putant: quandoquidem prædicatum alienum sit à subiecto: & ipsius naturam minime attingat. Quid enim tam est Deo extraneum quam esse hominem? Nō essentialem vero, siquidem prædicatum ad rei subiectæ essentiam minime pertineat. Non necessariam quoniam attributi cum re subiecta non sit necessaria coniunctio: neque enim aut semper naturæ humanæ diuina persona fuit coniuncta, aut necessario eidem coniungitur, potest enim dimitti. Non per se autem partim quia neque prædicatum ponitur in definiendo subiecto, neque contra subiectum in definiendo prædicato collocatur: partim quia in omni per se propositione prædicatum dicitur de subiecto cum reduplicatione formæ importatæ per subiectum, etenim homo in quantum homo est animal: itemque homo in quantum homo est risibilis, hæc porrò reduplicatio causam declarat inhærentiæ prædicati in subiecto: at non sic homo dicitur de Deo: non enim Deus quatenus Deus, est homo: alioqui esse hominem sacræ triadi conueniret, non dicitur igitur homo de Deo per se, per accidens igitur, non sic quidem, quia natura humana in Deo inhæreat tanquam accidens, non enim natura humana est accidens, aut externe eidem adiaceat ceu habitus: sed quia natura humana & rei accesserit præexistenti, & completæ, & sit extranea subiecto.

**QV** O circa doctissimus Scotus illam prædicationem non tam accidentariam esse existimat quam similem accidentariæ: nō accidentariam quidem, quan.

quandoquidem prædicatum <sup>subiectu</sup> subiectum minime informet, inq; ipso non inhæreat: similem verò accidentariæ, quoniam prædicatum illud homo, habitudinem habet ad subiectum similem ei quam habet accidens ad subiectum in quo inhæret: nepe cū natura humana accesserit ad rem quæ iam existeret: & perfecta esset. Iam vero habitudo quodammodo accidentaria fundari potest in re quæ est substantia.

Gab. 3. d.  
7. q. vni-  
ca ar. 3.

**E G O** cum Gabriele iuxta variam acceptionem subiecti illius propositionis, Deus est homo, censeo de qualitate illius attributionis esse iudicandum. Nam si subiectum Deus accipitur incontracte, & indistincte vel certe contracte, idque accōmodate ad personam Verbi absolute, illa prædicatio vera quidem est, accidentaria tamen: & non necessaria: namque esse hominem cū Deo simpliciter, tum Verbo absolute, extraneum quiddam est, & ad rei naturam minime accōmodatum. Ac hoc modo Scotus & Durandus illam prædicationem spectauerunt.

**S I N** vero subiectum Deus contrahatur ad personam Verbi vt coniūctam naturæ humanæ, siue incarnatæ, illa prædicatio non vera modo, verum etiā per se est, necessaria & essentialis: quemadmodum D. Thomæ ratione conficitur. Etenim illi propositioni hæc sententia subiecta est, habens naturā humanam, siue subsistens in natura humana, siue suppositum humanum quod est **I E S V S**, est homo. Hoc porrò modo spectasse D. Thomam illam attributionem apertissime eius verba testantur. Ita enim inquit, supposita veritate catholicæ fidei: & quod vera natura diuina vnita est cum vera natura humana non solum in persona, verum etiam in supposito, hæc est vera: & propria, Deus est homo.

**P O R R O** inuersa propositio, scilicet. Homo est Deus, similiter vera est: & essentialis. Namque homo accipitur pro diuino supposito incarnato: sed diuinum suppositū essentialiter est Deus: igitur hæc propositio homo est Deus, non solum est vera: verum etiam essentialis: quemadmodum & hæc album est homo, si modo album accipiatur pro supposito habente albedinem, veluti Petro & Ioanne, quorū vterq; essentialiter est homo.

**C Æ T E R V M** si formale subiecti cadere intelligat supra formale prædicati: aut prædicatum conuenire subiecto interuentu formæ ipsius subiecti, propositio illa omnino falsa est: neque enim aut humanitas est deitas, aut diuinum suppositum quatenus humanum est Deus: sed homo est Deus quia illud cui alioqui accidit esse hominem est Deus, quemadmodū illud cui alioqui accidit esse dulce est lac, &c.



## Quæstio. II.

*Veræne sint hæc propositiones, Deus factus est homo,  
& homo factus est Deus?*

**Q**UONIAM verò Trinitas illa sacrosancta humanam naturam Deo ita coniunxit, ut Deum hominem faceret & contra: hominem Deum, versari in controuersia consuevit, utrum propositiones hæc, Deus factus est homo, & homo factus est Deus, sint veræ & propriæ.

Doctissimus Ioannes Scotus utramque propositionem cum veram, tum propriam esse confirmat. Interim sumit fieri duobus modis, vno modo simpliciter, ut cum secundo adiacet, veluti cum dicitur, Antonius fit: vel cum adiunctione, veluti cum tertio adiacet, ut Antonius fit albus, Sumit præterea in omni factioe tam simpliciter, quam ex adiunctione, duo spectari, scilicet habitudinem rei factæ ad facientem: & ordinem eiusdem ad non esse quod antecessit. Nam omne quod fit accipit esse à faciente cum prius non fuerit siue simpliciter & omnino, siue ex parte, ut homo, vel album.

Scotus  
d. 7. q.

HIS igitur præpositis ponuntur ab Scoto duæ conclusiones. Prior est huiusmodi. Hæc propositio DEVS factus est homo non solum vera est, verum etiam propria, id verò in hunc modum ostenditur. De eo vere nunciatur fieri A, quod actione facientis est A, cum prius non fuerit A: At Deus actione facientis est homo: cum prius non fuerit homo: igitur DEVS factus est homo. Ac Deum quidem esse hominem iam superiore quæstione docuimus, non prius autem fuisse hominem ex eo intelligitur: quia esse hominem est in humana natura subsistere, at DEVS in humana natura antea non subsistebat.

Porro actione alicuius agentis DEUM esse hominem ita docet Scotus. Quando aliqua mutuo se comitantur si vnum est factum, & alterum: at naturam humanam Verbo hypostatice vniri: & Verbum esse hominem se mutuo comitantur, hoc. ñ. illius est consequens, igitur si vnum est factum: & alterum: atqui natura humana actione Trinitatis est cum Deo Verbo hypostatice vnita, igitur actione Trinitatis Dei Verbum est homo. Ita Verbum factum est homo: at Verbum est DEVS, DEVS igitur factus est homo.

HÆC tamen conclusio his argumentis refellitur. Factio requirit mutationem non quidem termini, sed eius in quo inest, est autem illud res subiecta factioe, nam quod factum est album. mutatum est illud quidem ad alborum: at DEVS factus est homo, mutatus est igitur ad humanam naturam

iam

iam autem mutatio non cadit in DEum: neq; igitur factio.

PRÆTEREA omni factioni actiue respondet ex altera parte factio passiva, nempe cum actio agentis in aliquo recipiatur: actioni igitur Trinitatis, per quam DEVS factus est homo respondeat oportet factio passiva in aliquo, non in natura humana, ut quæ terminet factionem, in Verbo igitur: hoc verò cum sit absurdissimum, sequitur Verbum nõ esse factum hominem.

HÆC argumenta diluit Scotus. Ac quod ad prius argumentum attinet. tum factionem esse mutationem ait, cum & id quod fit actu tale, prius fuit potentia tale: et id per quod fit tale, est forma, & actus inhærens in eo quod fit. Nam fieri est nihil aliud, quam de potentia ad actum transferri. Ita in omni mutatione requiritur cum potentia subiecti: tum inductio termini per modum actus & formæ inhærentis: atq; informantis. Iam verò factio quæ agitur non est huiusmodi. Nam neq; Verbum ipsum per relationem ad illum terminum potestate est: neque humana natura est actus, & forma Verbi: sed illa factio aliud nihil fuit, quam diuini Verbi cum humana natura coniunctio.

Obijci contra potest. Verbum nunc est homo, prius autem non fuit homo: fuit igitur potestate homo. Respondetur fuisse quidem Verbum potestate hominem: non quidem potentia subiectiua: sed potentia terminatiua. Nunc si quidem diuinum Verbum terminat naturæ humanæ suppositalem dependentiam: quam eandem potentia prius terminabat. Porro huiusmodi potentiæ terminatiuæ ad actum traductio, nullam prorsus dicit in terminante mutationem, sed in terminato.

HINC iam intelligitur hoc fieri non esse secundum inhærentiam: sed secundum habitudinem relatiuam, in quo genere id cui attribuitur factio, neque fit simpliciter, neq; est subiectum factionis, sed solum est terminus relationem terminans. quæ potest aduenire alicui sine ipsius mutatione.

POSTERIVS argumentum ita diluit Scotus ut dicat, factioni quidæ actiue Trinitatis respondere in hoc sacro sancto Mysterio factionem aliquam passivam non quidæ, in Verbo: sed in humana natura. Nam hæc factio est unio: siue cõiunctio passiva humanæ naturæ cum Verbo: cuius quidem factionis passivæ Verbum est terminus: humana verò natura subiectum: etenim humana natura facta est in Verbo: hoc est, assumpta est ad Verbum. Forma verò dicendi cõtra habet. Nã in hac propositione, DEVS factus est homo, Deus significat ut subiectum factionis: homo verò veluti terminus factionis.

POSTERIOR vero conclusio hoc argumento refutatur. Fieri significat cum mutationem rei factam, tum antecessionem quandam ipsius per relationem ad terminum factionis, at homo non antecessit terminum huius factionis: nullo enim vnquam temporis momento fuit homo ille, quo eodem non esset Deus: non enim natura humana prius aliquando statum habuit quam Verbo coniungeretur: non est igitur homo factus Deus. Hoc argumentum dissoluitur negatione maioris propositionis. Neque enim illa duo in factione necessario requiruntur: non mutatio, nam Verbum factum est homo non tamen est mutatum, si qua tamen ibi mutatio intercessit, illa ad naturam humanam vniuersa pertinet, quæ ad Verbum assumpta est: non antecessio, nam anima humana simul ac creatur: & in corpus infunditur, fit corpus informans, duratione tamen aut tempore illum effectum non antecessit. Adeundem etiam modum: homo nunc factus est Deus, non tamen humana natura tempore antecessit vnionem: quemadmodum cum dicimus humanam naturam Verbo esse coniunctam, non oportuit naturam humanam prius aliquando extitisse quam Verbo coniungeretur.

SED naturam humanam non fuisse mutatam ad vnionem personale, hoc argumento conficitur. Omne quod mutatur prius tempore fuit sub priuatione termini ad quod mutatur: at natura humana non fuit prius tempore sub priuatione vnionis: alioqui prius aliquando extitisset natura humana quam Verbo fuisset vnita: non fuit igitur humana natura ad vnionem mutata. Maior ostenditur. Namque omne quod mutatur aliter nunc habet ac prius: sed inter quælibet duo instantia datur tempus medium: igitur omne quod mutatur prius tempore fuit sub priuatione termini ad quod mutatur. Respondet Scoti interpres illud verum esse in mutatione propria: nam omne quod proprie mutatur aliter nunc habet atque prius, id quod declarat temporariam antecessionem eius quod mutatur: secus tamen rem habere in mutatione impropria: illud autem improprie mutatur: quod transit de non esse ad esse quomodolibet: ac hoc modo dici potest natura humana ad vnionem hypostaticam mutata, etenim nunc est vnita Verbo: cum prius non fuerit vnita: quam vnionem & si non tempore, saltem natura antecessit:

HÆC ab Scoto tradita accepimus: quæ quauis vera sint, quod attinet ad priorē conclusionē, attamen quod ad posteriorē conclusionem pertinet, non videntur vsque adeo vera, nempe cum illa propositio quam defendit, scilicet homo factus est Deus, non videatur esse recipienda. Id vero his argumentis

**T** ostendi.

3. sent. d.  
3. q. 1.

ostenditur. In hac propositione, homo factus est Deus, subiectū homo aut accipit pro persona, aut pro natura: utrouis modo accipiatur illa ppositio, est falsa, & hæretica: igitur nullo modo fuit defendenda. Minor ostenditur. Nā si subiectum homo accipitur pro persona, illa propositio hanc sententiam complectitur, suppositum habens humanam naturam factum est Deus, id quod falsissimum est: etenim suppositum illud non est factum Deus, sed genitum, quemadmodum dicitur in symbolo Nyceno: si verò accipitur pro natura, illi propositioni hæc sententia subiecta est, humana natura facta est Deus: quod ipsum falsissimū est.

**PRÆTEREA**, omne quod fit præexistit factioni, & termino factionis: at ille homo neq; tēpore, neq; natura præexistit diuinitati, tamen si natura humana saltem natura vnionem antecesserit: sequitur igitur omnino falsò dici, hominē factum esse Deum.

**QVOCIRCA** alij existimant distinguendum. Nam illud verbum, factum, accipi potest duobus modis: vno modo vt determinatio siue modus: idque vel totam compositionem, vel extrema compositionis determinans, altero modo vt verbum copulans, idque vt attribuatur vel fieri absolute, vel fieri ex adiunctione: id quod duobus etiam modis contingit, vel per inhærentiam eius quod cadit sub factionem: quo modo Socrates fit albus, etenim albedo hæret in Socrate, vel per habitudinem relatiuam: quo modo Socrates efficitur mihi prope, sola Socratis mutatione

**PONUNTVR** ergo variæ conclusiones.

**PRIMA** conclusio. Si illud, factus est modus, isque vniuersam compositionem determinans: prior propositio aperte vera est, de veritate tamen posterioris dubitatur. Ac priorem propositionem esse veram, ex ipsius explanatione facile intelligitur. Etenim, si factus accipitur modaliter, illa propositio hanc sententiam continet, factum est vt Deus esset homo, id quod verissimum est. etenim actione Trinitatis, vt supra docuimus, Deus factus est homo: est tamen impropria illa propositio, siquidem factum, non numeratur in modis compositionem determinantibus.

**DE** posteriore tamen propositione ambigitur. Namque in hac propositione, homo factus est Deus, homo capitur personaliter licet indistincte, ad cuius veritatem requiritur vt aliquis homo sit factus Deus: at nullus homo factus est Deus. Nā ille homo IESVS Christus, qui solus inter homines est

naturalis filius Dei: nō est recēs, sed ab æternitate Deus: neq; factione alicuius agētis diuinitatē est cōsecut⁹: sed æterna patris natiuitate. Diuus tñ Thomas hanc

Thom. 3.  
p. q. 24.  
artic. 1. in  
corp.

hanc propositionem, etiam sub hoc sensu, existimat esse defendendam. Namque suppositum verbi accipi potest duobus modis, vno modo absolute, altero modo prout est hypostasis naturæ humanæ. Priore igitur modo omnino falsum est dicere, factum esse vt suppositum illud diuinum habens humanam naturam sit Deus. Posteriore non ite. Habet siquidem illa propositio hunc sensum: non semper fuit, sed de nouo incepit vt subsistens in humana natura esset Deus. Etenim diuino munere & in tempore effectum est, vt hypostasis diuina esset hypostasis humanæ naturæ, & contra, vt hypostasis humanæ naturæ esset ipsa eadem Verbi hypostasis: Ex quo illud est consequens vt per gratiam & in tempore factum sit, vt subsistens in humana natura esset Deus. Porro accomodate ad hunc sensum verum est quod dicit Scotus, nempe hominem nunc esse Deum: qui tamen ipse prius non fuit Deus.

Item q:  
ad. 2. & 3.  
idem. 3  
p. q. 16. ar  
7.

**SECUNDA conclusio.** Si determinatio illa referatur ad extrema, partim efficit propositiones illas falsas, partim veras. Nam si referatur ad subiectum vtriusq; propositionis: illa quidem est falsa Deus factus, est homo: hæc porro vera, homo factus, est Deus. Hanc siquidem sententiam continet, ille qui factus est homo, est Deus. Sunt tamen qui vtramq; propositionem falsam esse existiment, siquidem in vtraq; attribuatur factio supposito diuino, quod ipsum & Dei & hominis nomine ex parte subiecti declaratur, sin verò illa determinatio ad predicatum referatur, Thomas & Durandus falsam vtramq; propositionem esse censent, proter falsam adiectionem circa attributum. Quocirca hæc falsa est, Deus est, homo factus hæc itidem, homo est, Deus factus: significatur siquidem vtraq; propositione formale adiectiui cadere supra materiale substantiui, hoc est, factionem cum Deo, tum homini conuenire.

**CÆTERVM** si adiectiuum præponatur substantiuo, hæc falsa est, homo est, factus Deus: significatur enim formale adiectiui cadere supra formale substantiui, vt sit sensus, hominem esse Deum illum qui est factus: at factio in diuinitatem minime cadit. Hæc tamen vera est, Deus est, factus homo: id siquidem significatur, factionem conuenire homini ratione formalis: quod ipsum verum est, nam humana natura facta est.

**TERTIA conclusio.** Si particula illa factus, accipitur verbaliter: & attribuitur fieri absolute, vtraq; propositio falsa est: neq; enim aut Deus factus est, aut homo factus est: quippe cum Dei & hominis nomine suppositum verbi declaretur quod ipsum non est factum

sed genitum.

**OBIICI CONTRA** potest. In Virginis utero temporaria factio-  
ne aliquid factum est: aut igitur factus est homo, aut factus est DEVS:  
non est factus DEVS, ut qui ab æternitate extiterit: est igitur factus ho-  
mo: ille igitur homo IESVS Christus est factus simpliciter. Dicimus  
aliquid fuisse factum in virginis utero, illam tamen factionem fuisse termi-  
natam ad diuinum suppositum, non simpliciter, sed prout suberat huma-  
næ naturæ. Etenim ille homo Iesus Christus, qua subsistens in humana na-  
tura factus est: Christus igitur non simpliciter & absolute, sed interuentu hu-  
manæ naturæ factione subiit.

**QVARTA** conclusio. Si fieri accipiatur ex adiunctione, idque per  
inhærentiam rei quæ cadit sub factionem: vtraque propositio falsa est. Cū  
enim dicimus, Deum factum esse hominem: significamus sub hoc sensu,  
Deum subiici factioni, & humanam naturam informare subiectum facti-  
onis: id quod cum citra mutationem fieri non possit, Deus autem & diui-  
num suppositum omnino sit immutabile, sequitur sub illo sensu, illam pro-  
positionem esse falsam. Id etiam sentiendum est ob eandem causam de hac pro-  
positione, Homo factus est Deus.

**QVINTA** conclusio. Si accipiatur fieri ex adiunctione, secundū habitudinē  
relatiuā, illa propositio est vera, quæ Deū factū esse hominem enūciat: illa con-  
tra falsa quæ hominē factū esse Deum declarat. Ac priorem illam propositi-  
onem esse verā, ita ostendit Durandus. Id cui attribuitur fieri secundū habitu-  
dinem relatiuam, non est subiectū factionis, aut terminus factionis, sed est ex-  
tremū relationem terminans, quæ potest alicui aduenire citra illius mutatio-  
nem: at in hac factione, Deus neque est subiectum factionis, aut terminus fa-  
ctionis, sed extremum habitudinem ac dependentiam naturæ humanæ ad  
ipsum terminans. Namque natura humana non habet per se subsistentiam,  
sed dependet ad diuinam personam Verbi per quam dependentiam suppo-  
sitalem fieri attribuitur Verbo, nō quidem absolute, aut cum determinati-  
one inhærente, sed cum determinatione respectiua.

**OBIICI** contra vehementer potest. Si fieri in hoc mysterio est fieri rel-  
latiuum: igitur DEVS non est factus homo, sed factus ad hominem: nam-  
que quod fit per habitudinem relatiuam, non fit aliquid, sed ad aliquid, con-  
sequens autem esse falsum diuinæ literæ declarant, quibus est traditum, Ver-  
bum esse carnem factum non ad carnem.

**RESPONDET** Caietan<sup>9</sup>, in hoc mysterio duos spectari: factionem scilicet

& mu-

Da. 3. sc.  
d. 7. q. 1.

Ioan. 1.

Caiet. 3P  
q. 16. ar. 7

& mutationem: ac factio quidem est substantialis, mutatio verò relatiua: in  
 factione igitur verbū diuinū est illa res quæ subiicitur factioni: natura verò  
 humana est terminus illius substantialis factionis. Etenim Verbū in hac fac-  
 tione est suppositū humane nature subiectū, ipsamq; substantificans. Cæterū  
 in mutatione contra res habet. Nāque humana natura subest relationi & mu-  
 tationi, Verbū autem ipsum terminat relationē. Etenim Verbū habitudi-  
 nē nature humanæ ad ipsum per hypostaticā dependentiā terminat. Ita  
 Caietanus negandū putat hoc fieri esse relatiuū. Nam quāuis natura huma-  
 na sit mutata, & referatur ad Verbū per hypostaticā dependentiā, Verbum  
 tamen non est mutatū, aut refertur, sed solum terminat habitudinē hyposta-  
 ticā: id quod est fieri hominē in hoc mysterio, hoc est, esse suppositū humane  
 nature, ipsamque sustentare.

SVNT nōnulla hoc loco à Caietano dicta, quæ mihi multis de causis sūt ābi-  
 gua. Primū quia factionē secernit à mutatione, nāq; oīs factio quædā est mu-  
 tatio, & omne quod fit mutatur quodāmodo. Deinde quia Verbū subiicit fa-  
 ctioni, cuius illud est cōsequens, vt subiiciatur mutationi. Accedit quia pro-  
 pterea Verbū subiectū factioni esse voluit, quia hypostaticā nature humanæ  
 dependentiā terminat: iam autē terminare dependentiā non est subiici facti-  
 oni. Postremo quia D. Thomæ & sibi ipsi repugnat: Etenim D. Thomas  
 aperte asserit rem subiectā illi factioni esse naturam humanam, nō Verbum.  
 Idem verò ipse in explanatione quarti argumenti tradit, fieri passiue soli hu-  
 manæ nature in hoc mysterio conuenire, siquidem hoc fieri nihil sit aliud,  
 quam humanam naturam cum Verbo hypostatice coniungi, ex quo illud  
 efficitur, vt hoc fieri sit nihil aliud, quam humanam naturam in Verbo per-  
 sonari, ita quod Verbum concurrat vt hypostasis, humana verò natura vt  
 patiens factionem personalitatis suæ in Verbo. Iam sic cum Caietano con-  
 grediamur. Natura, humana de tua sententia, patitur factionem persona-  
 tionis suæ in Verbo, Verbum autem ipsum personat: humana igitur natu-  
 ra sola subit factionem, cuius factionis terminus est diuina persona, non quia  
 fiat simpliciter, sed quia fiat subsistens in humana natura.

QVOCIRCA amplectendam ac defendendam putamus quintam  
 illam conclusionem, quæ asserit factionem in hoc mysterio esse secundum  
 habitudinem relatiuam, in quo genere id cui attribuitur factio, neque fit sim-  
 pliciter, neque est subiectum factionis: alioqui esset subiectum mutationis,  
 sed solum est terminus relationem terminans, quæ potest alicui aduenire ci-  
 tra illius mutationem.

Thom.  
 3 p. q. 16.  
 art. 7. ad  
 4.

PORRO quod ad formā argumenti attinet, negandā putamus consecutio-  
 nē. Nam hoc fieri, primo est absolutum utpote quod sit substantiale, deinde  
 verò & quadā consecutione, est relatiuū: primū enim est acquisitū, esse homi-  
 nē: ad quod est cōsecuta habitudo quædā relatiua naturę humanę ad Verbū.  
**EXISTIT** tamen hoc loco duplex quæstio, quarū hæc est prior. Si hoc fieri  
 est substantiale, acquisiuit igitur diuinū verbū esse substantiale, sed quod acqui-  
 rit esse substantiale fit simpliciter, verbū igitur diuinum factū est simpliciter  
 & absolute. Posterior verò quæstio huius prioris est consequens. Nā quod  
 acquirit esse absolutū, mutatur, verbū diuinū acquisiuit esse absolutum: mu-  
 tatum est igitur.

Tho. 3. p.  
 q. 16. ar. 6  
 ad 1.

**PRIORIS** quæstionis hæc est explicatio. Id quod acquirit esse substantiale  
 ita s. ut forma siue substantia nūc primo esse incipiat in supposito nouo crea-  
 to, fit simpliciter: at non sic Deus factus est homo: Deus enim dicitur factus  
 homo quia humana natura nunc primo incepit esse in supposito diuinę na-  
 turę iam præexistente: ac proinde Deū fieri hominē & acquirere esse huma-  
 num non est fieri simpliciter.

**POSTERIOR** quæstio in hunc modū explicatur. Fieri hominē contingit  
 duobus modis, vno modo subiectiue, altero modo terminatiue. Fieri homi-  
 nē subiectiue, est esse humanū in materia acquiri: fieri verò hominē termina-  
 tiue, est esse humanū in persona acquiri, siue personā fieri hominem. Fieri ho-  
 minē subiectiue dicit mutationem in subiecto acquirente esse humanū, fie-  
 ri hominem terminatiue non item. Ratio verò diuersitatis est, quoniam  
 subiectum quod fit homo, cum transmutatione sui acquirit esse humanum,  
 sed persona quæ fit homo sola noua personatione humanę naturę fit homo:  
 personare autē humanā naturam non est mutari, sed nunc primum in huma-  
 na natura subsistere, siue terminare suppositale humanę naturę depēdētiā.

Nota.

**HINC** iam nonnulla perspicuntur, quæ valent ad maiorem huius tam ab-  
 strusę & reconditę factionis intelligentiam, illud est primum. Filium Dei fa-  
 ctum esse hominem, esse aliud nihil, quam nunc primo naturam humanam  
 personare, siue nūc primo in humana natura subsistere. Et idcirco filius Dei  
 prius non erat homo, quia prius naturā humanā non personabat: & in tēpo-  
 re factus est homo, quia incepit quandoque personare naturam humanam.  
**SECUNDO** hinc intelligitur, filiū Dei acquisiuisse primū esse substantiale  
 humanę naturę, deinde esse relatiuum consurgens ex suppositali dependen-  
 tia naturę humanę ad Verbum, ac proinde filius Dei factus est homo: & sub-  
 stantia animata sentiens, non ad hominem.

TER



TER TIO illud perspicitur, filium Dei hac factione nullo modo esse mutatum: nam quāuis acquirat esse absolutū: natura tamen humana nō se habet ad Verbum per modum formæ inhærentis aut adiacentis, sed per modum formæ suppositaliter dependētis. Nam hoc fieri ut sæpe diximus, est aliud nihil, quā humanam naturā à Verbo personari, & substantificari, ex quo proficiscitur habitudo relatiua naturæ dependētis ad suppositū sustētans dependētiam.

POSTREMO illud hinc perspicitur. Naturā humanā esse subiectū huius factionis non solum ob id quia est subiectū mutationis quæ in hoc mysterio interuenit, etenim humana natura nunc primū est assumpta ad diuinā personā: sed etiam quia substantiale fieri in mysterio incarnationis inuentū cōuenit humanæ naturæ passiue. Etenim, ut iam sæpe diximus, hoc fieri est aliud nihil quā naturam humanā Verbo hypostatice vniri, vbi constat verbū personare humanā naturam, & naturam humanā personari in Verbo: quæ ipsa personatio quāuis effectiue pendeat à tota Trinitate, cui omnis actio ad extra communis est, à solo tamen Verbo pendet terminatiue, ut pote quod cōcurrat ut hypostasis, naturæ humanæ personalē dependentiā sustentans.

Thom. 3.  
p. q. 16.  
ar. 6. ad 2.

SEXTA conclusio. Hæc propositio, homo factus est Deus, secundū personale acceptionē subiecti est falsa: secundū simplicē verò acceptionē, vera efficitur. Prior pars ostenditur in hunc modū. Subiectū illius propositionis personaliter acceptū, accipitur pro supposito Verbi: suppositū autem Verbi semper fuit Deus, falsū est igitur dicere hominē illū nūc primū incepisse esse Deū, aut fieri factū esse Deū. Adde quia illa persona nō est facta sed genita Deus.

Thom.  
3 p. q. 16.  
art. 7.  
Dn. 3. sē  
d. 7. q. 2.

QVOCIR A omnino negandā putamus illam locutionē Scoticā, homo nūc est Deus, & prius nō fuit Deus, nā illud verbū, homo, accipit pro supposito Verbi quod ipsū non quidē nunc primū, sed ab æternitate fuit Deus. Cæterū si variaretur suppositio subiecti, id quod fiet si ex parte subiecti ponatur verbū significans naturā humanā in abstracto, tunc vera efficitur propositio, veluti si dicatur, natura humana facta est Dei. In qua propositione natura humana significatur ut subiectum factionis.

POSTERIOR pars ostenditur hoc pacto. Terminus quo ad simplicem acceptionē siue suppositionē accipitur pro natura per abstractionē à suppositis naturæ, ex quo efficitur ut ad confirmadā illius propositionis veritatē, in qua subiectum habet suppositionē simplicem non sit necessarium ad res subiectas illi naturæ descendere, non enim ut hæc propositio sit vera, homo est species, illud requiritur, ut aliquis homo sit species: quoniam in hac propositione, Homo supponit pro homine absolute, hoc est abstrahente à sup-

Thom. 3.  
p. q. 16.  
ar. 7.

positis naturæ. Quare ut vera sit hæc propositio, homo factus est Deus secundum simplicem subiecti suppositionem, non necessario requiritur ut aliquis homo factus sit Deus: sed absolute & in confuso pronunciatum hominem factum esse Deum. Nam quavis hic homo (ostendendo personam Christi) non sit factus Deus, homo tamen absolute & communiter loquendo, non semper fuit Deus. Ac sub hoc sensu verum est quod dicit Scotus nempe hominem nunc esse Deum, qui tamen ipse non prius fuit Deus. Itaque quod alibi dicit D. Thomas, non fuisse semper, sed de nouo incepisse ut subsistens in humana natura esset Deus.

Tho. 3. p.  
q. 24. ar. 1.

CÆTERVM utraque pars conclusionis his argumentis refutatur. Ac prior pars ita refellitur. Hæc propositio, homo factus est Deus, est conuertens illius, Deus factus est homo, at conuersa est vera: igitur & conuertens.

PRÆTEREA hæc est vera, Homo est Deus, at non semper fuit Deus sed per gratiam vniõis quemadmodum docet D. Thomas 3. p. q. 24. ar. 1. differens de Christi prædestinatione, relinquatur igitur hæc etiam propositio secundum personalem subiecti acceptionem esse veram, homo factus est Deus.

POSTERIOR conclusionis pars in hunc modum infirmatur. Talia sunt subiecta, qualia permittuntur ab eorum prædicatis, sed illud verbum, factus, non permittit hominem supponere pro homine absolute & communiter, minus igitur docte dicitur à D. Thoma, illam propositioem esse veram, si homo accipiatur absolute, & secundum simplicem acceptionem. Minor ostenditur. Namque fieri reale non est hominis communiter, sed hominis singularis: ac proinde ad probandam illius propositioem veritatem necesse est ut aliquis homo sit factus Deus: quemadmodum ad confirmandam huius propositioem veritatem, homo factus est albus, omnino necesse est ut aliquis homo sit factus albus.

PRÆTEREA minus accomodate ad præceptiones dialecticas dicitur, in hac propositioem, Homo factus est Deus subiectum homo supponere simpliciter: si accipiatur, pro homine in communi. Namque si accipiatur pro homine in communi supponit personaliter, indistincte tamen & indefinite, quoniam supponit pro habente naturam humanam. Etenim naturalis acceptio siue suppositio termini concretæ est pro habente naturam indefinite. Non videtur igitur sub aliquo sensu illa propositio tuenda, homo factus est Deus.

HORVM argumentorum hæc est explicatio. Ad primum igitur respondetur hæc propositioem, Deus factus est homo non conuerti in hæc, homo factus est Deus, sed in hæc potius, qui factus est homo est Deus: quemadmodum & hæc,

paries

paries effectus est albus, non conuertitur in hanc, album factum est paries: sed in hanc potius, quod effectum est album est paries.

AD secundum negatur minor propositio. Nam si homo accipitur personaliter, falsum est omnino quod per gratiam vnionis sit Deus, imo verò æterna generatione est Deus. Pro Thoma verò respondeo, propositione hanc, homo factus est Deus, sub hoc sensu, s. factum est, & incepit esse per gratiam vnionis, vt subsistens in humana natura esset Deus, esse illam quidem verã: non tamen illius propositionis esse illam proprie sententiam. Namq; in illa propositione, Homo factus est Deus, subiectum homo accipitur personaliter, sumitur igitur pro supposito absolute & simpliciter non ex adiunctione, s. pro vt subsistit in natura humana: iam autem de supposito absolute, falsum est dicere factum esse vt esset DEVS. Sic ubi tamen hæc dicta reperiuntur pie interpretanda sunt.

AD TERTIUM. respondetur illud Verbum factus non permittere, vt subiectum homo supponat pro homine absolute, & communiter, hoc est, abstrahendo à singularibus, proprie loquendo, secus si improptie. Quoniam igitur propter reuerentiã sanctorum qui illa propositione vtuntur (dicit enim Augustinus primo de Trinitate libro. Talis erat illa susceptio, quæ Deum hominem faceret, & hominem Deum) illud attributum, nempe factum Deum, verificandum erat, non potuit autem verificari de homine personaliter accepto siue confuse, siue determinate, proinde D. Thomas ad suppositionem simplicem confugiendum sibi putauit: de qua tñ suppositione non constanter pronunciauit, sed dubitanter: ait siquidem, nisi forte intelligatur secundum quod Thom. 3. q. 16. ar. 7. ly homo non habet personalem suppositionem sed simplicem.

AD quartum respondetur, naturalè termini cõmunis in cõcreto suppositione esse pro supposito habete naturam, indeterminate tamen & indistincte: cui tamen non repugnat vt possit supponere simpliciter, hoc est, pro habente naturã per abstractione à rebus singulis, veluti cum dicitur homo est species.

### Quæstio. III.

*Anne Christus incepit esse?*

DOC VIM VS quo pacto fieri & factum esse Christo domino conuenirent, quoniam verò hoc ipsum quod est factum esse illud est consequens, incepisse esse: reliquum est vt exquiramus, vere ne dici possit, Christo

T 5 demonst-

demonstrato, hic homo incepit esse. Nam si illa non recipitur, Homo factus est, quemadmodum tertia conclusione docuimus, quando quidem ille homo IESVS Christus non sit factus sed genitus, non videtur hæc etiam villo modo recipienda, hic homo incepit esse: siquidem ille homo IESVS Christus semper fuerit: iuxta Pauli sententiam, IESVS Christus heri: & hodie, ipse & in secula.

Hæb. vlt

Thom. 3.

p. q. 16.

art. 9.

**QVOCIRCA D.** Thomæ extat duplex de repropofita cōclusio. quarum hæc est prior. Simpliciter hæc locutio falsa est, & abhorrens à catholicæ fidei veritate, Christus incepit esse, siue hic homo incepit esse, id verò in hunc modum ostenditur. Supposito æterno repugnat esse incipere: at cum demonstrato Christo dicitur, hic homo incepit esse designatur suppositum æternum iuxta sententiam catholicæ fidei asserentis in Christo vnicam dūtaxat esse personam eamque diuinam: & æternā, sequitur igitur hanc locutionem simpliciter esse falsam, Christus incepit esse.

Thom. 3.

p. q. 16.

art. 10.

**SECUNDA** conclusio. Hæc propositio, Christus in quantum homo incepit esse, vera est, Namq; natura humana in Christo quæ admodum facta est, ita etiam incepit esse, fuit enim quando non erat, hoc est, fuit aliquod tempus quādo humana natura omnino nō erat: est igitur hæc propositio vera, Christus in quantum homo incepit esse, significatur enim factionem & inceptionem cadere in humanam naturam.

**SED** hæc conclusio posterior videtur euertere priorem conclusionē id quod sic ostenditur. Incipere esse conuenit humanæ nature: at eadem humanam naturam significatur hoc nomine homo, igitur quemadmodum hæc est vera, Christus in quantum homo esse incepit, ita etiam hæc est vera, hic homo incepit esse, hoc est suppositū humanæ nature incepit esse. Respondet Thomas negatione minoris propositionis. Nam quamuis hoc nomen homo significet formaliter humanam naturam, in subiecto tamen positum non accipitur formaliter pro natura: sed pro supposito, quod ipsum cum sit æternum, sequitur vt omnino sit falsum dicere, homo Christus incepit esse, illud tamen vere dicitur, Christus incepit esse homo, siquidē terminus in prædicato positus refertur ad naturam.

Scot. 3. d

11. q. 3.

**SUNT** qui putent, hanc propositionem, Christus incepit esse posse simpliciter concedi, id quod his argumentis volunt esse persuasum. Christus incepit esse homo, igitur Christus incepit esse simpliciter. Consecutio probatur, namque esse hominem est esse simpliciter: vt pote quod sit esse de genere substantiæ: cum igitur inceperit esse homo, sequitur vt simpliciter

ince

inceperit esse.

**PRÆTEREA** quod generatur incipit esse, at hic homo Christus est ex virgine generatus, igitur hic homo Christus incepit esse. Propositioni maiori suffragatur Aristotelis autoritas quinto Physicæ auscultationis libro.

Arist. 3.  
Phys.

**ADDE**, quia quando de aliquo dicitur incipere ex adiunctione alicuius prædicati, de illo toto dicitur incipere, verbi gratia, si Socrates incipit esse albus, vere de hoc toto, nempe de Socrate albo, dicitur incipere, namque hæc pronuntiatio vera est, Socrates albus incipit esse: at vere dicitur Christum incepisse esse hominem, vere igitur dicitur homo Christus incepit esse.

**PRÆTEREA**, quod conuenit alicui subiecto ratione formæ, potest eadem simpliciter attribui: nam cum homini interuentu humanæ naturæ conueniat esse risibile: vere simpliciter pronuntiat, hominē esse risibilem: atqui incipere esse conuenit Christo interuentu humanæ naturæ: igitur quemadmodum hæc est vera, demonstrato Christo, hic homo est risibilis, ita etiam hæc vera est, hic homo incepit esse: in vtraque siquidem supposito attribuitur quod ei conuenit interuentu naturæ.

Dur. 3. f.  
d. 12. q. 1.

**POSTREMO**, hæc propositiones sunt veræ, & ab omnibus receptæ, immo verò in sacris literis traditæ, Christus est mortuus, Christus est crucifixus igitur & hæc propositio est vera, & fidei catholicæ cōsentanea; homo Christus incepit esse, consecutio hinc intelligitur quia non minus repugnat illi homini desitio essendi, quam inceptio essendi, quare si inceptio essendi illi detrahatur, & desitio essendi eidem detrahatur necesse est, quod si desitio essendi illi homini Christo attribuitur: cur non etiam inceptio essendi attribuat?

**PORRO** fundamentum, quo nititur Thomæ sententia, ita demoliuntur, vt dicant, de supposito, pro quo terminus in subiecto positus accipitur, posse haberi sermonem duobus modis: vno mod simpliciter, & secundum se, altero modo vt subest alicui alteri. Multum enim interest hoc vel illo modo de supposito loqui. Nam aliquid vere negatur de supposito secundum se supposito, quod ipsum vere dicitur de eodem supposito qua subest alicui alteri. Etenim de Socrate, simpliciter falso dicitur, quod visum disgreget: quod ipsum tamē vere dicitur de Socrate albo. Ad eundē atiam modum cū dicitur, hic homo incepit esse, homo in subiecto positus accipitur ille quidem pro supposito verbi, non tamen secundum se, sed prout subest humanæ naturæ, quo modo illi conuenit incipere esse. Nam suppositum humanæ naturæ vt suppositū humanæ naturæ incepit esse.

**QUOCIRCA** Durandus illas propositiones in quibus Christo attribuitur

Dur. 3. f.  
d. 22. q. 1.

factio,

factio, creatio, inceptio, desitio, & cætera huiusmodi attributa existimat esse distinguendas, siquidem illæ propositiones per relationem ad naturam, siue ad suppositum prout subest naturæ, sunt veræ: per relationem verò ad suppositum simpliciter sunt falsæ. Ita neq; simpliciter concedendum est, neq; simpliciter abnuendum, sed distinguendum: siquidem vtraq; pars contradictionis sit vera per relationem ad diuersa.

**E G O** cum Thoma existimo taleis propositiones simpliciter esse negandas, vt quæ sint simpliciter falsæ, & veritati fidei dissentaneæ. In hanc porro opinionem & sententiam his duobus argumentis potissimum impellor. Illa quæ indifferenter conueniunt supposito & naturæ, in quocunque ita reperiuntur, vt eidem conueniant interuentu naturæ solum: nõ possunt attribui supposito absolute, sed cum expressione naturæ: id quod cernitur in accidentibus: sũt enim quædam accidentia quæ certas sibi corporis partes vendicant, vt symitas: & crispitudo: sunt alia, quæ indifferenter & in partibus insunt, & in toto: illa sine expressione partis denominant totũ per synedochem, dicitur enim simpliciter totus homo symus ob symitatẽ nasi, & totus homo crispus, ob crispitudinem capillorum. Hæc verò sine expressione partis de toto simpliciter minime dicuntur. Nõ enim Æthiops dicitur albus simpliciter, sed ex adiunctione partis. Dicitur enim albus dentibus: iam autem incipere esse est commune quiddam supposito, & naturæ: & Christo conuenit interuentu humanæ naturæ, igitur non debet Christo attribui simpliciter, sed cum expressione partis.

**SECUNDO** ita licet argumentari. Christus simpliciter: & absolute non dicitur factus: igitur simpliciter & absolute non est dicendus incepisse. consecutio hinc constat: quoniam quod factum est incepit esse, etenim nunc est, et immediate ante hoc instans non fuit. Antecedens ostenditur. Fieri simpliciter, est fieri secundum completum esse suppositale: etenim cum res obtinuit completum esse suppositale: secundum omne aliud esse superueniens, nõ dicitur fieri simpliciter, sed secundum quid: at fieri secundũ esse suppositale repugnat Christo: nempe cum ipsius suppositum sit æternum: relinquatur igitur non esse simpliciter dicendum Christum esse factum, ac proinde neq; esse incepisse.

**RELIQVVM** est vt aduersaria argumẽta diluamus. Ad primum negatur consecutio. Namque esse simpliciter accipitur duobus modis, vno modo vt distinguitur ab esse accidentario, & hoc modo esse substantiam, est esse simpliciter, & fieri aliquid de genere substantiæ, est fieri simpliciter. Altero modo accipitur esse simpliciter, vt idem ualeat quod esse sine adiunctione, aut deter-

mina

minatione, quo modo esse simpliciter significatur per, est, secundo adiacens, priorem modo fieri hominem, est fieri simpliciter, & esse hominē, esse sic simpliciter. Posteriore modo, fieri simpliciter est incipere esse de nouo, ita vt nūc sit, cū prius nō extiterit. Cōcedim⁹ igit⁹ Christū incepisse esse hominē, & factū esse hominē & acquisuisse esse simplr, hoc est, esse hominē, quod est esse de genere substantiæ: negamus tamen Christū incepisse esse, nam ibi esse significat esse simpliciter, vt distinguitur contra esse ex adiūctione ac determinatione, siue in genere substantiæ, siue accidentis: Cumq; illa propositio, Christus incepit esse, hanc negantem includat, Christus non fuit, illud autem non fuit, tollat esse simpliciter, hoc est, absq; determinatione siue ad esse substantiæ, siue ad esse accidentis, sequitur vt illa propositio, Christus non fuit, declarat subiectum non fuisse simpliciter, non autem non fuisse hominem, aut secundum aliud quoduis esse adiunctum: ac proinde illa propositio, Christus incepit esse, ex vi orationis est simpliciter falsa: & nullo modo recipienda.

AD secundum respondetur, maiorem illam propositionem esse veram regulariter, & cōmuniter, non tamen quando id quod generatur suppositaliter præexistit, id quod reperit in hac sacrosācta Christi ex Virgine generatione. AD tertium respondetur, propositionem illam maiorem esse veram, quando nomen significans illud totum, siue coniunctū, supponit per se primo pro illo toto vt sic, secus si alteram partem principaliter significet, proq; ea supponat, interim connotando reliquam. Priore igitur modo cum quippiam incepit esse aliquid, optime concluditur, illud aliquid incepit esse: veluti cū as incepit esse sphericum, recte sequitur, sphaera ænea incepit esse: siquidem sphaera ænea significat per se primo, ac supponit p hoc toto, nēpe sphaera ænea. Posteriore verò modo, non sic res habet. Nam cū terminus significet vnā partem principaliter, proq; ea per se primo supponat, alterū verò connotet, si aliquid dicitur de nouo de illo termino, non sequitur vt res significata per illum terminum incepit esse: significaretur enim & partē illā principalem pro qua supponit incepisse esse. Ita res habet in proposito. Nā & si hoc nomen Christus, siue hic terminus, iste homo, significet illud totum, nempe suppositum, & naturā, quia tamē supponit pro supposito, interī cōnotando naturā: vt vere dicatur, ostenso Christo, hic incepit esse homo, non tamē iā consequitur, vt vere dicat, hic homo incepit esse: denotat siquidē illā personam incepisse esse. QVARTVM argumentum diluitur explicatione maioris propositionis: etenim illa propositio vera est quando forma est naturalis habenti, secus si sit aduentitia, & assumpta. Sic enīcuenit vt aliquid non repugnet formæ, quod ipsum

ipsum tamen repugnet supposito. Ita res habet in proposito, nā cum dicitur hic homo incepit esse, tamen si incipere esse non repugnet naturæ humanæ quam formaliter declarat ille terminus homo: repugnat tamen supposito pro quo supponit, supponit siquidem pro hoc habente naturam humanam, non quidem naturaliter, sed per unionem hypostaticam: iam autem hoc habens naturam humanam hypostatice est suppositum æternum, cui repugnat inceptio essendi.

**QVINTVM** argumentum diluitur negatione cōsecutionis. Etenim eorū quæ Christo attribuuntur duo sunt genera: quædam enim sunt eiusmodi de quibus dubitari possit, vtrum supposito conueniāt secundum se, quædam verò alia de quibus id dubitari non potest, sed aperte conuenire supposito in teruentu humanæ naturæ intelliguntur. Quæ ad hoc posterius genus pertinent possunt Christo simpliciter, & citra expressionē naturæ cuius interuentu illi conueniunt, attribui, veluti esse mortuum, crucifixū, editum ex virgine. Hæc siquidem venire in dubitationem non possunt quin Christo conueniāt, non secundum se sed interuentu humanæ naturæ. Cæterum prioris generis attributa non sunt simpliciter & citra adiunctionem attribuenda, ne quispiā opinetur illa personæ Christi secundum se conuenire: in his sunt esse creaturam, incepisse esse: esse minorem patre. Namq; Arriani & hæretici tradiderunt, Christum esse creaturam, & incepisse esse non solum ratione humanæ naturæ, sed etiam ratione diuinæ personæ. Iam autem cum hæreticis neq; nominibus debemus conuenire, ne suffragari ipsorū erroribus videamur. **NONDVM** tamen videtur esse quæstio profligata, namque nullo modo videtur de Christo esse simpliciter enuntiandum esse mortuum, quando quidem, esse mortuum idē declarat quod desijt esse, at hæc enunciatio, Christus vel iste homo desijt esse, est simpliciter falsa, quemadmodum & illa, Christus incepit esse: igitur & illa pronuntiatio simpliciter est falsa, Christus est mortuus.

**DICIMVS** latius patere, desijisse esse, quam esse mortuum, etenim desinere esse non solum dicitur de toto verum etiam de parte, namque vere dicitur hominem hunc desijisse esse cum è vita decessit, dicitur etiā hanc naturā humanam esse desijisse: id quod partium distractione efficitur. Cæterum hunc hominem mortuum dicimus: hæc verò naturam humanam mortuam nō dicimus. Hinc iam efficitur vt de Christo citra vllum incōmodū simpliciter possit enuntiari quod sit mortuus, hoc est quod humanam vitam amiserit: non tamen quod esse desierit simpliciter: quando quidem quæ indifferenter



conueniunt supposito & naturæ: siue toti & parti, si in aliquem cadunt interuentu naturæ aut partis, non sunt simpliciter attribuenda citra expressionem naturæ aut partis, quemadmodum supra docuimus.

**P O R R O** quod attinet ad infirmationem ac labefactionem fundamenti quo nititur opinio ac sententia Sancti Thomæ, dicimus non fuisse ab eis fundamentum labefactatum, sed solidum adhuc & firmum consistere. Namque illa suppositi distinctio, vel secundum se, vel vt subest alicui alteri, non est ad id de quo queritur accomodata. Non enim versatur in controuersia, an ne filius dei, vel suppositum verbi inceperit esse, etenim illud sumitur, suppositum diuinum esse sempiternum, sed queritur de diuino supposito vt subest humanæ naturæ, id quod Christi nomine vel istius hominis declaratur, an ne esse inceperit? Ac proinde omnis iam intercepta est distinctio. De supposito enim queritur habente humanam naturam, non de supposito simpliciter. De supposito igitur diuino habente humanam naturam falso dici, quod esse inceperit, asseruit D. Thomas ob id scilicet, quia hic homo ex parte subiecti principaliter importet suppositum, nempe cum subiecta materialiter teneantur, ac proinde de supposito precipue affirmetur quod inceperit esse, cumque illud sit æternum, efficitur vt illa propositio sit simpliciter falsa, hic homo inceperit esse. Damus igitur hoc, indicato Christo, incepisse esse hominem, non tamen concedimus, hunc hominem esse incepisse, ob eas quas supra exposuimus causas.

**C A E T E R V M** posterior conclusio, quam veram esse de sententia D. Thomæ asseruimus, doctissimo Scoto venit in dubium: si prior illa conclusio minime recipitur. Id vero hoc argumento docet Scotus. Propositio simpliciter falsa ob repugnantiam extremorum nulla reduplicatione efficitur vera: at de sententia D. Thomæ, hæc propositio, Christus incepit esse, est simpliciter falsa ob repugnantiam extremorum, nulla igitur reduplicatione adiuncta effici potest vera. Quare si hæc non recipitur: iste homo incepit esse: neque hæc recipienda est: Christus in quantum homo incepit esse. Maior propositio ostenditur, quoniam reduplicatio non tollit repugnantiam: est enim determinatio extremi ad extremum, ac proinde non diminuit alterum extremum.

**A D D E**, quia si Christus secundum quod homo incepit esse: igitur homo. Christus incepit esse, consequens non conceditur, igitur neque antecedens. Consecutio ostenditur. Quoniam terminus in prædicato positus, verius attribuitur verbo reduplicanti, quam subiecto propositionis: nam si corpus quatenus affectum colore est visile, sequitur vt coloratum non solum sit vi-

sile,

Scot 25  
d 11, q. 25

file, sed multo potius visibile. **PRIVS** argumentum dissolvitur negata maiore propositione. Ad probationem cum dicitur, reduplicationem non tollere repugnantiam, negatur illud, probationi vero occurrimus concedentes reduplicationem in esse determinationem extremi ad extremum, negamus tamen consecutionem. Namque diminueri accipitur duobus modis, vno modo, vt idem valet: quod tollere significatum nominis, quod ipsius definitione declaratur, hoc modo esse in potentia, & esse mortuum sunt conditiones siue adiunctiones diminuentes, namque homo in potentia non est homo: neque itidem homo mortuus est homo. Altero modo accipitur diminueri, vt idem declarat quod efficere terminum non secundum totum accipi, sed secundum aliquid ipsius: hoc modo reduplicatio diminuit extremum: efficit enim vt accipiatur ratione naturæ, & non ratione suppositi includentis naturam: ac proinde tollit repugnantiam, quæ reperitur in propositione, sumptis extremis citra reduplicationem.

**HÆC** igitur propositio, Christus incepit esse, simpliciter falsa est ob repugnantiam extremorum, adiuncta tamen reduplicatione efficitur vera, quoniam illa repugnantia tollitur: nempe cum incipere esse, non significetur conuenire supposito absolute, sed interuentu humanæ naturæ, ratione cuius illi supposito conuenit reuera esse incipere, quemadmodum & fieri.

**POSTERIVS** diluitur negata consecutione. Namque terminus in reduplicatione positus naturam respicit potius quam suppositum, repetitur enim sub vi prædicati quod formaliter accipitur, idem enim valet, Christus secundum quod homo, atque Christus quatenus est homo. Contra vero positus subiecti loco, suppositum respicit potius quam naturam. Quoniam vero natura humana Christi incepit esse, suppositum vero est æternum, hinc efficitur, vt hæc locutio minime admittatur, homo Christus incepit esse, hæc vero admittatur, Christus quatenus homo incepit esse.

**NOTANDVM** est tamen, huiusmodi reduplicationes, non teneri reduplicatiue, sed specificatiue, non tenentur quidem reduplicatiue: quoniam non denotant causam inhærentiæ prædicati cum subiecto, non enim natura humana est per se ratio siue causa quod huiusmodi prædicata Christo conueniant, cum multa ex accidente eidem conueniant, veluti esse crucifixum, esse sepultum: descendisse ad inferos, ad superos ascendisse, sed declarat illud, quo mediante, siue cuius interuentu prædicatum conuenit subiecto, quemadmodum cum dicitur, Socrates quatenus capillatus est crispus, ac proinde accipiuntur

pietur specificatiue: specificat enim eam partem, siue eam naturam, aut conditionem per quam hæc insunt. In multis tamen propositionibus reduplicatio accipitur reduplicatiue, veluti in his, Christus quatenus homo incepit esse, siue creatus est, siue desit esse: quoniã esse hominẽ est per se ratio quod hæc Christo conueniant. Vfus tamen obtinuit vt reduplicatio etiam in his accipi intelligatur specificatiue, (vt possit teneri reduplicatiue) quo significetur, hæc Christo conuenire non secundum suppositum: sed secundum assumptam naturam.

EX hisce quæ de hoc pronunciato, Christus incepit esse, tam multis differuimus, facile intelligi potest, quid sit de hoc pronunciato sentiendum, Christus est creatura, siue hic homo Christus est creatura. Etenim illa pronuntiatio falsa est simpliciter, ob duas illas rationes quibus ostendimus, hanc propositionem, Christus incepit esse, esse simpliciter falsam. Ex quo iam efficitur, vt adiuncta reduplicatiue efficiatur vera: ac proinde hæc sit omnino recipienda, Christus quatenus homo est creatura. Etenim reduplicatio adiuncta specificat partem, siue conditionem, siue subiectum, quo creatio conuenit Christo: itaque fit vt denotetur, esse creaturam conuenire Christo, non secundum suppositum, sed secundum naturam assumptam.

D. tamen Thomas, vt hanc propositionem recipiat, Christus quatenus homo, est creatura, illam tamen Christus est creatura, minime recipiendam putat, non tam quia falsa est, sed quia Arrianam hæresim redoleat. Ita inter has duas propositiones, Christus incepit esse, & Christus est creatura de sententia Diui Thomæ hoc inter est, quoniam illa exploditur ob id scilicet quia simpliciter falsa est, hæc vero, quoniam hæreticum sensum præferat. Etenim, Arriani Christum dixerunt esse creaturam: ac minorem patre, non solum interuentu humanæ naturæ, sed etiam interuētū personæ: ac proinde non est simpliciter & absolute dicendū.

Thom. 3  
p. q. 16.  
artic. 8.  
& 10.

Christū esse creaturā, sed cum determinatione. scilicet secundū humanam naturā. Ex hisce D. Thomæ verbis aperte intelligitur, illam locutionem, Christus est creatura, esse repudiandam non tam ex eo quia falsa est, quam quia cum hæreticorum sensu congruat, atque consentiat. Etenim auctore D. Hieronymo, ex verbis in ordinate prolatis incurritur hæresis, id quod tu intellige: non formaliter, id siquidem pertinacem requirit voluntatem, sed vel materialiter, quia scilicet verborum contextus inordinatus errorem declarat veritati fidei contrarium, vel apparenter, ob id scilicet quia inordinata locutio speciem quandam hæresis præferat. Quemadmodū enim

Thom. 3  
p. q. 16.  
ar. 8.

in actionibus humanis vsu venire consuevit, vt propter inordinationem aliquam in speciem mali incurratur, à qua in vniuersum esse abstinendum præcipit Apostolus, ita etiam in locutionibus accidit, vt verba inordinate posita speciem quandam præbeant hæreseos, à qua etiam mali specie iuxta præceptum Apostoli, est omnino abstinendum.

**N O B I S** placet, ob eam rationem, hanc pronunciationem, Christus est creatura, esse simpliciter falsam, qua docuit D. Thomas hanc esse simpliciter falsam, Christus incepit esse. Quemadmodum enim supposito æterno repugnat incipere esse, ita etiam creati, vel creatum esse: iam autem cum dicitur, Christus, vel homo Christus est creatura, designatur suppositum æternum: quia terminus in subiecto positus accipitur pro supposito, relinquitur igitur hanc locutionem esse simpliciter falsam: esseque proinde explodendâ, non solum quia cum hæreticorum sensu consentiat, sed etiam quia suapte vi & natura falsa est. Sicubi tamen huiusmodi locutio à sanctis viris vsurpata reperiatur, est pie interpretanda, vt pote in qua determinatio sit sub intelligenda: scilicet secundum quod homo: vel secundum naturam assumptam.

### Quæstio. III.

*Vtrum in Christo fiat idiomatum communicatione?*

**I A M** hic locus postulare videtur, vt de idiomatum inter se communicatione differamus. Etenim hanc sacratissimam & admirabilem vnionem hoc etiam est cõsecutû, vt naturæ vtriusque, diuinæ scilicet & humane, idiomata Deo, & homini cõmunicentur, vt scilicet quæ sunt Dei propria homini attribuantur, quæ vero sunt hominis, Deo. Dicimus enim ob hanc idiomatum communicationem, filium virginis esse rerum omnium effectorem: esse infinitum, esse præpotetem, ac summum & diuinum numen: & si qua sunt generis eiusdem, quæ diuinam naturam attingunt. Contra vero, Dei filium, fragilem, imbecillum, mortalem, patibilem, abiectum, sumissimumque nominamus: cæteraque generis eiusdem humane naturæ propria eidem tribuimus, vnionis & coniunctionis gratia.

**O R T V M** autem habuit hæc mutua idiomatum cõmunicatio, vt author est Ioannes Damascenus, ex vnitate hypostasis Dei & hominis. Namque

quia

quia hominis illa persona est eademque Verbi Dei: propterea illum hominem dicimus esse Deum, ac proinde illi omnia diuina tribuimus: scilicet esse creatorem, esse summum bonum, esse sempiternum &c. Quoniam vero Dei persona, eadem est hominis persona: proinde Deum dicimus editum ex virgine, in praesepio repositum, conuictu hominum usum: ac deum cruci suffixum. Sed iam Ioannis Damasceni verba subiiciamus. Damasc. li. 3. c. 4.  
 Hæc est mutuae communicationis ratio, naturarum vna alteri impertiente ea quæ ipsius sunt propria, propter hypostasis identitatem: & mutuam naturarum inter se copulationem: ac veluti quandam circuminceptionem. Ob id de Christo dicere licet, hic Deus noster in terris visus est: & cum hominibus conuersatus est: Et, homo ille increatus est, imparibilis, & incircumscribitus, &c. Baru. 3.

**Q**UO vero hæc proprietatum communicatio melius intelligatur, omnique errandi occasio tollatur, sunt nonnulla annotanda. Illud est primum: non sic fieri idiomatum communicationem, vt ex proprietatibus illis diuersarum naturarum nominentur ipsæ naturæ: sed persona in duabus naturis subsistens: quemadmodum diserte sanctus annotauit Damascenus. Non enim dicimus deitatem passam & creatam, neque itidem carnem increatam, & imparibilem, à Patre ex æternitate genitam. sed Deum passum & generatum ex virgine, itemque hominem increatum: & imparibilem ex Patre ab æternitate genitum. Huius rei hæc est causa: quoniam hæc communicatio fit propter vnitatem: at natura diuina & humana in Christo non sunt vnum: suppositum vero vtriusque naturæ est vnum.

**S**ECUNDO illud annotandum est, in huiusmodi attributione esse magno opere expendendum, quid, & propter quid, & secundum quid dicatur: vt docet Augustinus primo de Trinitate libro: ne confusionem naturarum cum Eutyche: aut diuersitatem suppositorum cum Nestorio: aut creationem Verbi cum Arrio, inducere videamur.

**T**ERTIO est summo opere notandum: in mysterio incarnationis, non esse distinguendum, aut explicandum subiectum de quo diuina & humana predicantur. Nam cum eadem hypostasis diuinæ & humanæ naturæ supponatur, fit vt nomine concreto vtriusque naturæ, eadem omnino hypostasis significetur, ac proinde de homine dici possunt ea quæ alioqui diuinæ naturæ sunt propria, tanquam de hypostasi diuinæ nature, & contra, de Deo dici possunt ea, quæ naturam humanam attingunt, tanquam de supposito humanæ nature. Thom. 3 p. 416. art. 4.

Augu. 1.  
de Trin.  
§ 12.

Est tamen distinguenda illa ratio, siue conditio per quam humana, ac diuina attribuuntur. Nam quamuis sit vnum, idemque subiectum de quo diuina & humana dicuntur: non tamen eadem est ratio & conditio subiecti, per quam eidem diuina & humana tribuuntur, ac proinde vna est ab altera distinguenda, atque seiungenda. Id quod Augustinus expendendum esse voluit: atque secernendum. Distinguaamus, inquit, quid in scripturis sonet secundum formam Dei, & secundum formam serui. Sic enim quid, & propter quid, & secundum quid dicatur: prudens & diligens ac pius lector intelliget. Nestoriani vero quia duas duabus naturis Christi hypostasies supponebant, subiectum distinguendum esse putabant, de quo diuina & humana dicerentur, non rationem subiecti. Vnde de homine humana solum, de Deo vero, diuina solum prædicata & enunciata esse voluerunt. In quos doctissimus & sanctissimus Cirillus inuehitur in hunc modum. Siquis duabus personis, seu hypostasibus eas, quæ in euangelicis & apostolicis scripturis traditæ sunt, voces sic distribuit, vt has quidem homini attribuendis crediderit, illas vero soli Verbo assignauerit, Anathema sit. Ex quo intelligitur non esse in mysterio incarnationis obseruandum id, de quo diuina & humana dicuntur, sed id secundum quod dicuntur.

Cirillus.

Gab. 3. d.  
7. q. 1. ar. 2

**QVARTO** notandum est, attributa naturæ humanæ qua est assumpta, nullo modo illi hypostasi humanæ naturæ conuenire, cuiusmodi sunt adsumi, personari, dependere, suppositari, non enim dicimus Christum assumptum, aut dependentem: aut personatum, sed naturam assumptam, personatam, dependentem. Ad eundem etiam modum quæ diuinæ naturæ ita conueniunt vt personæ non conueniant, attribui illi homini non possunt, veluti communicabile, vnū in tribus personis. Non enim ille homo Christus est communicabilis, aut vnus in tribus personis.

**QVINTO** & vltimo notandum, hæc tria attributa, scilicet deificatum, humanatum, & incarnatum, non recipere mutuam communicationem. Namque incarnatum esse, & humanatum: de Verbo illa quidem dicuntur, de homine vero non item. Deificatum vero homini tribuitur, Deo non item.

## DE VNITATE CHRISTI.

### Quæstio. V.

*Verum Christus vnus sit vel duo?*

ADhuc

**A**Dhuc quo pacto fieri & factum esse, quæque his sunt cõsentanea, Christo Domino cõuenirent, exposuimus: iam ad explicationem ipsius esse Christi ingrediamur. Nam cum hac vnione effectum sit, vt Christus esset Deus & homo, inuestigatione dignissimum est, anne Christus vnus sit vel duo? Etenim naturarum dualitas, & hypostasis vnitas, ancipitem & explicatu difficilem quæstionem efficiunt.

**Q**UOD igitur ad propositam quæstionem attinet, sunt qui putauerint, Christum Dominum non verè dici vnum, sed multa: quæ illorum opinio ex Aristotelis auctoritate profluxit. Etenim Aristot. author est. 7. Metaphy. hominẽ album non esse simpliciter vnum, sed multa: igitur habens diuinã simul & humanam naturam, non est vnus simpliciter, sed multa, cum præfertim altera naturarũ ab ipso re ipsa distincta, ac seiuncta sit.

**E**IDEM Aristoteli visum est, multa & vnum esse differentias entis in actu, non entis in potentia, quando quidem ens in potentia ex se neque vnum est, neque multa, vnde & compositum substantiale, vt multa contineat, nõ dicitur tamen multa simpliciter, siquidẽ non constet ex multis actu existentibus: cum igitur humana natura in Christo, itemq; diuina sint actu existentes, & actu entia, sequitur vt sint multæ simpliciter, ac proinde Christus ex illis & in illis subsistens, non sit vnus dicendus, sed duo.

**A**CCEdit ad confirmationem, quia diuinæ personæ vt sint inter se realiter distinctæ, propter vnitatem tamen essentiæ sunt & dicuntur vnum, iuxta illud Ioannis, tres sunt qui testimonium dant in coelo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt: igitur & Christus tamen si vnicũ habeat suppositum: propter dualitatem tamen naturarum dicendus est duo. Consecutio probatur, quia vt vnitas essentiæ rationem vnitatis non tollit, ita neque multitudo, rationem multitudinis.

**A**LII S visum est Christum Dominum nullo modo esse multa, sed vnum tam masculine, quam neutraliter, vt scilicet sit vnus, & vnum. Id vero ita ostendunt. In Christo vnum vel duo dicitur secundum rationem suppositi: at in Christo est vnica persona: & vnum suppositum, non solum igitur Christus est vnus masculine, verum etiam vnum neutraliter. Minori suffragatur sententia fidei, maior ostenditur. Inter diuinam & humanam naturam Christi hoc interest, quoniam diuina natura dicitur de Christo tam in abstracto, quam in concreto, est siquidem Christus & Deus, & sua deitas, nam in Deo non differunt quod est & quo est, at humana natura dicitur illa quidem de Christo, in concreto tamen, & in ratione suppositi,

non tamen in abstracto, est siquidem Christus homo: non tamen sua humanitas: nempe quia humana natura re ipsa distinguatur à Christo, siue supposito Christi: ex quo iam efficitur, vt duæ naturæ Christi, diuina scilicet & humana, dicantur de Christo in concreto, sic autem significantur vt in supposito saltem indistincte, nam Deus significat habentem deitatem: & homo significat habentem humanam naturam: relinquitur igitur vnum vel duo esse Christo attribuenda secundum rationem suppositi.

**NEQVE** illud huic sententiæ obstat: quod duæ illæ naturæ numerentur: & ponant in numero: nam & si numerentur in abstracto, non numerantur tamen in concreto: vt enim in Christo deitas & humanitas sint duo: non tamen Deus & homo sunt duo habentia deitatem: & humanitatem, sed vnus, vel vnum simul habens humanitatem & deitatem: ac proinde iuxta rationem suppositi numerati, vel non numerati, Christus est dicendus vnum vel duo.

**HINC** iam illud consequitur: quod si ambæ illæ naturæ de Christo dicerentur in abstracto, Christus non esset vnus, sed duo. Namque ad esse duo illud requiritur, vt Christus sit aliqua prædicata ponentia in numero, deitas autem & humanitas ponunt in numero, sunt enim duæ naturæ, igitur si Christus esset sua humanitas: quemadmodum est sua deitas, Christus vere esset duo. Hæc Thomas.

Scot. 3. d  
6. q. 1.

Scotus in eadem est sententia, Afferit enim Christum, neque masculine, neque neutraliter esse duo, sed vnum habens duas naturas, non quidem masculine: quoniam alioqui Christus esset duæ personæ: nam masculinum refertur ad personam, neque neutraliter, quoniam alioqui Christus esset duæ naturæ. Vt enim sit sua deitas, non tamen sua est humanitas: iam verò genus neutrum ad naturam refertur. Cum igitur Christus non sit villo modo sua humanitas, sequitur vt sit vnus, & vnum quiddam duplicem habens naturam.

Dur. 3. d  
6. q. 2.

**DVRANDVS** medium se se interponit, asserens Christum dominum neque esse dicendum vnum absolute, neque duo: sed cum adiunctione. Id verò demonstraturus, sumit adiectiuum nomen significatum suum veluti opponere substantiuo, eidemque vel prædicato, vel subiecto: prædicato quidem, cum attributum propositionis constat ex substantiuo, & adiectiuo, vt cum dicitur, Antonius est bonus cantor, subiecto verò, cum scilicet adiectiuum solitariè ponitur ex parte prædicati, veluti cum dicitur, Socrates est albus, Ostendit igitur priorè partem conclusionis hoc pacto. De quo non dicitur

substan



substantiuum, de eodem non dicitur adiectiuum determinans substantiuum: at de Christo non dicitur natura humana formaliter, neque itidem natura diuina, vt multis visum est, igitur neq; secundum naturam humanam: neque itidem secundum naturam diuinam est vnū, vel duo.

**P O R R O** conclusionis pars posterior sic ostenditur. Si aliquid aliud adiungatur ex parte prædicati, Christus est dicendus vnum vel duo secundum exigentiam eius quod adiungitur. Nam si dicatur, Christus est suppositum; adiungendum est, vnum, si vero dicatur habens naturam, adiciendum est, duplicem, vel duas naturas. Ita ex adiunctione Christus dicitur esse vnum vel duo: non simpliciter & absolute. Dicit tamen potest Christus vnus masculinæ, per relationem ad personam Christi.

**N O S** diuini Thomæ sententiam amplectimur, quocirca oppositæ sententiæ firmamenta infirmanda; ac diluenda à nobis sunt. Aristotelis igitur illam sententiam sic interpretamur, vt dicamus illam esse accipiendam per relationem ad formam & naturam, hominis scilicet & alboris: non tamen per relationem ad materiam, siue subiectum. Namque in homine albo, humanitas & albedo numerantur, & ponunt in numero, homo vero & album minime, sed sunt vnum hypostasi & subiecto. Namque non est aliud homo, & aliud album adiectiue, sed vnum & idem. Ad eundem modum res habet in Christo, vt iam exposuimus. Etenim Deus & homo, quæ de Christo dicuntur, tametsi numerentur in abstracto: in concreto non item, vt pote quæ supponant pro eodem.

**A D** secundum, negatur consecutio, nempe quod Christus secundum duas illas naturas dicatur duo. Nam appellatio vnitatis, aut dualitatis attribuitur Christo secundum illas naturas, prout significantur in supposito: sic autem non numerantur, sed supponunt pro eodem propter vnitatem suppositi, ac proinde non tribuunt dualitatis appellationem.

**A D** tertium, similiter negatur consecutio. Nam diuina natura formaliter dicitur de diuinis personis, neque numeratur cum illis, vt pote quæ re ipsa à diuinis personis minime seiungatur. Cum igitur diuinæ personæ sint sua deitas, eaque sit vna, sequitur vt diuinæ personæ sint & dicantur vnum. At natura humana in Christo non dicitur formaliter de Christo: nempe quæ re ipsa distinguatur à Christo, ac proinde cum Christus non sit duæ naturæ, sequitur vt secundum illas naturas non sit duo. Ita respondet Thomas, Scotus, & Durandus.

Thom. 3.  
p. 917.  
ar. 1. ad. 5

**HINC** pronunciatum illud Scoticum colligitur: quod habet in hunc modum: Quando aliqua forma conuenit multis: quæ eadem de illis in recto dici non potest, tum & si multi habeant eandem numero formam, non tamen proinde sequitur ut sint vnum, sed multa habentia vnum: veluti si tres homines haberent eandem numero rationalem animam, non sunt vnum secundum animam rationalem: siquidem nullus ipsorum sit anima rationalis, sed sunt tres homines, habentes vnam eandemque animam rationalem.

**HIS** adiunge, quod & si Christus Deus sit, & homo, non tamen inde consequi: ut Christus sit alius & alius masculine: aut aliud & aliud neutraliter. Non est alius & alius: quoniam Deus & homo non sunt due, sed vna & eadem persona. Porro neutraliter Christus non est aliud & aliud: si modo aliud & aliud capiantur in recto: secus si accipiantur in obliquo. Ac non esse Christum aliud & aliud in recto, facile intelliges: si quo pacto vtraque natura ad Christum affecta sit expendaris. Etenim natura diuina non est aliud à Christo: sed vnum & idem quod Christus. Natura vero humana in concreto, ut non sciungatur à Christo: in abstracto tamen secernitur: ac proinde cum formalis ipsius prædicatio de Christo falsa sit, relinquitur ut Christus non sit aliud in recto, per relationem ad naturam humanam. Est tamen Christus aliud & aliud in obliquo, id est, includens aliud, & aliud: naturam. scilicet diuinam & humanam: quæ inter se collatæ formaliter & realiter distinguuntur.

**Scot. 3. d. 6. q. 1.** **HINC** postremo illud intelligitur: huiusmodi propositiones exclusiuas: scilicet Christus non tantum est homo: Christus non tantum est Deus, veras esse per relationem ad Deum & hominem in abstracto: non tamen in concreto. Nā hæ propositiones: Christus est aliquid aliud ab homine, vel Christus est aliquid aliud à Deo, veræ sunt: si ita accipiantur: Christus est includens aliam naturam à diuina, vel aliam ab humana: non tamen est aliquid aliud à Deo: sed ipsemet Deus: neque aliquid aliud ab homine, sed ipsemet homo.

## DE EXISTENTIA ACTUALI CHRISTI.

### Quæstio. VI.

*Verum in Christo sint duo esse, vel  
vnum esse?*

**AD**

**A**D explicationem esse ipsius Christi, illud etiam pertinet exquirere, ane in Christo sint duo, vel vnum esse: Porro autē cum esse quatuor modis accipiat: est enim esse essentiae, est autē illud quod definitione explicatur, est esse existentiae: quod ipsum est rei cuiusque actualitas, qua efficitur vt sit cū extra animum, tum extra suam causam: tum enim res quæque dicitur existere, cum neque potestate causæ continetur: neque a nimo solo comprehenditur: est esse subsistentiae, quod est aliud nihil, quam citra dependentiam, vel innitentiam in altero siue subiecto, siue supposito existere. Ex quo iam intelligitur, subsistentiam adiungere existentiae modum quendam per se essendi: qui modus solis primis substantiis conuenit. Est postremo esse propositionale: quod ipsum in compositione prædicati cum subiecto consistit, qua efficitur vt verum aliquid vel falsum declaretur.

**C**V M igitur esse quadrifariam accipiat, quæstio referri potest ad quadruplex illud esse. Quocirca quatuor conclusiones poni possunt: ac de tribus omnes inter se Theologi consentiunt, de quarta vero dissident. Est igitur prima conclusio omnibus probata huiusmodi. In Christo sunt plura esse essentiae. Id vero ostenditur hoc pacto. In Christo Domino sunt multæ naturæ specie differentes: id quod apertissime declarant natura humana & diuina: declarant etiam multa accidentia specie dissidentia, quæ partim in animo ipsius, partim in corpore inhaerent: sunt igitur in Christo varia esse essentiae.

Tho. 3. p.  
q. 17. ar. 2  
ad. 3

Scot. 3. d.  
6. q. 1.  
Dur. 3. d.  
6. q. 2.

**S**E C V N D A conclusio. Christo conueniunt multa esse propositionalia, etenim de Christo multa vere possunt enūciari esse vel non esse: multa igitur esse propositionalia possunt Christo cōuenire.

Arg. 3. d.  
1. art. 3.

**T**E R T I A conclusio. In Christo est vnicum esse subsistentiae. Namque in Christo est vnicum suppositum, igitur vnica subsistentia. Consecutio firma est, siquidem subsistere soli conuenit supposito. Est siquidem suppositum natura siue substantia completa, ab alio independens: siue in altero non innitens. Hinc intelligitur accidentia, & humanam naturam Christi non subsistere. Etenim accidentia hærent in subiecto: natura vero humana Christi diuino supposito innititur.

Gab. 3. d.  
6. q. 2.

**Q**V A R T A conclusio. In Christo duplex esse actualis existentiae reperitur: increatum vnum & diuinum, creatum alterum & humanum. Huic cōclusioni ita fidem facio. Existere est aliud nihil, quam extra causam, & extra intellectum esse: at duarum naturarum Christi vtraque extra causam, & extraintellectum est: habet igitur vtraque propriam actualitatem: & pro-

Scot. 3. d.  
6. q. 1.

priam existentiam.

Aureo.  
Iusapud  
Capr. 3.  
d. 6

**PRÆTEREA**, esse existentiæ est actus, siue actualitas, qua formaliter natura, siue essentia actuatur, at esse diuinum non actuatur naturam humanam: quandoquidem esse diuinum non supplet vicem causæ formalis inhærentis, igitur humanitas Christi est actuata propria existentia, alioqui adhuc manet in potentia respectu esse.

**TERTIO** natura humana est generata: igitur habet esse acquisitum per generationem. Consecutio probatur, quia omnis generatio terminatur ad esse: non acquisiuit esse diuinum per generationem: igitur esse humanum.

Ac non esse acquisitum esse diuinum per generationem ex eo intelligitur, quoniam esse generationem terminans conuenit rei in facto esse, ex quo efficitur vt sit actus siue actualitas ipsius naturæ: sed diuinum esse non potest esse actus siue actualitas alicuius, igitur, &c.

**QUARTO**, Christus mortuus amisit aliquod esse, non esse diuinum: siquidem Verbi cum natura humana coniunctio nunquam est distracta: igitur esse humanum: non quidem ob id solum, quia Christus desit esse homo, sed ob id etiam, quia homo Christus desit existere. Propositio maior hinc intelligitur: quoniam Christus per mortem amisit aliquam vitam: igitur amisit aliquod esse, quandoquidem viuere viuētibus est esse.

**POSTREMO** in Christo propter duas naturas sunt duæ voluntates, & duæ operationes: igitur & duo esse actualis existentia. Consecutio firma est, siquidem esse immediatius se habet ad naturam, quam velle & operari.

**EGO** his argumentis, vel certe duobus illis primis adducor vt putem, in Christo esse duplicem actum existendi, creatum. s. & increatum: D. tamen Thomas contra sentit. Quæ eius sententia his argumentis confirmatur.

Thom.  
3. p. q. 7.  
art. 3.

**QVOD** caret propria personalitate, caret propria existentia: sed natura humana in Christo caret propria personalitate: caret igitur propria existentia. Minor ex eo constat, quia natura humana præuenta est à diuino supposito, ad illudque assumpta. Porro Maiori propositioni ita fidem facit Thomas. Natura est principium existendi: suppositum vero est immediatum ipsius esse receptiuum. Est enim suppositum id quod existit: quodque per existentiam perficitur, natura vero est id, quo suppositum existit: dicitur autem existere, non quia existentia subsit per informationem, sed quia sit natura suppositi existentis. Ex quo iam efficitur, vt oporteat prius naturam personari & suppositari, quam existentiam donet: quandoquidem omnino necesse sit existentiam recipi in aliquo, hoc ipsum vero est persona siue suppositum. Quocirca

quod

quod præuenitur à constitutione personæ, præueniatur quoque necesse est à productione propriæ existentia: cumque natura humana Christi sit præuenta à constitutione propriæ personæ: sequitur vt sit quoque præuenta à productione propriæ existentia: ac proinde humana Christi natura cum careat propria personalitate, efficitur vt careat propria existentia. Hoc fundamento nititur D. Thomæ aduersaria sententia.

**ALII** in eandem sententiam ita argumentantur. Eadem est existentia naturæ, & suppositi proprii: imo vero tota existentia naturæ est ipsa existentia suppositi: at diuinum suppositum in Christo vere supplet vicem suppositi creati, vt quod terminet dependentiam naturæ creatæ: assumptæ igitur naturæ existentia est alia nulla: quam existentia suppositi increati.

Henr.  
quodl. 3.  
q. 2.

**AD DE**, quia si in Christo esset duplex esse, Christus non esset vnus ens: sed duo entia: nam esse constituit ens.

**ITEM**, fieri non potest vt vnus rei non sit vnum esse, Christus est vna res: & vnum ens: quemadmodum superiore quæstione docuimus: igitur habet vnum esse.

**PRÆTEREA**, quod vnitur alicui non hypostatice, ita quod in illo, & ex illo minime subsistat, distinguitur secundum esse supposito, vt esse album, esse gramicum: at natura humana cõiuncta est Verbo Dei hypostatice, nõ distinguitur igitur ab eo secundum esse.

Thom 3.  
p. q. 17.  
ar. 2.

**ITEM**, quod aduenit alicui de nouo: & vnitur ei hypostatice, non fert secum nouum esse, sed ad esse præexistens adsumitur, vt patet in oculo restituto, vel manu, at natura humana sic accessit Verbo de nouo, vt eidem hypostatice coniungeretur, non attulit igitur secum nouum esse, sed ad esse præexistens assumpta est.

**POSTREMO**, in Christo tot essent existentia, quot naturæ extra causam: accidentia enim existerent propriis existentis, vt quæ sint extra suas causas.

**HÆC** omnia facile diluuntur, neque nos à nostra sententia depellunt. Interim præponimus: existentiam esse modum quendam rei, siue a stualitatẽ quendam, quæ conuenit rei prout est extra causam, & intellectum, vel prout est in effectu. Hinc iam primum conficitur existentiam consequi naturam, non per effluxum à natura: quomodo risibilitas consequitur hominis essentiam: sed per modum terminationis cuiusdam: & concomitantia: terminationis quidem, quia factio rei terminatur ad esse: concomitantia vero, quia continuo ille modus consequitur, & adest res positæ in effectu. Ex quo illud

deinde

deinde colligitur, esse immediatius se habere ad naturam, naturam in quam singularem, & suppositam: quam quoduis aliud naturam consequens. Namque cetera omnia præponunt esse, & esse est actualitas omnis rei. Postremo illud intelligitur, non alia existentia existere proprium suppositum: & naturam, sed vna & eadem: partim quia natura non terminat factionem: nisi prout est in supposito: partim quia suppositum, & natura non distinguuntur perinde atque duæ res: sed vt vna & eadem, aliter tamen & aliter se habens. His ita præpositis, iam singula argumenta explicemus.

PRIMUM igitur illud D. Thomæ argumentum diluitur Maioris propositionis negatione. Quod vero ad probationem illam attinet: nempe naturam id esse solum quo existit quippiam: non autem quod existit: dicimus naturam esse, id etiam quod existit. Namque existentia est actualitas conueniens rei prout est extra causam, & extra intellectum: iam vero natura est extra causam, & extra intellectum cum ponitur in effectu. Verum quia natura non potest esse in effectu, nisi prout est in supposito proprio, vel alieno: proinde existentia non conuenit naturæ, nisi prout est in supposito proprio, vel alieno. Ac si in proprio supposito inest, eadem est existentia naturæ & suppositi: si vero in alieno supposito cernitur, alia est existentia naturæ: & alia suppositi. Nam illud suppositum iam existeret, natura vero recens existit, vt que recens ponatur in effectu.

AD secundum respondetur, ob id eandem esse existentiam naturæ, & proprii suppositi: quoniam suppositum & natura non sunt duæ res: iam autem suppositum diuinum: & natura humana sunt duæ res. Quantumuis ergo diuinum suppositum in Christo suppleat vicem suppositi proprii, non sequitur vt natura humana existat existentia ipsius. Adde, quia diuinum esse nõ astat naturam creatam, alioqui inhæreret vel informaret.

AD tertium, negatur consecutio. Namque hoc inter est inter abstractum & concretum: quoniam abstractum numeratur numerositate formæ: concretum vero, numerositate suppositi: ita scilicet vt dicatur vnum vel multa, secundum vnitatem & multitudinem suppositorum: quantumuis forma inexistens sit vna numero. Quocirca recte sequitur, est vnum album, igitur est vnum suppositum: sunt multa alba: sunt igitur multa supposita, non tamen sequitur vt sint multæ albedines: quandoquidem diuinitus fieri potest, vt vna numero albedo in sit in multis suppositis. Neque etiam si sint multæ albedines: iam sequitur vt sint multa supposita. Namque abstractum non numeratur ex supposito, sed ex forma, vnde neque ipsius vnitas infert vni-

tatem suppositi: neque ipsius multitudo, multitudinem. Quocirca cum esse significetur vt abstractum: ens vero vt concretum: efficitur vt recte sequatur est vnum ens, igitur vnum suppositum: sunt multa entia, igitur multa supposita: & vice versa, non tamen sequitur, est duplex esse, sunt igitur duo entia: quemadmodum non sequitur sunt duæ albedines: sunt igitur duo alba, cum igitur in Christo sit vnicum suppositum, efficitur vt Christus sit vnum ens.

AD quartum, negatur maior. Namque, vt diximus, hæc consecutio infirma est, est vna res, siue vnum ens, igitur ipsius est vnum esse, quemadmodum non sequitur, est vnum album, habet igitur vnicam albedinem. Namq; forma in abstracto non numeratur ex supposito, vnde non sequitur est vnus ens, igitur ipsius est vnum esse: recte tamen inde conficitur, igitur est vnū suppositum: & contra. Cum igitur Christus sit vnum suppositum: sequitur vt sit vnum ens, non tamen illud consequitur, vt habeat vnum esse.

AD quintum. Distinguitur implicita consecutio illa, nempe, igitur quod vnitur alicui hypostatice, ita scilicet vt ex illo & in illo subsistat, nō distinguitur secundum esse ab eo cui vnitur: namque aut illud coniungitur supposito alieno: vel proprio: si proprio, ratam habemus consecutionem propter indistinctionem suppositi à natura: sin vero alieno: non recipimus consecutionem propter diuersitatem suppositi à natura. Sic res habet in natura humana Verbo Dei hypostatice coniuncta.

AD sextum respondetur maiorem esse veram, cum illud se habet per modum partis substantialis constituentis totum, tum enim illud existit existentia totius, nempe quia perficitur forma totius. Iam autem natura humana non aduenit Verbo per modum partis componentis totum: quia non informat, siue actuat à Verbo: sed remanet distincta: ac proinde vel nullū habet esse, vel certe propriū esse.

OBIICI contra potest. Natura humana subsistit subsistentia Verbi: igitur existit existentia Verbi. Consecutio firma est, quoniam eque videtur pugnare, vt subsistentia diuina sit subsistentia naturæ creatæ, atque vt existentia diuina sit actualitas naturæ creatæ. Quare si illud prius das, nō est quod hoc posterius neges. Negamus consecutionem. Nam subsistere solum est suppositi, est enim suppositū substantia completa ab altera independens, siue in altero non inhærens. Cum in Christo solum sit suppositum Verbi, efficitur vt solum habeat Verbi <sup>subsistentiam</sup> substantiam. At existere etiā conuenit naturæ vt diximus: cumq; in Christo duplex natura reperiat, sequitur vt in ipso duplex quoq; reperi-

reperiatur actualis existentia.

AD septimum. Damus accidentia habere etiam proprias existentias. Ceterum quoniam accidentia non terminant factionem, nisi ut sunt in subiecto, hinc fit ut non habeant existentiam nisi ut in subiecto: ac proinde dicantur inexistere potius: quam existere.

## DE VOLVNTATE CHRISTI.

### Quæstio. VII.

*Verum in Christo fuerit repugnantia voluntatum?*

**D**OCVIMVS quæ Christo conuenirent quoad esse, & fieri, reliquum est ut doceamus: quæ eidem conueniunt quoad operari. Quoniam vero omnis externæ operationis, eiusque humanæ, principium est voluntas: principio de Christi voluntate differendum est, illudque expendendum: ane in Domino IESV Christo fuerit voluntatum repugnãtia? Hæc quæstio vnum aliquid præponit, alterum vero exquirit: præponit varias in Christo reperiri voluntates: eidem tanquam homini conuenientes: illud vero exquirat: ane inter se repugnauerint? Nam velle mortem subire, & non velle, aperte inter se repugnãt, quemadmodum velle mortem, & nolle mori, inter se aduersantur: at vtrumq; fuit in Christo, videtur igitur in Christo fuisse pugnantes, & inter se aduersantes voluntates. Ac non voluisse Christum mori, siue noluisse, illa eius ad patrem, adhibita precatio ostendit: qua paratum sibi calicem transferri à se postulauit: iam autem precatio voluntatis est interpres: qua re cum transferri à se calicem postulauit, aperte declarauit, se mortem de precari: id quod est aliud nihil: quam nolle mori. Cum vero adhibita precatio, continuo subiunxit: verum tamen non sicut ego volo, sed sicut tu, ostendit se velle mori, quoniã Deus ita decreuerit. Hoc ipsum igitur iam est à nobis multis subiunctis conclusionibus tractandum.

**P**RIMA conclusio. In Christo fuit duplex voluntas, diuina scilicet & humana. Id vero hac ratione ostenditur. Dei Verbum naturam humanam assumpsit perfectam, nihil igitur eidem defuit eorum, quæ ad perfectionem humanæ naturæ attinerent, at ad perfectionem humanæ naturæ pertinet voluntas: quemadmodum & intellectus: tanquam vis quædam, & facultas ipsius naturalis: relinquatur igitur in Christo humanam fuisse voluntatem. Cumque

diui-



diuinum illud Verbum, assumptione humanæ naturæ, nullius rei, quæ ad diuinitatem attineret, dispendium fecerit: ad diuinam autem naturam attineat, voluntatem habere, sequitur vt in ipso quoque fuerit diuina voluntas.

**HANC** verissimam sententiam sextæ Synodi confirmat auctoritas: quæ de re proposita, admonitu Spiritus sancti ita decreuit atque statuit. Iuxta quod olim prophetae sunt vaticinati, & ipse nos Christus erudiuit: & sanctorum Patrum nobis tradidit symbolum, duas naturales voluntates in eo: & duas naturales operationes prædicamus. Hæc Synodus errorem illorum coarguit, qui vnicam duntaxat voluntatem Christo attribuendam esse existimauerunt: quorum alij humanam illi solum, alij diuinam solum tribuerunt. Ac humanam solum Christo voluntatem attributam ij esse voluerunt: qui Christum Deum esse confirmauerunt, non quidem per hypostaticam duarum naturarum vnionem, sed sola affectus & voluntatis consensione, id quod tradidit Nestorius. Cuius quidem opinionis illud est consequens, vt illius hominis solum voluntas fuerit humana.

**VOLUNTATEM** porro humanam Christo ademerunt Apollinarius, Eutyches, & Macharius Antiochenus Patriarcha, qui & si, quod ad sublationem humanæ voluntatis attinet in Christo, inter se consentiant, non tamen quoad rationem, & causam tollendi. Namque Apollinarius Christo rationalem animam ademit, eiusque loco Verbum substituit: ex quo illud erat consequens, vt in Christo humana voluntas non fuerit, nempe cum voluntas in ea animi parte, quæ rationis est particeps, sit collocata. Eutyches vero ex duabus naturis, diuina scilicet & humana vnã conflauit, ac proinde vnus naturæ compositæ vnã quoque voluntatem posuit.

**MACHARIUS** vero longè diuerso argumento ducebatur. Etenim duas in Christo naturas posuit: easque inter se hypostatice coniunctas, voluntatem tamen vnã ob id in Christo esse censuit: quoniam humana voluntas ad agendum, nunquam sua apte vi & impetu impelleretur, sed à diuinitate solum mota & directa. Quocirca pro hac opinione ita licet argumētari. Voluntas est primū mouēs & imperans cæteris animi facultatibus, at in Christo mouens primum, & imperans, ipsa fuit diuina voluntas: quandoquidem humana omnia in Christo mouerentur, & gererentur consentaneæ diuinæ voluntati, sequitur igitur in Christo solam fuisse diuinam voluntatem. Accedit ad confirmationem: quia instrumentum non inducitur proprio motu ad agendum: sed voluntate mouentis siue vtentis, at humana Christi natura instrumentum erat diuinitatis: humana igitur Christi natura motu propria

priæ voluntatis ad agendum minime inducebatur, sed sola diuina voluntate.

**P R O** explicatione horum argumentorum illud principio notandū: Macharium non tam naturalem ipsam facultatem sustulisse, quam vsum, ac motum ipsius facultatis: Verum quoniam frustra est calceus cuius nullus est vsum, vt author est Aristo. hinc fit, vt frustra quoque ac superuacaneæ Christo fuisset data voluntas: si suo in Christo motu, eoque perpetuo caruisset. Quocirca Macharij, Sergij, & cæterorum, qui in eodem errore fuerunt, flagitiosa sententia à sancta Synodo rectissime est damnata, vt pote ex qua illud erat cōsequens, in Christo humanam voluntatem omnino non fuisse.

**DE I N D E** quod ad explicationem prioris argumenti attinet, data maiore propositione, negatur minor. Ad probationem vero dicimus, ac fate-mur, omnia in Christo fuisse mota & gesta nutu diuinæ voluntatis tanquā primæ regulæ regulantis: quemadmodum res habet in pijs ac sanctis homi-nibus, in quibus, auctore D. Paulo, Deus operatur velle & perficere, velle qui-dem præueniendo & excitando propriæ motum voluntatis, perficere vero cooperādo, & adiuuādo, non tamen hoc impedit, quin in sanctis, & in Chri-sto eadem fiant motu & impulsu voluntatis humanæ tanquam regulatæ & directæ à voluntate diuina. Vnde in psalmis de Christo dictum legimus, vt facerem voluntatem tuam, Deus meus volui.

**P O S T E R I V S** argumentum, quod pro confirmatione allatum est, di-huitur maioris propositionis explicatione. Etenim vt id verum sit in in-strumentis inanimatis, non tamen verum est in instrumento animi par-ticipi, cuiusmodi instrumentum erat humana natura Christi. Etenim principale agens, hoc est, diuinum Verbum mouebat humanam naturam sibi coniunctam per propriam ipsius voluntatem: cuius omnis motus & impulsio regulata erat à diuina voluntate.

**S E C V N D A** conclusio. Humana voluntas in Christo duplex est, natu-ralis vna, rationalis altera. Huic conclusioni ita fidem facimus. Voluntas nō solum est finis, verum etiam eorum quæ ad finem referuntur, diuersa tamen ratione, namque in finem voluntas fertur simpliciter, & absolute, quando-quidem in illum tendit vt in id quod est suapte vi & natura bonum: in ea ve-ro quæ referuntur ad finem, fertur non simpliciter, sed quadam comparatio-ne, nempe quia sint bona per relationem: & ordinem ad alterum, nempe fi-nem. Ac illa quidem voluntas à Damasceno dicitur *ἁπλοῦς*, hoc est, simplex voluntas, à Theologis vero voluntas vt natura appellatur, nempe quia ten-

Damasc.  
li. 2. c. 24.

dat

dat in rem absolute consideratam: hæc vero ab eodem Damasceno *Εὐλαχίου* nominatur, à nostris vero volūtas vt ratio: vt pote quæ sequatur deliberationem rationis: & velit aliquid in ordine ad finem solū. Humana igitur volūtas in Christo duplex est, naturalis vna, rationalis altera. Id vero sic intelligendū puta, vt in Christo fuerit non quidē duplex potentia voluntatis, sed eiusdē potentię & facultatis duplex secundū speciem operatio. Nam talis diuersitas, qualis scilicet ortum habet ex rationibus finis: & eius quod refertur ad finē, diuersam quoq; postulat in proprio appetitu rationem.

**O B I I C I** tamen contra potest. Potentię diuersitatē cōsequūtur ex actionibus: quē admodū actiones ex rebus obiectis, igitur differentes specie actiones volūtatē: diuersam quoq; postulat potentiā volūtatē. Dicimus potētias siue facultates, diuersitatē cōsequi ex actionibus diuersis, cū illę diuersę actiones nō attēdūt ad vnā cōmunem rationē obiecti, ex cuius vnitate vel diuersitate formali potētia vnitate, siue diuersitatē cōsequitur: iam autē vtraq; illa actio volūtatē eandē spectat rationē obiecti, nempe bonū: quod est obiectū volūtatē: ac proinde seruata vnitate obiecti ipsius volūtatē: seruatur quoq; vnitas potentię volūtatē: tametsi diuersificētur actiones propter diuersam rationē tendentię, in bonū videlicet secundū se, & in bonū propter aliud.

**H I N C** iam intelligitur fuisse in Christo vnā humanā volūtatē: quē admodū & vnā humanā naturā: cui tamen humane volūtatē duplex actio attribuitur, vna. s. per modum naturę, altera per modū rationis.

**T E R T I A** conclusio. In Christo fuit appetitus animalis & sensualis: quī idem voluntas dicitur participatione quadam. Prior pars conclusionis ex eo intelligitur, quia in Christo fuit quicquid ad integritatē & perfectionē naturę humane pertinet: iam autē in natura humana includitur natura animalis, cui attribuitur appetitus sensitiuus, siue animalis. Posterior pars ex eo perspicitur: quia ille appetitus sic est à Deo institutus vt rationi obtemperet, ex quo cōsequitur vt participatione rationalis appelletur: igit & volūtas, participatione quadā, dici potest. Consecutio ostenditur: quia voluntas est in ratione: quē admodum igitur à ratione præcipiente, appetitus animalis dicitur rationalis: ita à voluntate imperante dicitur voluntas, siue voluntarius.

**Q V A R T A** conclusio. In Christo non fuit repugnantia voluntatum. Id vero in hunc modum ostenditur. In repugnantia voluntatum illud requiritur, vt oppositio sit in eodem tanquam in subiecto: & circa idem tanquam obiectum: & secundum idem tanquam rationem tendendi: at in Christo nō fuit talis voluntatū oppositio: nō fuit igitur in Christo repugnātia voluntatū.

Maiores propositio constat ex natura & ratione oppositionis, minor vero ostenditur. Nam & si in Christo fuerit oppositio circa idem tanquam obiectum: etenim volebat mori, & nolebat mori, non tamen fuit in eo oppositio secundum idem, quandoquidem non sub eadem ratione volebat mori: & nolebat mori, volebat quidem mori propter liberationem generis humani: nolebat vero, quoniam illud minime esset nature accommodatum: sed aduersum potius atque contrarium. Etenim nature illud est proprium, ea que læsura: ac nocitura videantur auerfari. Neque itidem erat oppositio in eadem voluntate, namque voluntate deliberata, quæ dicitur voluntas ut ratio, mortem sibi propositam amplectebatur: eadem vero, voluntate naturali, repudiabat.

ADDE, quia neque voluntas sensualitatis: neque voluntas ut natura, illi rationi, per quam, vel sub qua illa mors erat volita cum à diuina voluntate Christi, tum ab humana deliberata eiusdem, villo modo aduersabantur, igitur in Christo nullo modo fuit repugnancia voluntatum. Consecutio probatur, quoniam oppositio voluntatum requirit oppositionem in ratione, sub qua quippiam est volitum.

OBIICI contra potest, bonum proprium opponitur bono communi, sed Christus voluntate naturali mortem recusabat, amore impulsus boni proprii, etenim corporis excruciatio, quam erat perpassurus, bono proprii corporis repugnabat: at voluntate deliberata & electiua, amore incitatus communis omnium: ac publici boni, quod erat in salute hominum situm, eandem mortem lubentissime amplectebatur: relinquit fuisse in Christo oppositionem in ea ratione, sub qua vnum & idem obiectum, erat volitum, & nolitum. Ccedimus bonum priuatum opponi bono publico, non tamen iam inde conficitur ut amor priuati boni, repugnet amori publici boni simpliciter, sed solum comparate: id quod tum fit, cum eo hominem impellit amor priuati boni, ut priuatum bonum bono publico anteferat. Tum enim bonum priuatum se se opponit bono communi. Id vero vnico explanemus & patefaciamus exemplo. Tulit rex capitis sententiam in Ioannem latronem propter publicum bonum: Antonius pater amore filij non vult capitale ipsum subire sententiam. Hæ voluntates hætenus sunt diuersæ: & minime aduersantur, nam tamen si in opposita tendant, in mortem scilicet & non mortem: non tamen est oppositio in eadem ratione volendi, ut pote quia diuersa est ratio volendi mortem, & non mortem. Verum si pater amore filij sic vult ipsum non mori, ut se se opponat bono publico & communi, antiquius ducens priuatum bonum, reipublicæ salute & conseruatione, iam illæ voluntates non solum sunt diuersæ, verum etiam repugnantes: & oppositæ, quandoquidem est oppositio in eadem ratione volendi, & nolendi mortem. Etenim ratio

sub

sub qua princeps vult mortē Iōannis, est amor publici boni: quā rationē minime amplectitur Antonius pater amore filij cōpulsus, vult enī filiū nō mori, etiā contra cōmune ac publicū bonū, propter nimiū amorē proprii boni. CVM igitur in Christo neque voluntas sensualitatis, neque voluntas vt natura illi rationi repugnauerint, sub qua mors erat volita: non quidem voluntas sensualitatis: quoniam ad illam rationē sese minime extenderet, non voluntas vt natura: quoniam eadē voluntate etiam volebat hominū liberationem absolute tamen, hoc est, non vt rationem volendi mortem propriam: quandoquidem ad voluntatem naturalem non pertinet velle aliquid per cōparationem ad aliud, sed absolute duntaxat: efficitur in Christo non fuisse repugnāntiam voluntatum.

POSTREMO neque voluntas electiua Christi tam diuina quam humana præpediebatur à voluntate naturali, neque contra, etenim voluntatis diuinæ & humanæ Christi erat, vt caro ageret quæ ipsius erant propria, haberetque naturalis Christi volūtas naturales suas velleitates, respectu. s. vitæ, corporis, honoris: & famæ. Dicimus velleitates: quoniam supposita volūrate Christi, cum diuina, tum humana, motus voluntatis in contraria tendentes: aliud erant nihil, quam velleitates quædam: quæ etiam Arist. auctore. 3. Ethi. earum sunt rerum, quæ factu sunt impossibiles.

HINC iam duo colliguntur: illud est prius: in Christo fuisse diuersitatem voluntatum: non itidem repugnantiam. Etenim Christus aliud voluit, atque Deus: voluit enim non mori: quam tamen mortem Deus voluit vt ipse subiret, fuit igitur in Christo volūtas diuersa à volūrate diuina: nō tamē ibi fuit vlla repugnantia: quoniam illæ voluntates, diuina scilicet, & humana Christi electiua ex vna parte: & naturalis ex altera: non sub eadem ratione in contraria tendebant: sed sub alia & alia, quemadmodū exposuimus. Adde, quia illi rationi, sub qua mors Christi cum à diuina, tum ab humana Christi voluntate erat volita, voluntas vt natura minime repugnabat: quemadmodum docuimus.

HOC loco tamen insurget aduersarius omnino contendens voluntatem naturalem Christi, siue voluntatem sensualitatis, deliberatæ eiusdem & electiue voluntati repugnasse. Namq; carnē aduersus spiritum concupiscere, est carnem spiritui repugnare & aduersari: at in Christo caro aduersus spiritum concupiuit: etenim spiritus quidem ad subeundā imminentem mortem prōptissimus, ac paratissimus erat, at caro imbecilla & infirma mortem oppetere vehementer recusabat, ex qua imbecillis & infirmæ carnis recusatione

illa eius precatio profluxit, pater si vis, transfer calicem hunc à me, hinc lacrymæ, hinc sudor sanguineus, hinc agonia, hoc est, vehemens illa carnis cum spiritu colluctatio extitit.

**DICIMVS** carnem Christi aduersus spiritum minime concupiuisse. Nam caro aduersus spiritum tum dicitur concupiscere: cum spiritui aduersatur, tum autem spiritui aduersatur: cum bono rationis se se opponit: ipsum vel penitus tollendo: vel præpediendo: ac retardando. Id quod in Christo minime contigit: permissum est tamen carni agere quæ ipsius erant propria, nihil tamen inde in spiritum Christi alacrem illum quidem, exultantem: sed ad percurrendam viam paratissimum redundauit. Vnde cum Christus Patrem orauit: patrociniū suscepit sensualitatis, quæ propositæ mortis terrore perterrita, mortem deprecabatur. Illa vero Christi Domini agonia, duarum voluntatum Christi in contraria tendentiū motum declarauit: in quo tamen, nulla fuit, quemadmodū docuimus, repugnantia atq; contrarietas.

**POSTERIVS** vero illud, ex iis quæ docuimus, intelligitur, hoc est, non fuisse omnem Christi voluntatem cum diuina voluntate congruentem: ac consentientem in volito. Etenim voluntatis Dei erat vt Christus, dolores, incōmoda ac demum mortem perferret, quæ omnia fuerunt à Deo volita, non simpliciter & absolute, sed per relationem ad finem. scilicet hominū liberationem & conseruationem: quæ eadem Christus voluntate rationali electiua est amplexatus, non quidem simpliciter & absolute, sed per relationem ad eundem finem. Porro eadem omnia Christus voluntate sensualitatis, & voluntate rationali naturali repudiauit: idque absolute & simpliciter, quoniā harū voluntatum motus abstrahunt ab ordine, cum ad diuinā voluntatem, tum ad finem. Vnde Christus voluntate sensualitatis corporis excruciationem absolute noluit, quemadmodum etiam voluntate naturali absolute mortem repudiauit: quæ eadem tamen voluntate rationali delegit in ordine ad finem humanæ salutis. Ita fit vt non omnis Christi voluntas fuerit cōformis diuinæ voluntati in volito. Namque voluntas ipsius omnis deliberata electiua fuit cum diuina voluntate in re volita cōsentiens: non tamen voluntas sensualitatis, & voluntas naturæ, quæ nihil aliud fuit, quàm velle ita quedam non patiēdi, quæ tamen stare potest cum conformitate & cōsensione cum diuina voluntate. Id quod in nobis licet intueri: nam cum incōmodis afficimur, velle mus illa quidem non esse, verū tamē si sapimus, & diuinitus esse immissa intelligimus, continuo adiicimus, fiat voluntas Dei. Hoc ipsum Dominus IESVS Christus illa oratione apertissime declarauit, veruntamen non sicut ego volo: sed sicut tu, cum dixit sicut tu duas nobis voluntates expressit, diuinam

diuinam .s. quæ ipsum morti pro salute hominum destinauerat, & humanam suam eidem obtemperantem: & cum eadem in voluto consentientem. Cum autem ait: non sicut ego volo, voluntatem significauit naturalem: quæ aliud volebat: quam diuina: non tamen diuinæ erat contraria, vt iam satis exposuimus. Ac de voluntate Christi hætenus, reliquum est vt de ipsius operatione differamus.

### Quæstio. VIII.

*Vtrum Christus actionem meritoriam obire potuerit?*

**H**ÆC vniuersa de Christi operatione quæstio, his assertionibus explicat. Sice.  
**P**RIMA assertio. In Christo duplex operatio cernitur, diuina vna, humana altera. Etenim operatio est suppositi, interuentu naturæ, quæ est supposito ratio agendi: at in Christo fuit vnicum suppositum duas, easque inter se distinctas habens naturas: igitur in Christo fuit duplex operatio, humana .s. consentanea naturæ humanæ: & diuina accomodata naturæ diuinæ.

**P**RÆTEREA si in Christo vnica dicitur esset operatio: eaque aut diuina, aut humana: ob id esset profecto, quia aut ex duabus naturis vna coaluerit: ita in Christo esset vna, illius naturæ consequens operatio, aut humana natura in Christo expers esset propriæ formæ, & virtutis: at illud dici non potest, quemadmodum secundo enarrationum libro ostendimus, neque hoc etiam posterius, ita enim eueniret vt humana Christi natura esset imperfecta: est igitur omnino fatendum, duplicem in Christo operationem duplici naturæ consentaneam: & accomodatam reperiri.

**H**ÆC est sententia catholicæ fidei, quam sacrosanctæ Synodi auctoritas expressit: & sanctorum patrum testimonia confirmant. Etenim in sexta Synodo sic est definitum. Duas naturales operationes indiuisè, intransmutabiliter, inconfuse, & inseparabiliter in eodem Domino IESV Christo, vero Deo nostro glorificamus.

**H**ÆC fuit sanctorum patrum sententia. Etenim magnus Dionysius epistola ad Caium scripta, de Christi operatione differens sic ait: Supra hominè operabatur quæ sunt hominis, id quod demonstrat virgo supernaturaliter concipiens, & aqua instabilis, terrenorum pedum sustinens gravitatem. Et similiter diuina operabatur humanitus, cum .s. actu sanctissimæ manus hominè lepra liberauit. Ita D. Dionysius duplicem Christo attribuit actionem humanam .s. veluti ambulationem: & diuinam: ceu morborum curationem & depulsionem.

D. etiam Ambrosius idem testatur ad Gratianum scribens in hunc modum: quemadmodum eadem operatio diuersæ est potestatis: nunquid sic potest minor: quemadmodum maior operari, aut vna operatio potest esse vbi diuersa substantia est? Hoc tamen loco Ambrosius Arrij errorem coarguit: ex eo vel maxime quia Christus testatur idem se operari quod pater: iam si Christus minor esset patre: & diuersæ esset essentiæ: non idem operaretur quod pater. Namque non potest minor: quemadmodum maior operari: neque vna eademque operatio esse potest vbi diuersa est substantia. Ex hoc tamen loco argumentum sumitur ad rem qua de agimus ostendendam accomodatam. Nam si diuersæ naturæ diuersam quoque postulant actionem: in Christo autem diuersæ naturæ reperiuntur, sequitur consentaneæ sententiæ D. Ambrosij in Christo duplicem quoque actionem spectari duplici naturæ accomodatam.

**LEO** doctissimus: & Pontifex summus epistola ad Flavianum scripta sic ait: agit vtraque forma in Christo cum alterius communionem: quod proprium est, Verbo scilicet operante quod Verbi est, & carne exequente quod carnis est. **HÆC** tamen verissima sententia his argumentis refellitur. Instrumenti & principalis agentis est vnica operatio: at humana Christi natura instrumentum erat Verbi: eiusdem Verbi vim, & actiones exequens: relinquitur igitur naturæ assumptæ, & Verbi per naturam operantis vnica esse operationem.

**HÆRETICI** hoc argumento effectum esse voluerunt vnica esse in Christo operationem: quemadmodum & vnica voluntatem. Hoc tamen argumentum facile diluitur. Etenim instrumentum bifariam spectari potest, vno modo vt instrumentum: altero modo quatenus est quædam res propriam habens formam, ac priore quidem modo operatio instrumenti non secernitur ab actione principalis agentis, sed eadem est omnino. At posteriore modo peculiarem habet actionem consequentem propriam formam. Ita non est alia operatio humanæ naturæ, & alia Verbi, quatenus humana natura est instrumentum Verbi, vt interim sit alia quatenus natura humana est res quædam habens propriam formam.

**HÆRETICI** tamen naturam Christi humanam spectantes solum quatenus erat Verbi instrumentum: vnica esse tradiderunt humanæ naturæ, & Verbi operationem, ita quod indistinctio operationum: & communitio agentium errandi illis occasionem præbuerit, etenim & principale agens vtitur actione instrumenti, & instrumentum participat actionem principalis agentis



agentis. Cum igitur naturam humanam solum posuerint vt Verbi instrumentum, exequens duntaxat vim omnem & virtutem Verbi, omnem illi vim propriam ademerunt, & vnam vtriusque propter vnitatem principij actiui actionem esse voluerunt. Nos vero quia humanam naturam dicimus agere vi propriae formae quantumuis diuinitati cooperetur, propriam eidem tribuimus actionem: propriam formam consequentē. Est tamen vnica operatio principalis à diuinitatis virtute profecta: & ab humana Christi natura participata. Hinc iam intelligitur diuinitatis, & humanitatis in Christo esse vnicum effectum: siue operatum principale: non tamen vnum & idem proprium. Nam proprium diuinitatis operatum est curatio siue depulsio leprae: operatum vero humanae naturae proprium, est manus attactio. Quoniam vero vna natura agit cōmunionē alterius, hinc fit vt ambae operationes cōueniant ad vnum operatum: & vna sit vtriusque & indistincta principalis operatio, Verbi quidem vt propria: humanae vero naturae vt participata. Hoc non viderunt haeretici, ac proinde turpissime lapsi sunt.

**SECUNDO** italicet argumentari. Christi operatio à Graecis dicitur *θεοειρημν*, nomine composito: quasi Deuira: quae Verbi compositio declarat vnam esse in Christo diuinā: & humanae naturae operationem. Dicimus actionem Christi dici *θεοειρημν*, hoc est, Deuiram: tum quod diuinum suppositum humanas actiones obibat, veluti ambulationem, manducationem, & locutionem: quae tamen operationes erant suppositi vt agentis, humanae vero naturae vt rationis agendi, tum quia humana natura erat instrumentum Verbi, quo fiebat vt Verbi actio propria, esset ipsius vt participata, ceu illuminatio caeci, excitatio mortui, & depulsio leprae. Quocirca diuinitus est à D. Dionysio dictum, Christum humana operari diuinitus: quando quidem diuinum ea suppositum exequebatur, & diuina humanitas: siquidem diuinum suppositum utebatur operatione humana ad diuinas actiones explendas.

**TERTIUM** argumentum. Quae pertinent ad naturam in Christo multiplicatur: quae vero ad suppositum: non itē: at operari est suppositi: & in Christo est vnicum suppositum: igitur in Christo vnica est duntaxat operatio. Dicimus actionem esse cum naturae tum suppositi: naturae quidem vt principij formalis, cuius interuentu suppositum operatur: suppositi vero, vt eius quod agit. Quoniam igitur supposito conuenit operatio interuentu naturae: sequitur vt cum in Christo duplex cernatur natura, duplex quoque actio reperitur duplici naturae consentanea.

NOTANDVM est hoc loco multas fuisse in Christo operationes naturæ humanæ accomodatas ex diuersis facultatibus profectas: veluti nutritionem, auctiōem, de loco ad locum mutationem, visionem, auditionem, intellectionem, &c. Fuit tamen in Christo vnica operatio humana: quæ dicitur hominis, quatenus homo est operatio, est autem ea, actio voluntate suscepta rationis iudicium sequens. Cæterum quoniam omnes Christi actiones: siue naturales, siue animales: siue rationales ipsius voluntate suscipiebantur (voluntarie siquidē esuriuit, voluntarie sitiuit, voluntarie comedit, cetera exequebatur omnia) idcirco in Christo vnica dūtaxat fuit humana operatio: vnitatem principij actiui: cui cæterarū omnium facultatū actiones erāt subordinatæ.

SECVNDA conclusio. Christus exequi potuit actionem meritoriam. Id vero in hunc modum ostenditur. Habere aliquod bonū per seipsum multo est excellentius: quam habere illud idem per alium: at habere siue consequi quicquam per meritū: est habere illud ipsum per se, igitur habere aliquid per meritum est multo excellentius: quam habere illud sine merito. At Christo Domino omnis est perfectio: & excellentia tribuenda: est igitur hoc illi etiam tribuendum: vt actionem meritoriam exequi potuerit. Totius huius decursus maior propositio hinc intelligitur: quoniam causa per se est præstantior ea: quæ per aliud operatur. Minor vero ostenditur. Nam & si princeps omnium bonorum causa sit Deus, iuxta illam Apostoli sententiam: quid habes quod non accepisti? secundario tñ potest quisq; sibi esse causa alicuius boni habendi, quatenus hoc ipso Deo cooperatur.

1. Chor. 5

TER TIA conclusio. Christus ea est meritis propriis consecutus: quæ cæteri homines bene de Deo meriti consequuntur, dum modo ea non sint eiusmodi, quæ Christi excellentiæ & dignitati detrahant. Prior huiusce conclusionis pars ex superiore conclusione iam intelligitur: posterior ex bonorum enumeratione, quæ alioqui sub hominis meritum cadunt, patere quam facillime potest. Etenim bonorum duo sunt genera: quædam sunt interna, quibus animus ex cultus Dei in se effigiem representat: quædam alia sunt externa, quæ vel corpus perficiunt, vel ab hominibus homini deferuntur: veluti veneratio & honor, dignitas & amplitudo. Christus igitur illa priora bona nō meruit. Id quod ostenditur hoc pacto. Omnis perfectio & excellentia est domino IESV Christo attribuenda: at bonis illis aliquando caruisse, plus detrahit dignitati & excellentiæ Christi quam ex merito ipsorum eidem dignitatis & amplitudinis accedat: sequitur igitur Christum illa minime meruisse: ac proinde neque gratiam, neque scientiam, neque animi beatitudinem: neque demū

demum vnionem personalem, Christus est meritis vllis cōsecutus: aliquando enim illis bonis caruisset: id quod non cōgruit cum Christi amplitudine. **POSTERIORIS** tamen generis bona Christus sibi promeruit. Népe cum dignitas merendi: quæ ad charitatem pertinet, sit maius aliquid, quàm illorum cōeua præsentia sine merito. Quocirca Christus corporis sui gloriã: eaque omnia quæ ad externum cultum pertinent: meritis est propriis consecutus.

**OBIICI** contra potest. Nemo meretur id quod est ipsi debitũ: at Christo, quæ erat Dei filius, debita erat omnis gloria, pietas & obseruantia, tanquã supremo rerum omnium domino: non potuit igitur hanc hominũ in se pietatem: & obseruantiam mereri. Adde, quia patefactio excellentiæ Christi, nõ tam erat bonum Christi, quam bonum nostrum: qui eramus illi fide & charitate adhæsuris.

**PRÆTEREA** qui habet illud quod principale est: non meretur illud quod ex illo iam adeptus & possessus necessario consequitur: at Christus à primo ortu habuit gloriam animi, ad quam, quadam necessitate naturali, consequitur gloria corporis: igitur non meruit gloriam corporis.

**PRIMUM** argumentum diluitur explicatione minoris propositionis. Etenim Christus & erat Dei filius naturalis: & homo. Christo Deo: & Dei filio debita erat per naturam omnis pietas: obseruantia & veneratio, tanquã supremo omnium rerum domino: & vniuersitatis procreatori: at eidem eui homini beato debita etiam erat gloria: quam ex parte obtinere debuit cum merito, ex parte vero sine merito: vti exposuimus.

**AD** secundum respondetur. Patefactionem excellentiæ Christi: partim esse bonum Christi, partim bonum nostrum: est quidem bonum Christi secundum illud esse quod habet in nobis: tam in intellectu, quam in affectu, etenim Deus est in nobis, non quidem subiectiue, sed obiectiue, hoc est, tanquã obiectum animæ nostræ: cui fide & amore inhærescimus. At illud idem est bonum nostrum: secundum esse quod habemus in nobis metipsis: quo bono nullum in vita maius, nullumque optabilius.

**TERTIUM** argumentum iam alibi diluimus: scilicet libro quarto, questione vltima.

**TERCIA** conclusio. Christus Dominus membris suis gratiam: & gloriam promeruit. Etenim in Christo fuit gratia, non solum sicut in homine singulari, verum etiam sicut in capite totius ecclesiæ, at capiti membra sic cohærent: vt ex ipsis & capite vnum corpus conficiatur, igitur ex Christo

capite & mēbris eidē coherentibus vna efficitur mystica persona: ac proinde meritū Christi non solum est meritum ipsius, sed ad membra etiam pertinet: quemadmodum etiam caput humani corporis: non solum sibi sentit, verum etiam & in membris sibi coherentibus.

**HANC** conclusionem confirmat sacrae scripturae autoritas. Dicitur enim ad Ephe. 1. Gratificauit nos in dilecto filio suo: per quem habemus redemptionem in sanguine ipsius: remissionem peccatorum: secundum diuitias gratiae eius. Hæc porro redemptio per sanguinem Christi in eo posita vniuersa fuit: vt per soluto pretio sanguinis, ex seruitute dæmonis liberaremur: & ad vitam sempiternam ordinaremur. Alibi D. Apostolus huic catholicae assertioni his verbis suffragatur: Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per vnius iustitiam in omnes homines iniustificationem vitæ: at de meritum Adæ in omnes est homines deriuatū: tanquam de meritum capitis & satoris totius humani generis, igitur multo magis meritum Christi in alios deriuatur, tanquam meritum capitis, & parentis omnium electorum.

**QVARTA** conclusio. Christus tum sibi, tum nobis meruit à primo ortu & conceptu. Etenim actio meritoria est operatio voluntate suscepta, & ex charitate numinis profecta: at hanc actionem Christus habuit à primo ortu & conceptu: Christus igitur cum sibi tum nobis meruit à primo ortu & conceptu. Propositio maior aperta est omnibus Theologis: minor ostenditur. Christus à primo sui ortu & conceptu: perfectam habuit cum scientiâ: tum gratiam, & charitatem, iuxta illam Hieremię sententiam: nouum faciet Dominus super terram femina circumdabit virum: virum inquam nõ ætate, non corporis magnitudine, sed scientiæ & virtutum omnium perfectione, igitur Christus à primo sui ortu & conceptu actionem habuit meritoriam. Consecutio probatur: quoniam in ipso nihil desiderabatur ad meritum, sed suppetebant omnia. Erat potentia perfecta cognitione, erat voluntas exulta gratia & charitate, erat obiectum sibi præsens, & nihil ex parte aliqua erat quod præpediret, igitur meritoriam habuit operationem.

**PRÆTEREA** acceptatio, & amplexatio voluntaria mortis & passionis: qua Christus oblatam sibi diuinitus ac præparatam mortem est amplexatus: fuit summe ac maxime omnium meritoria, vt quæ ex summa & præstantissima charitate esset profecta: etenim de eiusdem Domini sententia, maiorem charitatem nemo habet vt animam suam ponat quis pro amicis suis: at hanc passionem Christus simul ac conceptus est acceptauit,

iuxta

iuxta illud quod est in psalmis prædictum, in capite libri scriptum est de me, Psal. 39.  
 vt facerem voluntatem tuam Deus meus volui: & legem tuam in medio  
 cordis mei. Igitur statim ac Christus conceptus est meruit sibi & nobis il-  
 lud omne quod postea in vita per functione munerum sibi à patre demanda-  
 torum: atque adeo laborum omnium & mortis perpessione meruit.

**H O C** tamen loco existunt quæstiones difficilime: & explicatu dignissime.  
 Nam illud primum vocari potest in quæstionem, qui fieri potuit vt Christus  
 sibi: aut nobis mereretur: cum esset comprehensor: iam autem charitas cõ-  
 prehensoris omni est merendi vi destituta. Etenim viator à comprehensore  
 hoc fecernitur: quia ille potest mereri, vt pote qui non dũ ad extremum per-  
 uenit: & cuius charitas & dilectio sit libera & voluntaria, hic vero non po-  
 test: quoniam ad extremum iam peruenit: & ipsius dilectio naturalis sit: &  
 necessaria.

**S E C V N D O** illud quæstionem affert: quod tertia conclusione tradidi-  
 mus. Nam si Christus membris suis meruit gratiam, & gloriam: certe vtrũ-  
 que meruit de condigno, propter excellentiam meritorũ Christi, sunt enim  
 merita capitis: at meritum de condigno respicit debitum de condigno: igitur  
 Christus merito suo efficit gratiam & gloriam debitam dari de cõdig-  
 no, non sibi, nobis igitur: quare nullus iam videtur meritis nostris relictus  
 locus: siquidem nemo mereatur id quod iam sibi est debitum dari de rigore  
 iustitiæ.

**D E** quarta etiam conclusione dubitatur. Nam si Christus à primo ortu  
 & conceptu omnia meruit, nihil igitur in vita meruit: consecutio probatur.  
 Quia nullus hominum illud mereri dicitur: quod est iam sibi debitum: iam  
 autem omnia quæ Christo erant aliquando, & membris tribuenda: efficit  
 idem simul ac conceptus est sibi debita.

**H Æ C** diluuntur. Ad primum respondet D. Thomas Christum Dominũ Thom. 3.  
p. q. 19.  
ar. 3. ad. 1.  
 non solum fuisse comprehensorem verum etiam ex parte viatorem, vt iam  
 alibi docuimus, Christus igitur meruit charitate: qua erat charitas viatoris,  
 non tamen qua erat charitas comprehensoris.

**O B I I C I** contra potest: charitas Christi erat habitus inhærens in parte su-  
 periore animi, scilicet in voluntate: sed hac parte Christus erat in termino: igitur  
 charitas ipsius nullo modo fuit charitas viatoris: sed comprehensoris: ac  
 proinde nullo modo potuit esse principium merendi. Alioqui idem esset me-  
 ritum & præmium.

**Q V O** circa illud argumentum alij sic putant diluendum vt dicant duplicẽ Gab. 3. d.  
18. q. 1. ar.  
3.  
 esse

esse actum fruitionis beatificum, vnum qui immediate est à solo Deo: alterum vero, qui est à voluntate creata elicitus, respectu eiusdem obiecti beatifici clare visi. Ac priorem quidem fruitionis actum beatificum perfectum esse aiunt, & nullo modo meritorium: posteriorem vero minus perfectum, & meritorium. Hæc porro duæ actiones in eodem subiecto, voluntate scilicet hominis beati, simul possunt conuenire respectu eiusdem obiecti, quoniam nihil inter se repugnant, imo verò ad perfectionem pertinet voluntatis hominis beati, vt habeat quoque operationem à se licitam & perfectam respectu obiecti beatifici. Christus igitur meruit posteriore hac actione à voluntate elicitam, non priore, in sola voluntate recepta.

HÆC mihi opinio nullo modo probatur. Nam multa adhibere, cum vnū sufficit, omnino est superuacaneum, at ad beandū hominē sufficit, satisq; est & superest vnicus actus fruitionis, siue à voluntate elicitus, siue à Deo immediate creatus: frustra igitur adhibentur duo. Neque est quod dicatur adhiberi alterum ad merendum: quando quidem beati ad extremū iā peruenerint: ac proinde sint omni merendi statu exclusi.

QVOCIRCA priorem D. Thomæ explicationem recipiendā esse existimamus. Porro id quod contra obieciimus, ita diluimus, vt dicamus partem superiorem ad extremum peruenisse, duobus modis posse intelligi, vno modo quoad perfectam coniunctionem animi cum Deo, quæ in cognitione & fruitione beatifica posita est: altero modo quoad consecutionem omnis desiderij. Ac priore quidem modo non modo pars Christi superior, sed tota anima Christi erat in extremo: posteriore verò modo, non item, imo verò neq; beati, ante generalem omnium vita defunctorum excitationem, sunt in termino. Multa enim restant in ipsis complenda. Quia igitur Christus nondū omnia fuerat cōsecutus, tam quæ ad se, quam quæ ad mēbra pertinerent: ad ea vero assequenda laborum, & perpeſionū corporis interuentu tendebat, hastenus viator erat: & charitas ipsius, tametsi propositum haberet obiectum beatificum, charitas erat viatoris: ac proinde meritoria. Hæc porro charitas tametsi libera non esset libertate contradictionis, erat tamen libera libertate complacentiæ: id quod sufficit ad meritum, &c.

AD secundum concedimus, Christum meritis suis effecisse debitam de condigno, cum gratiam, tum beatitudinem sempiternam, debitam in quam dari non sibi, sed nobis. Verum enim vero quemadmodum Adami peccatum in posteros deriuatur carnali satū & propagatione, ita merita Christi in homines deriuantur spiritali quadam generatione: quæ sancta ablutione  
perfi-

perficitur, per quam homines regenerantur, & Domino IESV Christo, ceu membra capiti, coniunguntur, iuxta illam Pauli sententiã. Omnes quot-  
 quot in Christo baptizati estis: Christũ induistis. Iam vero hoc modo Chri-  
 sti merito applicato, patet homini continuo aditus ad vitam, ita. s. vt si statim  
 vita excederet: solo Christi merito sempiternam beatitudinem consequere-  
 tur. Id quod in paruulis vita decedentibus contingit: quorum alioqui nulla  
 merita extiterunt. Non tamen hinc consequitur, salutem hominis non esse  
 ex gratia, siquidem hoc ipsum, quod est regenerari in Christo interuentu  
 ablutionis sacræ, diuina est homini gratia, & beneficentia tributum. Neque  
 illud etiam consequitur, omnem esse meritis nostris interclusum locum: par-  
 tim quia homo in vita manens meretur gratiæ, & gloriæ accessionem: par-  
 tim quia illud idem iam debitum, facit sibi altero modo debitum vt iam iã  
 exponemus.

Gal. 3.

2. cor. 12.  
 2. p. 9  
 2. cor. 12.

Thom. 3.  
 d. 18. q. 1.

AD tertium respondetur. Tribus modis contingere, vt pro meritis alicuius  
 aliquid efficiatur sibi debitum. Primo modo vt cum prius non fuerit debitũ,  
 efficiatur de nouo debitum. Secundo modo vt cum sit iam debitum, efficiatur  
 magis debitum. Tertio modo vt reddatur sub alia ratione debitum. Pri-  
 mo modo homo post iustificationem actu charitatis tendens in Deum, effi-  
 cit sibi gloriam debitam, quæ prius non erat debita. Secundo modo, homo  
 iam gratiæ particeps: & consentaneæ gratiæ & charitati operans, efficit si-  
 bi beatitudinem magis debitam: quatenus interuentu illarum actionũ con-  
 sequitur vt ad charitatis: & gloriæ perfectionem fiat accessio. Tertio modo is,  
 cui debetur vita æterna propter habitum gratiæ infusum in baptismo, actu  
 charitatis tendens in Deum: efficit sibi eandem debitam propter operatio-  
 nem iam ex charitate profectam. Id quod in paruulis cernitur, iam adultis,  
 & ad eam etatem perductis, qua possunt operationem charitati consentaneã  
 exequi, atque suscipere.

PRIMO igitur modo, Christus à primo ortu & conceptu meruit, sibi  
 quidem corporis gloriam, animi impatibilitatem: eaque omnia quæ ad sue  
 celsitudinis venerationem cultumque pertinebãt, nobis vero vitam æter-  
 nam. Etenim hæc omnia cum sibi prius non essent debita, neque ob naturæ  
 assumptæ conditionem: neque vi vnionis, effecit pro meritis suis debita. Se-  
 cundo modo, Christus nullo modo potuit mereri, nempe cuius gratia & glo-  
 ria ad eam statim magnitudinem, & perfectionem peruenit, quãtam per-  
 cipere potuit creatura Deo coniunctissima: vt iam alibi docuimus. Porro ter-  
 tio modo Christus actionibus iis, quas toto vitæ spacio suscepit, meruit: eteni

omnes

Thom. 3.  
p. q. 34.  
art. 3.

omnes illæ actiones ex gratia & charitate profectæ sunt, ac proinde eisdem efficit sibi debitum: quod alias sibi iam erat debitum: vsque adeo vt si prius non fuisset debitum, illis actionibus effectum fuisset debitum. Ita quauis actione puri viatoris meritorie operantis, fit ei debita vita æterna, nam & si prius nõ fuisset debita, quauis tamé actione fieret debita: vt pote quia quæuis actio meritoria acceptetur ad vitam æternam. Ac proinde homo in vita manens efficit meritorie operando, vt sibi vita æterna multis ex causis debeatur. Christus igitur dominus, hoc est posterioribus actionibus, & per passionibus consecutus, vt quod primo iam ortu & conceptu promeruerat, efficeretur sibi pluribus ex causis debitum. Ita iam patet tertij argumenti, quo quarta conclusio refutabatur, explicatio.

### Quæstio. IX.

*Vtrum Christus fuerit seruus Dei?*

**Q**VONIAM quæ hanc sacratissimam vnionem sunt consecuta, partim Christo conueniunt secundum se, vt esse, fieri & operari: partim per relationem ad Patrem, partim per relationem ad homines: primi autem generis consequentia, exposuimus: superest vt ad secundum genus explicandum aggrediamur. Per relationem igitur ad Patrem Christo conuenit subiici, & orare, & in sacerdotio eidem ministrare, quæ admodum per relationem patris ad ipsum, eidem conuenit prædestinari. Ac quod ad subiectionem attinet, illud exquirendum putamus, vere ne dici possit Christum esse seruum Dei? Nã si illa locutio est simpliciter falsa, Christus incepit esse, vel Christus est creatura: certe hæc etiã falsa est simpliciter, Christus est seruus Dei: at illæ duæ superiores sunt simpliciter falsæ, quæ admodum supra docuimus: hæc etiam de qua quæritur est falsa, Christus est seruus Dei. Cõsecutio probatur. Etenim illa propositio est simpliciter falsa, cuius prædicatum repugnat subiecto, at hæc est huiusmodi, nãque in hac propositione subiectum accipitur pro supposito subsistente in humana natura, cui repugnat esse seruus: est igitur illa propositio falsa, Christus est seruus Dei.

AD DE, quia quæ conueniunt supposito & naturæ, cum alicui conueniunt



ueniunt solum interuentu naturæ, sunt attribuenda cum expressione naturæ, at seruitus conuenit supposito & naturæ, æque enim dicitur natura seruiens, siue serua, atque suppositum: relinquatur igitur nullo modo esse simpliciter enuntiandum, Christum esse seruum Dei, sed ex adiunctione, vt scilicet dicamus, Christus quatenus homo est seruus Dei.

**AFFIRMATIONI** tamé suffragatur auctoritas scripturæ, quæ Christo simpliciter subiectionem attribuit, dicitur enim Lucæ secundo capite, & erat subditus illis. Mariæ scilicet & Iosepho: at non minus repugnat personæ diuinæ in humana natura subsistēti subiici, quam seruire. Simpliciter etiam ad Philip. 2. de Christo dicitur, quod factus fuerit obediens Patri vsque ad mortem: id quod subiectionem declarat seruitutis & obsequij. Vnde de se ipso Christus apud Ioannem loquens ita ait, quæ sunt placita ei facio semper. Luc. 2.  
Ioan. 8.

**QVO** circa de repropofita ita statuimus vt dicamus, simpliciter posse enunciari Christum esse seruum Dei, vel Christum subiectum esse patri, aptius tamen id dici ex adiunctione. Prior assertionis nostræ pars hinc intelligitur: quoniam seruitutis nomen non attribuitur naturæ, sed supposito: quemadmodum etiam paternitatis & filiationis nomen: vt auctor est Damascenus. 3. de fide orthodoxa libro: igitur cum id nominis supposito increato natura Domino attribuitur, continuo intelligitur ei attribui interuentu assumptæ naturæ: quemadmodum cum homo dicitur crispus, statim intelligitur crispum illum dici interuentu capillorum, nempe quia illud accidens solis capillis conueniat. Ita citra incōmodum dici potest simpliciter Christum esse seruum Dei, quemadmodum dicimus simpliciter illum esse crucifixum: & mortuum.

**POSTERIOR** vero assertionis nostræ particula ex eo perspicitur, quia cum hæreticis, non sensu modo & sententia, sed neque verbis quidem debemus conuenire, iam vero Arriani filium Dei esse dixerunt | patre naturam inferiorem: ad suspicionem igitur erroris declinandam, aptius dicitur, Christum esse seruum Dei cum expressione naturæ assumptæ, quam citra expressionem. Tho. 3. p.  
q. 20. ar.  
1. ad. 1.

**EX** his quæ docuimus iam constat argumentorum solutio. Ceterum illud omnino cum de Christo loquimur, obseruandum est, vt ea quæ excellentiā declarant (quæ vel maxime eadem interuentu suppositi conueniunt) de eodē simpliciter & absolute enuncientur, veluti esse præpotentem, omnium effectorem, omniscium, cunctis rebus prouidentem: ac dominantem: ea tamé quæ inferioritatem, minorationem, & subiectionem quandam significant, Thom. 3.  
P. q. 20.  
ar. 2.

adiun-

adiunctione assumptæ naturæ attribuuntur: quando quidem Christus est nomen personæ, quæ in Christo diuina est, æterna, & præpotens, cunctis dominans & imperans, nulli seruiens.

## Quæstio. X.

*Vtrum Christi precatio semper fuerit exaudita?*

**Q**UÆSTIO subiunctis assertionibus explicatur.

**PRIMA** conclusio. Christo Domino qua homo est competit precari. Id vero ostenditur hoc pacto. Precatio quædam est votorum apud Deum expositio, vt ope & beneficio diuino homo votorum suorum compos efficiatur, igitur si Christus solum esset Deus nullo modo precatio ei potuit conuenire, nempe cum diuina voluntas sit præpotens & per se ipsam efficax, cum autem in Christo sit humana etiam natura, humana autem voluntas per se ipsam non sit efficax, sed opem, vimque diuinam desideret, relinquitur vt Christo quatenus homo est competat precari.

**SECUNDA** conclusio. Decentissimum fuit vt Christus precationem ad patrem adhiberet. Primum quidem vt ostenderet à patre se esse in mundum missum. Quocirca Ioannis. i. ita dictum à Christo legimus. Propter populum qui circumstat dixi, vt credat quia tu me misisti. Deinde vt vere se esse hominem declararet, qui Deo acceptum referret, quicquid in eo boni extaret, & emereret. Postremo vt nos ad precandum suo inuitaret, & erudiret exemplo: Id quod Ambrosius & Augustinus in hunc modum tradiderunt. Ac Ambrosius quidem ita ait, noli insidiatrices aperire aures vt putes filium Dei quasi infirmum orare vt impetret, quod implere non possit, potestatis enim author, obedientiæ magister ad præcepta virtutum suo nos informat exemplo. Augustini vero eadem de re hæc est sententia. Poterat Dominus informa serui si hoc opus esset orare silentio, sed ita se patri exhibere voluit precatorem, vt meminisset nostrum se esse doctorem.

**TER TIA** conclusio. Christus pro se preces adhibuit, non solum affectum sensualitatis, siue naturalis voluntatis, verum etiam rationalis & electiue voluntatis, explicando. Huiusce conclusionis cum priori, tum posteriori particule fidem facit auctoritas scripturæ. Etenim illa Christi Domini nostri in horto precatio, quid aliud fuit quam animalis affectus: & naturalis voluntatis explicatio? Nonne tum ratio paratum calicem transferri & amoueri postulans

Super.  
Luc.

Super.  
Ioan.

stulās, patrociniū suscepit sensualitatis: nōne naturalem ipsius affectum in Numinis diuini conspectu exposuit, à quo posset tot ac tantis malis eripi, & ab impendēte procella liberari? Id quod est summa cū pietate à Paulo dictū in hunc modū. Qui in diebus carnis suæ preces, supplicationesq; ad eum, qui posset illū saluū facere à morte, cū clamore valido & lacrymis obtulit. Id vero à Christo Domino tribus de causis factū esse sancti homines prodiderūt, primū vt vere se hominē declararet, vt pote qui humanis affectibus cōmoueretur, deinde vt doceret licere homini naturali affectu aliquid aliud velle & expetere, quā Deus velit, postremo vt ostēderet debere hominē propriā voluntatē & affectū, Deo subiicere, seseq; ei in omnibus obtēperantē prēbere.

Hebr. 5.

Ier. 17.

PORRO posteriori conclusionis tertiæ particulę fidem conciliat Christi Domini illa precatio, qua pro gloria resurrectionis, & nominis sui claritate, impetranda summū patrem orauit, quemadmodum refert Ioannes Euāgelicæ historię cap. 17. Id quod erat sūme rationi cōsentaneū. Etenim ille homo IESVS Christus à summo patre bona aliqua sic acceperat, vt interim aliqua restarent accipienda, & in se & in membris: igitur rationi consentaneum erat, vt quemadmodum pro bonis acceptis gratias summo patri ageret, ita pro accipiendis iis, quæ adhuc erant præstanda, preces adhiberet. Etenim vtroq; modo, gratias. s. pro acceptis beneficiis agendo, & non dum præstita & concessa postulando, Deus pater agnoscebatur omnis boni author & largitor: nos etiam erudiebamur, vt pro acceptis beneficiis Deo gratias ageremus: & non dum obtenta peteremus.

Matt. 26

Ioan. 11.

QVARTA conclusio. Christi omnis precatio fuit exaudita. Tum siquidem precatio alicuius exauditur, quando ipsius voluntas expletur: quandoquidem precatio interpretis est voluntatis: at omnis Christi voluntas simpliciter fuit semper expleta, omnis igitur ipsius precatio fuit diuinitus exaudita. Minor propositio hinc intelligitur, quoniam voluntas omnis, aut est simpliciter voluntas ceu voluntas deliberata, & rationis præscriptum sequens: aut ex parte seu ex adiunctione veluti voluntas vt natura: siue sensualitas, quæ velleitas est potius, quam voluntas, voluntas igitur simpliciter omnis in Christo fuit expleta: quoniā omnis huiusmodi voluntas fuit conformis & congruēs cum diuina voluntate, deliberata siquidē voluntate, nihil Christus voluit: nisi quod certo nouerat Deum velle. Porro cōsensionem humanę voluntatis cū diuina esse in causa, vt preces piorū hominū à Deo exaudiantur, docet Apostolus epistolę ad Romanos scriptę cap. 8. Ita inquit, qui autem scrutatur corda scit (id est, approbat) quid desideret spiritus (hoc est,

Rho. 8.

Y quod

quod faciat sanctos homines expetere) quoniam secundum Deum (id est, consentaneae diuinæ voluntati) postulat pro sanctis.

*Damas. li. 3.* HÆ tamen assertiones venire possunt in dubium. Ac de prima quidem multis de causis dubitatur. Nam si Christo id omne est tribuendum, quod ipsius excellentiæ congruit, sequitur illud omne esse ab eodem remouendum, quod ipsius excellentiæ minime conueniat, at ad Deum preces adhibere cum ipsius excellentiæ minime congruit, non fuit hoc igitur eidem tribuendum. Minor tum ex eo intelligitur quia precatio est ascensus, siue sublatio mentis in Deum, auctore Damasceno, at nihil erat quo mens Christi ascenderet, ut quæ esset intime Deo coniuncta, non solum coniunctione hypostatica, verum etiam coniunctione beatæ fruitionis, tum ex eo etiam constat, quia precatio est voluntatis per se ipsam minime efficacis, ac proinde opæ vimque diuinam requirentis expositio: at Christi voluntas erat potentissima: per quo se ipsam efficacissima, non fuit igitur cum tanta potestate conueniens ut aliquid à Deo peteret. Adde, quia certo nouerat: omnia quæ euentura erant, iam autem nemo precando postulat, id quod certo nouit esse euenturum, &c.

*Damas. li. 3.* DE quarta etiã conclusione dubitatur. Namque aliqua Christi precatio non fuit exaudita: falso igitur asseritur de genere toto, et in vniuerso, omnem eius precationem esse exauditam. Antecedenti fidem facit tertia conclusio quæ asserit precationem Christi interpretem fuisse & procuratricem, non solum deliberatæ voluntatis, verum etiam naturalis: & velleitatis: at velleitas ipsius non est diuinitus impleta, igitur precatio velleitatis explicatiua non est exaudita: ac proinde non omnis ipsius precatio est diuinitus exaudita.

HÆC diluuntur. Ad primum igitur respondetur negata minore propositione, priori vero probationi sic occurritur ut dicatur, ascensum siue motum per translationem quandam menti conuenire, idque bifuriam vel per modum motus, qui est actus imperfecti, vel per modum motus, qui est actus perfecti: priore modo conuenit viatori mente in Deum conscendere, & ad celestia subuehi, nam viator nondum est mente Deo, ac supernis coniunctus, sed charitatis actionibus eo tendit: quemadmodum vapores à terra excitati superiorem locum petunt. Posteriore vero modo beatis mentibus & Christo Domino conuenit ascensus: & sublatio mentis in Deum: nam Deo coniunctissimi eundem contemplantur supra se eminentem, ac hætenus dicuntur mente in Deum attolli, atque conscendere, quemadmodum cum nos etiam aliquid mente & animo complectimur, dicimur in illud per intellectum moueri.

Poste-

Posteriori vero probationi respondetur, Christi voluntatem diuinam fuisse potentissimam, ac per se ipsam efficacissimam, non autem humanam, quæ admodum iam alibi docuimus.

Luc. 4.

AD secundum respondetur in iis, quæ Christus nouerat esse futura, quædam esse huiusmodi quæ Christus sciret euentura, non quidem absolute, sed media ipsius precatone adhibita, ac proinde hæc ipsa vt fierent, non indecenter à Deo petiit. Hinc collige non esse superuacaneum Deum alioqui beneficentissimū: & rerum omnium præscium precando interpellare, quoniam eadem est præuisio finis & mediōrū: quæ Deus ad illum finem consequendum instituta esse voluit, &c.

AD tertium respondetur. Quod quemadmodum velleitas non est simpliciter voluntas, sed ex adiunctione, ita etiā precatio huiusce velleitatis explicatiua non est simpliciter precatio: sed ex adiunctione: siue sub conditione. Id quod velle eo intelligitur, quia expositis huiusmodi velleitatibus: continuo subiungimus, fiat Dei voluntas, id quod deliberate volumus & expetimus. Ponuntur ergo duæ assertiones, quarum hæc est prior. Omnis Christi precatio simpliciter est exaudita, vt pote qua simpliciter petierit aliquid à Deo: id vero semper fuit consentaneum diuinæ voluntati. Ac de hoc precatōnis genere sermo est in conclusione quarta: ad hoc etiam precatōnis genus referenda sunt illa Pauli verba posita epist. ad Heb. cap. quinto, qui in diebus carnis suæ, preces supplicationesq; ad eum, qui saluū illum facere posset à morte, cum clamore valido, & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia.

Hebr. 5.

POSTERIOR conclusio. Precatio Christi ex adiunctione, simpliciter non fuit exaudita, vt tamen fuerit quodam modo exaudita. Prior pars ex eo intelligitur, quia eo precatōnis genere nihil Christus absolute & simpliciter postulauit, sed sub conditione, vnde cū transferri à se calicem petiit: continuo subiūxit, fiat voluntas tua, ac quoad hoc posterius, fuit hæc eius precatio exaudita, quando quidē illud erat quod sibi erat in votis, vt diuina voluntas expleretur. Ita patet & posterioris particule probatio: & multarū scripturarū inter se conciliatio, quarum aliæ Christū semper fuisse exauditū confirmant, quæ admodum Ioann. 11. proditum legimus, ego autem, inquit Christus, sciebam, quia semper me audis, aliæ vero fuisse exauditum negant, vnde in psalmis dicitur, clamabo & non exaudies. Est siquidem Christus semper exauditus, quod attinet ad affectum rationis, non tamen quod attinet ad affectum naturæ, & sensualitatis.

Ioan. 11.

Psal. 22

SUNT qui existiment, quod cum Christus transferri à se calicem postula-  
 uit, non id petierit ut paratum passionis calicem non biberet, sed ut martyres  
 imperterriti vestigiis eius incederent: & Christi gloriam priuatæ utilitati an-  
 teferreret, quemadmodum exposuit Hilarius, vel certe id petierit, ut timor im-  
 pendentis mortis ipsum minime perturbaret: aut mors iam illata ipsum  
 non detineret: quemadmodum Dionysius Alexandrinus est interpretatus.  
 Ac si hic fuit Christi sensus, atque sententia, omnino effectum & exple-  
 tum est quod postulauit. Origenes tamen, Chrysostomus, Ambrosius,  
 & Augustinus Christi precationem illam aliter interpretantur: existimant  
 siquidem ea precatione Christum naturæ, & sensualitatis patrocinium sus-  
 cepisse, cuius est proprium mortem, eaque omnia quæ nocitura videantur,  
 auersari. Ac hætenus Christus non est exauditus: siquidem ratio quæ affectum  
 naturæ Deo proposuerat, ut velleitati indulgeretur, minime volebat. Quo  
 vero consilio Christus naturæ, & sensualitati patronum se præbuerit: iam  
 supradocuimus, &c.

## Quæstio XI.

### *Utrum Christus Dominus fuerit sacerdos?*

Q UOD attinet ad Christi Domini sacerdotium, nonnullas pro ip-  
 sius explicatione statuimus conclusiones, quarum hæc est prima:  
 Christus mediator est hominum. Huic assertioni fidem facit diuinæ scriptu-  
 ræ autoritas: est siquidem à D. Paulo sic dictum, vnus est mediator Dei &  
 hominum, homo Christus I E S V S. Ratione vero id ipsum ostenditur hoc  
 pacto. Mediatoris officium, munusq; est, medium sese inter aliquos interpo-  
 nere: namq; in medio iunguntur extrema: atqui Christus sese inter Deum &  
 homines medium interposuit: eosdem inter se concilians atque coniungens,  
 esse igitur mediatorem conuenit Christo. Minor propositio ex eo intelligi-  
 tur, quia Christus moriendo homines cum Deo in gratiâ reduxit, iuxta illud  
 Apostoli, recõciliati sumus per mortem filij eius. Item alibi: Deus erat in Chri-  
 sto mundum recõcilians sibi. Interest tamẽ plurimum inter Christum & alios viros  
 sanctissimos, quos mediatorum munere & officio functos apud Deum diuinæ li-  
 teræ prodiderunt, in quibus Moses de se ipso loquens ita dicit: Ego illo tem-  
 pore sequester fui, & medius inter Deum, & vos, sunt etiam sacerdotes  
 medi-

Rho. 5.  
2. Cor. 5.

Deut. 5.

mediatores, quoniam Dominus IESVS Christus medius intercessit, homines perfectiue Deo coniungendo, ceteri vero mediant homines preparando ad coniunctionem cum Deo. Ac veteres quidem illi homines preparabant, cum verum mediatorem Christum futurum prædicendo ceu propheta, tum ceremoniis & sacrificiis offerendis adumbrando, veluti sacerdotes. At noui testamenti sacerdotes hoc ipsum efficiunt, sacramenta veri mediatoris Christi administrando.

HÆC tamen conclusio hoc argumento refutatur. Si Christo mediatoris officium conueniret, eidem profecto cōueniret vel qua Deus est: vel qua homo, at neque qua Deus est esse potest mediator, neque qua homo, nullo igitur modo Christo conuenit officium mediatoris. Minor ostenditur. Namque in mediatore duo spectantur: & ratio medij, & officium coniungendi: at neutrum conuenit Christo, & qua homo est & qua Deus est: non quidem quā Deus est: nam medium distat ab extremis: itemq; mediator ob id cōiungit, quia ea quæ vnus sunt ad alterum defert, at Christus quatenus Deus non distat natura & potestate à Patre & Spiritu sancto, qui est alterum extremum, neque aliquid Dei non suum ad alterum extremum perferre potest, relinquitur igitur officium mediatoris non posse Christo, quā Deus est, conuenire. Neque itidem eidem competit quā homo est: ob eandem rationem: nam quemadmodum Christus quatenus Deus conuenit cum Patre & Spiritu sancto altero extremo: ac proinde qua huiusmodi esse non potest mediator: Ita quatenus homo, naturæ est societate cum hominibus coniunctus: cumque nihil habeat Pater, & Spir. S. quod non sit etiam filij, efficitur vt quod est Patris aut Spiritus sancti, non possit, quasi quod est aliorum ad alios deferre: ac proinde eidem quatenus homo est, non possit vlllo modo mediatoris officium conuenire.

DICIMVS Christum, qua homo est, esse mediatorem. Etenim qua homo est & distat ab vtroque extremo, à Deo quidem humanitate, ab hominibus vero & si non natura, certe gratia & dignitate: & homines Deo coniunxit: quæ vtriusque sunt vtrinque deferendo. Ex Deo siquidem ad nos gratiarum munera, ac dona detulit: ex nobis vero patibilem naturam accepit, quā potuit satisfactionem Deo offerre. Ita ratio mediandi, interpellandi, promerendi, & satisfaciendi vniuersa posita est in humana natura assumpta, quando quidem creatæ naturæ hæ sunt propriæ actiones: vis tamen omnis & efficacia posita est in diuinitate operantis: & in supposito diuino humanæ carni coniuncto.

SECUNDA conclusio. Christus Dominus sacerdos in æternum iuxta ordinem Melchisedechi, semetipsum patri obtulit hostiam immaculatam, qua oblatione peccata hominum vniuersa expiauit.

Psal.

HUIUSCE conclusionis prima particula aperte cõstat ex Dauidis propheta, ita dicentis, tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedechi. Cæterum ratione illud ipsum ita volumus esse persuasum. Sacerdotis munus & officium in eo positum est, vt sit mediator inter Deum & homines vltro citroque, vt scilicet diuina ad homines, contra vero humana ad Deum perferat, hoc maxime conuenit Christo, sacerdotis igitur munus: & officium in eo maxime elucet. Minor propositio ostèditur. Sacerdos medius intercedere dicitur inter Deum, & homines: quatenus populo diuina tradit, vnde & sacerdotis appellatio profluxit, dicitur enī sacerdos, quasi sacra dans:

Mal. 2.

& impertiens. Vnde Malachiæ. 2. dicitur, legem requirunt ex ore eius: inter populum vero & Deum, ob id medius dicitur interponi, quia pro populo preces ad Deum fundit, & sacrificiū, Numen ipsum peccatis hominū in sen-

Hebr. 5.

sum placaturus, offert. Hinc illa Pauli sententia profecta est, omnis namque p̄otifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, vt offerat dona: & sacrificia pro peccatis: iam vero Christus Dominus vtrumque insigniter præstitit: etenim diuina dona hominibus im-

2. Pet. 1.

pertuit, iuxta illam Petri sententiam, per quem nobis magna & pretiosa promissa donauit, vt per hoc efficiamini diuinæ consortes naturæ. Ipse etiam

Coll. 2.  
Hebr.

humanum genus Deo recõciliauit, iuxta illud Pauli, in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia, & alibi: semet ipsum immaculatū obtulit per Spiritum sanctū.

PORRO sacerdotium Christi esse Melchisedechi ordini consentaneū, id quod secundo loco nostra asserit conclusio, hinc intelligitur: quoniam sacerdotium Christi fuit præsignatum & adumbratum, cum legali Aronis sacerdotio, tum sacerdotio Melchisedechi, illo quidem defectiue, hoc vero altero per excellētiā supra legale, quæ in eo posita est, vt peccata deleat, & in sempiternum maneat, ac proinde Christus sacerdos esse dicitur secundum ordinē Melchisedechi: Aronis non item.

OBIICTAMÉ cõtra potest. Christus sacerdos esse dicendus est, ritu & ordine illius sacerdotij, quo magis ipsius verum sacerdotiū adūbratur: at verū Christi sacerdotium multo magis effictū & adumbratū est legali sacerdotio Aronis, quā Melchisedechi, sacerdos igitur dicendus est potius cõsentaneæ ordini Aronis: quā Melchisedechi. Minor ostèditur. Nā vis omnis sacerdotij Christi



in eo posita est, vt peccata sanguinis sui effusione deleat, vt iā iā ostēdemus: at in sacerdotio Aronis sanguis effundebatur, in sacerdotio vero Melchisedechi non item, igitur, &c. Dicimus in sacerdotio Christi duo spectari, scilicet oblationem ipsam, & participationem ipsius. Ac si oblationem spectes, facile concedo multo magis Christi sacerdotium legali, quam Melchisedechi sacerdotio adumbrari, obeam causam, quæ in argumento explicata est. Cæterum si oblationis vim & effectum expendas, non do, Christi sacerdotium verius & expressius fuisse præfiguratum sacerdotio Aronis, quā Melchisedechi, imo vero contra: partim, propter excellentiam & dignitatem veri sacerdotij supra sacerdotium legale, quæ Melchisedechi sacerdotio est expressa. Etenim Melchisedechus decimas accepit ab Abrahamo: itaque factum est, vt in lumbis Abrahami quodam modo decimas dependere sacerdos legalis, partim propter effectum, vnitatem scilicet & consensionem omnium Christi membrorum, pace, fide, & charitate, quæ vnitas & consensio Augustino teste, rebus oblatis à Melchisedecho, pane scilicet & vino, declarata est. Quemadmodum enim vinum ex multis racemis, & panis ex multis granis efficitur, ita ex multis fidelibus vnum Christi corpus mysticum conficitur, quod est ecclesia: partim propter rememoratum illud sacrificiū à Christo institutum: quod in sacrosanctæ eucharistiæ oblatione quotidiana positum est. Quemadmodum enim Melchisedechus summus Dei sacerdos panem & vinum obtulit in sacrificium: ita & Christus Dominus panem & vinum adhiberi instituit pro materia sacrificij illius excellentissimi, quo Christi corporis & sanguinis Sacramentum conficitur, ad passionis suæ memoriam renouandam. His igitur omnibus de causis Christus sacerdos esse dicitur in literis sanctis ritu & ordine Melchisedechi potius, quam Aronis. Lege septimum caput epist. Pauli ad Hebr.

Gen. 4

Super.  
Ioan.

TER TIA assertionis particula æternū Christo attribuit sacerdotiū. Id vero hinc potest intelligi, quoniam in Christi sacerdotio duo spectantur. s. oblatio ipsa: & effectus oblationis, qui ipse ad cōsumationē & absolutionē sacrificij pertinet, at effectus sacerdotij Christi est æternus, est igitur sacerdotiū Christi sempiternū. Minor ostenditur, nā Christus vi oblatis sacrificij obtinuit nobis bona non temporaria, fluxa, & caduca, sed cœlestia, ac sempiterna, vnde pontifex esse dicitur futurorum bonorum, ex quo effectum est, vt effectus oblationis & sacrificij Christi fuerit sempiternus, ac proinde quia hac vnica oblatione consumauit in æternum sanctificatos, eius sacerdotiū dicitur esse sempiternū.

Hebr. 9.

Hebr. 10.

Leui. 16. Hanc sacerdotij Christi absolutionem Legalis ille sacerdos, annuo in sancta sanctorum ingressu, cum sanguine animalium extra sancta immolatorum, prefigurauerat. Nam sacerdotis, ac pontificis in sancta sanctorum ingressus, Christi & membrorum sibi coherentium in coeleste domicilium, sempiternis bonis affluentissimum, introitum declarauit. Porro sanguis animalium immolatorum, quem secum pontifex introferebat, rationem significat qua Christus est consecutus, ut in coeleste domicilium intraret: ea autem in sanguinis sui effusione posita est, quem extra celos, hoc est in terra Christus effudit. Quod semel in anno ingrediebatur, illud significauit, Christum vnica sanguinis sui oblatione electis sempiternam salutem peperisse.

SE metipsum Patri obtulit hostiam immaculatam. Hæc quarta assertionis nostre particula, significat Christum dominum sacerdotem simul fuisse, & hostiam, eamque perfectam, ut quæ fuerit hostia pro peccato, hostia pacifica, & holocaustum. Ac fuisse Christum sacerdotem iam supra docuimus, reliquum est ut eundem simul fuisse hostiam demonstremus. Etenim, præterquam quod testimonio scripturæ id ostenditur, dicitur enim Ephes. 5. Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum oblationem, & hostiam Deo in odore suauitatis. Ratione etiam sic persuadetur: Quicquid Deo offertur ob eam causam, ut spiritus hominis feratur in Deum, est hostia & sacrificium, sed humana Christi natura Deo est exhibita & oblata, ut spiritus hominis ferretur in Deum, non solum igitur Christus sacerdotem se se, verum etiam hostiam exhibuit. Maior propositio ostenditur. Sacrificium exterius destinatur sacrificio interno tanquam fini, etenim illud huius est signum: signatum vero finis est signi eius, quo declaratur. At internum sacrificium in oblatione spiritus consistit, iuxta illam Davidis sententiam: sacrificium Deo spiritus contribulatus: relinquatur igitur, id omne, quod Deo offertur ob eam causam, ut spiritus hominis feratur in Deum, dici hostiam & sacrificium. Cum igitur humana Christi natura, Deo sit ob eam causam oblata, & in ara crucis immolata: iuxta illam Petri sententiam, Christus semel pro peccatis mortuus est, iustus pro iniustis, ut nos offerret Deo mortificatos quidem carne, viuificatos autem spiritu: sequitur igitur ut vera fuerit hostia, verumque sacrificium.

FUIT autem hostia perfecta: quoniam ea hominibus præstitit omnia, quæ homines sacrificio consequuntur, scilicet deletionem peccati, unde & in veteri lege hostia immolabatur pro peccato: conseruationem gratiæ, unde in veteri testamento hostia immolabatur pro offerentium salute, quæ pacifica dicebatur: & perfectam demum cum Deo coniunctionem, quam homo obtinet beato iam æuo fruens:

fructus. vnde in lege offerebatur holocaustum, quasi totum incensum. Etenim Christus semetipsum offerens: primum peccata hominum deluit, quem admodum est dictum à Paulo, traditus est propter delicta nostra, Deinde salutem nobis attulit, iuxta illam Pauli sententiam, factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis æternæ. Postremo, celestis regni beatitudinem, ac gloriam nobis comparauit: vnde est à Paulo grauissime dictum, habemus fiduciam per sanguinem eius in introitum sanctorum. Ex quibus omnibus facile intelligitur dominum IESVM Christum sacerdotem simul extitisse & hostiam, eamque perfectam, vt quæ fuerit hostia pro peccato, hostia pacifica, & holocaustum.

Rho. 4.

Hebr. 5.

Hebr. 10.

POSTREMO est in conclusione positum, Christum hac sui in cruce oblatione, peccata hominum expiassè: id verò in hunc modum volumus esse persuasum. In expiatione & deletione peccati, duo maxime requiruntur, scilicet infusio gratiæ, & satisfactio: infusio quidem gratiæ requiritur, quoniam macula, quæ peccato contrahitur, gratiæ splendore deletur: satisfactio verò, quoniam homo peccato suscepto, reus efficitur gehenæ: qui ipse reatus tollitur, cum homo de peccato commisso Deo satisfacit. At Christi merito hominibus gratia tributa est, iuxta illud Pauli, iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo IESU: ipse etiam pro nobis satisfecit, iuxta illud Isaia, laborem mihi præbuitis in iniquitatibus vestris, & liuore eius sanati sumus, Christus igitur, sui in cruce oblatione, peccata hominum expiauit. Confirmatur grauissimo D. Pauli testimonio, sanguis Christi, qui per Spiritum S. seipsum obtulit immaculatum Deo, emundauit conscientiam nostram ab operibus mortuis, sunt autem opera mortua ipsa peccata, quorum maculas Christus sanguine suo deterfit.

Rho. 3.

Isa. 43.

55.

Hebr. 9.

HINC iam non obscure intelligi potest effectum sacerdotij Christi in ipsum minime redundasse. Etenim & peccatum nullum admisit: pro quo delendo necesse haberet hostiam offerre, ac preces ad Deum adhibere: & medio ad Deum nullo indiguit, valens per semetipsum ad Deum accedere: quemadmodum testatur Apostol. ad Hebræos scribens. c. 7. Adde, quia primum in quoque genere sic influit, vt non recipiat influxum, at Christi sacerdotium, omnis est fons sacerdotij, igitur, &c.

EST tamen quod contra obiiciatur. Christi sacrificium, fuit ipsa eius passio, quam nostra causa pertulit acerbissimam: at effectus passionis Christi non

Hebr. 2.

in nos solum, verū in ipsum etiā redundauit: quam videlicet nō nobis modo, sed sibi etiā meruit dicente apostolo, Eum autē, qui modico quam Angeli minoratus est, videmus IESVM, propter passionē mortis, gloria & honore coronatū: vis igitur & efficacia sacerdotij Christi, in ipsum etiā redundauit. Huius argumentationis minor propositio distinguenda est. Etenim in oblatione sacrificij cuiusuis sacerdotis duo spectantur: ipsum videlicet sacrificium oblatum, & pietas offerentis. Proprius autem effectus sacrificij, est illud quod vim sacrificij, quā huiusmodi, consequitur: non tamē illud quod pietati debetur offerentis. Christus igitur dominus, fructū gloriae & honoris ex passione percepit: non quā vim obtinet sacrificij: quod offertur per modum satisfactionis, sed ob eam charitatem, & animi submissionē, qua & nostra causa, & ex Patris obedientia cruciatus pertulit. Hoc loco illud est magnopere annotandum: offerri sacrificium per modum satisfactionis, non solūm pœnæ pro peccato debita, aut offensæ, qua diuina est maiestas læsa: verum etiam pro compensandis acceptis à Deo beneficiis, & quod primū locum obtinet, pro persoluendo debito Deo cultu, quā Deus est, quāve creator omnium. Nāque primaria sacrificij institutio, est aliud nihil, quā agnitio quædam summi numinis, summa cū pietate & reuerentia cōiuncta: quæ quoniam Deo est debita, quā Deus est, quāue procreator & conseruator omnium, & bonorū omnium, quibus in vita vtimur largitor: recōpensationis cuiusdam, & satisfactionis rationem obtinet. Inter est tamen inter hæc omnia. Nam proprius effectus consequens vim sacrificij, est hominis à Deo abalienati reconciliatio, & eiusdem à merito supplicio, vel omniuo, vel ex parte liberatio: cætera verò omnia non consequuntur sacrificium, sed sunt ipsūmet sacrificium, est gratiarū actio, diuini cultus exhibitio, & summi creatoris ac rectoris omniū agnitio.

## Quæstio XII.

*Anne Christus à Patre Deo fuerit predestinatus?*

**E**XPOSVIM VS quæ Christo per relationem ad Patrem cōuenirent, superest vt doceamus, quæ eidem summo Patri per  
rela.

relationem ad Christum conueniunt, cuiusmodi sunt adoptio: & prædesti-  
natio. Ponuntur igitur nonnullæ de more assertiones.

**PRIMA** assertio. Christus nullo modo dici potest filius Dei adoptiuus.  
Huic assertioni ita fidem facimus. Filiatio adoptiua, quædam est participatio  
filiationis naturalis: at Dominus IESVS Christus est filius Dei naturalis:  
nullo igitur modo esse potest filius Dei adoptiuus. Consecutio firma est, siquid-  
dem quod est perse, ac suapte natura tale, nullo modo est participatione tale.  
Reliquum est vt singulas sumptiones ostendamus.

Prior sumptio ex eo constat maxime: quoniam filij naturales iure sibi vendi-  
cant paternam hæreditatem: ex quo efficitur vt si quispiam alicuius benefi-  
centia ad participationem hæreditatis admittitur: is dicatur in filium coop-  
tari: ac proinde adoptio, siue filiatio adoptiua, participatio quædam sit filia-  
tionis naturalis. Posterior vero sumptio ex eo intelligitur, quoniã filiatio mi-  
nime conuenit naturæ, sed personæ: iam autem persona Christi vnica est: &  
increata: est igitur Christus filius Dei naturalis solum. Hinc iam illud pers-  
picitur, quod si in Christo duæ vel personæ, vel hypostases reperirentur: nihil  
esse incõmodi affirmare, ipsum esse filium Dei adoptiuum.

**HÆC** tamen verissima assertio his argumentis refutatur. In Christo du-  
plex cernitur beatitudo, diuina vna, quæ ipsi conuenit interuentu diuinæ natu-  
ræ: & participata altera, quæ eidem attribuitur interuentu assumptæ naturæ,  
igitur in Christo est duplex filiatio, naturalis scilicet & adoptiua: quæ ipsi cõ-  
uenit interuentu humanæ naturæ assumptæ in gratia: & in gloria.

**PRÆTEREA**, multo est præstantius esse filium adoptiuum: quam seruum:  
at Christus quatenus homo est seruus Dei, quæadmodum iam alibi docuimus:  
igitur Christus multo magis est filius adoptiuus.

**POSTREMO** Deus hætenus dicitur homines adoptare: quatenus eos-  
dem ad suæ beatitudinis participationem, munere diuino, & beneficentia,  
admittit: at Christus quatenus homo, ad participationem huiusce beatitudi-  
nis diuino munere, & gratia est admissus: est igitur filius Dei adoptiuus. Ma-  
ior propositio ex eo constat: quoniam adoptare est aliud nihil: quam ad parti-  
cipationem propriæ hæreditatis assumere: at propria Dei hæreditas, est ipsa  
eius beatitudo, quæ in diuinitatis fruitione consistit, etenim illud est hæredi-  
tas alicuius, quo ipse diues est, Deus autem sui fruitione beatus & diues est:  
relinquitur igitur Deum hætenus homines adoptare: quatenus ipsos mune-  
re diuino ad suæ beatitudinis participationem admittit. Minori vero propo-  
sitioni suffragatur authoritas Augustini ita dicentis: eadẽ gratia ille homo est

Chri-

Christus: qua gratia ab initio fidei, quicumque homo est Christianus, at diuino munere quilibet homo efficitur Christianus: eodem igitur munere ille homo effectus est Christus: particeps summæ gratiæ: & beatitudinis.

**HORVM** argumentorum hæc est explicatio. Primum igitur argumentum explicatur negata consecutione: siquidem non fit par ratio in beatitudine & filiatione, tum quia beatitudo denominat subiectum interuentu naturæ, quemadmodum passio, crucifixio, natiuitas, & cætera huiusmodi, iam autem filiatio non conuenit naturæ, sed personæ, ac proinde non potest conuenire Christo filiatio adoptionis interuentu humanæ naturæ: tū quia vtraque beatitudo diuina scilicet & participata, nihil detrahit dignitati Christi, imo vero hæc posterior necessario requiritur, vt assumpta natura sit perfecta: filiatio vero adoptiua nullo modo est necessaria: neque cum Christi excellentia consentiens: imo vero eidem magnopere repugnans. Lógissime enim abest à dignitate & excellentia veri filij Dei, vt sit filius per gratiam adoptionis.

Ioan. i.

**AD** secundum negatur minor. Quemadmodum enim filius naturalis in filium minime adoptatur, sed paterna hæreditas eidem debetur: quatenus filius est: ita Christus quatenus homo, bona obtinuit omnia cum patriæ, tum viæ quæ alioqui debentur filiis adoptiuis, non tamen vi & iure adoptionis, sed ob id ipsum quia est filius Dei naturalis: eo enim quia filius Dei erat naturalis, debitum erat Christo vt natura assumpta bonis gratiæ & gloriæ cumularetur: iuxta illam diui Ioannis sententiã, vidimus gloriam eius, quasi vni-geniti à patre plenum gratiæ, & veritatis: quibus verbis datur intelligi gratiam & gloriam in Christo fuisse quendam quasi effectum filiationis naturalis, redundantem in animum Christi. Porro sententia Augustini sic interpretanda est, vt nomen gratiæ referatur ad diuinam munificentiam sine meritis aliquid efficientem: non tamen ad gratuitum aliquod donum in animo inhærens. Quemadmodum enim nullis meritis homo consequitur vt efficiatur Christianus: ita etiã ille homo nullis meritis obtinuit, vt esset Christus.

**AD** tertium negatur consecutio. Namque subiectio & seruitus, non solum attribuuntur personæ: verum etiam naturæ: at filiatio solum congruit personæ.

**SECUNDA** conclusio. Prædestinatio conuenit Christo: ita scilicet vt hæc sit vera pronuntiatio, Christus est prædestinatus. Id vero ostenditur hoc pacto. Prædestinatio diuina, quædam est ipsius Dei eorum, quæ sunt in tempore per gratiã gerenda, exhibendaque sempiterna præordinatio, at Deum esse hominem: & contra, quiddam est effectum & præstitum in tempore, idque

idque ab aeternitate diuinitus præordinatum, alioquin noui aliquid Deo accideret, est igitur illa unio prædestinata: ac proinde Christus Dominus est prædestinatus. Accedit ad confirmationem auctoritas scripturæ, dicentis, qui prædestinatus est filius Dei in virtute.

Rho. 1.

**HÆC** tamen catholica & verissima assertio, his argumentis infirmatur.

Du. 3. sc.  
d. 7. q. 3.

Terminus prædestinationis est adoptio filiorum, quemadmodum testatur diuus. Paul. Eph. 1. ita inquit, qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum Dei, at Christus non est filius Dei adoptiuus: igitur nullo modo est prædestinatus. Item prædestinari absolute, est præstantius quam prædestinari ex adiunctione, hoc est, ad hoc vel illud munus præstandum, quomodo D. Maria Magdalenè prædestinata est ad vngendos pedes Domini, at nostra prædestinatio est absoluta: Christi vero prædestinatio est ex adiunctione, ad hoc scilicet vt esset filius Dei, sequitur igitur vt nostra prædestinatio sit præstantior prædestinatione Christi, hoc vero cum sit in absurdis, efficitur vt Christo nullo modo prædestinatio conueniat.

Eph. 1.

Sc. 3. sc.  
d. 7.

**PRÆTEREA** prædestinatio antecessionem quandam declarat respectu termini: namque prædestinatio est æterna, terminus vero donum aliquod gratuitum in tempore creature tribuendum: at Christus semper fuit filius Dei naturalis: non enim nunc non fuit, & postea actu fuit: cum sit ab æternitate à patre genitus: non est igitur prædestinatus esse filius Dei.

**PRO** explicatione horum argumentorum, illud est magnopere annotandum, interesse inter prædestinationem Christi & prædestinationem cæterorum hominum: quoniam prædestinatio hominum, habet pro termino primario & immediato filiationem adoptiuam, deinde vero & quadam consecutione terminatur ad æternam hereditatem, quæ iure adoptionis filiis debetur, vnde prædestinatio ita definitur, vt esse dicatur, præordinatio electorū in vitam æternam. Prædestinationis vero Christi immediatū extremum est gratia vnionis, & coniunctionis hypostaticæ, cuius naturaliter est consequens cum gratia, tum beatitudo, ceu calor naturæ ignis est consequens. Huius porrò discriminis hæc est causa: quoniam rationi summe cōsentaneum esse videbatur, vt qui singulariter Dei esset filius, per naturam haberet etiam singularem prædestinationem. Adde, quia si gratia cōsumata, quæ in æterna beatitudine consistit, terminat prædestinationem, multo magis eandem gratia vnionis terminauerit, quæ est excellentior & gratiam consumatam, ceu proprietatem consequentem pariat.

**HIS** ita præpositis facilis est argumentorum explicatio. Ad primum respondetur

ponderetur maiorem propositionē esse veram in prædestinatione cōmuniter: namque prædestinationis cōmuniter terminus, est filiatio adoptiua primum, deinde verò, & quadam consecutione, hæreditas æternæ beatitudinis. Cæterum prædestinatio singularis, cuiusmodi est Christi prædestinatio, singularē quoque respicit terminū, gratiam videlicet vnionis, cuius est consequens gratia consumata. AD secundū respondetur: prædestinationem Christi esse etiam absolute prædestinationem, quæ ipsa respicit excellentiorem terminum quam nostra prædestinatio, vtpote quæ habeat pro termino filiationem Dei naturalem per gratiam vnionis hypostaticæ, cuius est cōsequens vnio beata. Quoniam verò multo est præstantius esse Deū, quam frui Deo, hinc fit vt Christi prædestinatio nostræ prædestinationi antecellat. Ad tertium respondetur, maiorem esse veram terminis formaliter acceptis: quo etiā modo Christi prædestinatio antecessionem quandam declarat: nā cum Christus prædestinatus esse dicitur filius Dei, subiectū illud Christus accipitur, non pro Verbo Dei absolute, sed pro Verbo incarnato, siue subsistente in natura humana, cui per gratiam vnionis diuinitus tributum est, vt esset filius Dei naturalis. Ita prædestinatio conuenit verbo Dei naturæ humanæ coniuncto, interuentu naturæ humanæ assumptæ: nō sic quidem vt humana natura denotet causam prædestinationis, sed rationem propterquam illi personæ conuenit prædestinari. Quocirca D. Pauli illa oratio posita epistolæ ad Rhom. capite primo. Qui factus est ex semine David secundum carnem, qui prædestinatus est filius Dei in virtute: hanc continet sententiā, prædestinatū est de filio Dei naturali, vt factus ex semine David secundum carnem, esset per vnionē hypostaticam Dei filius. Alij tamen hanc D. Pauli locutionē aliter interpretantur, quemadmodū refert D. Tho. 3. p. q. 24. ar. 1. ad 3. Hæc tamen nostra expositio, verior est, & ad sensum diui Pauli accommodatior.

ADHVC tamen obiici contra potest. Prædestinatio ordine naturæ antecedit prædestinatum: & prædestinationis extremū, at filius Dei etiam humanæ carni coniunctus, non átecessit vllō modo filiationē Dei per gratiam vnionis: alioqui filius Dei per gratiam vnionis, antecederet filium Dei per gratiam vnionis, id quod est absurdissimū. igitur & cæ.



PRÆTEREA si hæc propositio est vera: Christus prædestinatus est filius Dei: illa etiam vera est, Christus factus est filius Dei: consecutio ex eo intelligitur, quia prædestinatio antecessionem quandam declarat per relationem ad illud, quod est faciendum in tempore: at hæc posterior propositio nõ conceditur: cum Christus semper fuerit filius Dei, igitur neque illa prior admittenda ac recipienda vllõ modo esse videtur.

PRIVS argumentum sic diluitur, vt dicatur: inter filium Dei per gratiã unionis: & inter filium Dei & inter filium Dei humanæ carni coniunctum nullum re ipsa ordinem intercedere, sed cogitatione duntaxat & intellectu, cuius ea est vis vt ea etiam quære ipsa sunt coniunctissima & conglutinata distrahat & disiungat. Ita fit, vt mentis nostræ comprehensione prius aliquid sit Verbum diuinum esse incarnatum simpliciter, quam esse hoc vel illo modo, hoc est, per vnionem personalem incarnatum: illud enim ad hoc posterius affectum est, veluti cõmune ad propriũ. Id quod ex eo vel maxime perspicitur: quia de priore illo inter nos & hæreticos conuenit, de posteriore vero non item. Hæretici siquidem incarnationem Verbi Dei effectam esse dicunt per modum habitus adiacentis siue affectus, siue operationis: nos vero per vnionem hypostaticam. Quocirca inter Verbum vt habens carnem, & illud ipsum vt habens carnem sibi personaliter cõiunctam intercedit ordo naturæ, ceu inter cõmune & proprium. Prædestinatio igitur Dei quæ diuinæ mentis est actio, terminatur ad Verbum incarnatum, determinans vnionem personalem, interim vero ceteros modos, quibus caro cum Verbo coniungi potuit excludens. Et ob hanc causam filius Dei factus ex semine David, id est, humana carne indutus, dicitur esse prædestinatus filius Dei.

QVOD vero ad posterius argumentum attinet, defendi potest vtramque propositionem esse veram, tamen si vtraq; sit impropria. Ac posterioris propositionis hic est sensus: factum est in tempore vt subsistens in natura humana esset Deus: vel filius Dei: id quod verum est. Cæterum prior propositio magis admittenda: & cõcedenda est quam posterior: siquidem præcessio Christi secundum naturam humanam absolute, respectu eiusdem secundum vnionem personalem, & abstractio, magis supponit ipsum prædestinationi quæ est actio mentis, quam factio, quæ est operatio realis: ac proinde magis concedendum venit, Christum esse prædestinatum filium Dei, quam esse factum filium Dei. Hæc Caiet. 3. part. quest. 24. art. 1. Ego tamen nullo modo existimo esse recipiendam illam propositionem, Christus factus est filius Dei. Nam inter hæc duas propositiones multum interest, homo factus est filius Dei

Dei & Christus factus est filius Dei: nam in priore propositione, subiectum homo refertur potest ad suppositionem simplicem: in posteriore vero Christus accipitur pro persona. Ex quo efficitur, ut illa esse possit vera, tametsi impropria, hæc non item: illa quidem est vera, quoniam hanc sententiam declarat: incepit esse in tempore, ut existens in natura humana esset Deus: hæc vero posterior est falsa, quoniam hunc sensum præfert, cæpit esse in tempore ut hic existens in natura humana esset Deus, id quod falsissimum est: nam hic existens in natura humana, non quidem nunc est Deus: & immediate ante hoc non fuit Deus, imo semper fuit, est, & erit Deus.

**TERTIA** conclusio. Christus quatenus homo prædestinatus est filius Dei. Id vero ostenditur hoc pacto. Illud cõuenit alicui quatenus homo, quod conuenit eidem interuentu humanæ naturæ: at prædestinatio cõuenit Christo interuentu humanæ naturæ, conuenit igitur eidem quatenus homo: ac proinde Christus quatenus homo prædestinatus est Dei filius. Minor ostenditur. Prædestinatio duo complectitur, & ordinem quendam, siue antecessionem ex parte prædestinantis, & effectum temporarium: nempe donum aliquod gratuitum: at utrumque conuenit Christo interuentu humanæ naturæ: nam humana natura non fuit semper Verbo coniuncta: & hoc ei per gratiã concessum ac tributum est, ut Verbo Dei personaliter coniungeretur: interuentu igitur humanæ naturæ solum conuenit Christo prædestinatio ad filiationem diuinam. Cui quidem sententię suffragatur autoritas Augustini eo quem de prædestinatione sanctorum scripsit libro, ita dicentis: prædestinata est ista humanæ naturæ tanta & tam excellens subiectio, ut quo attolleretur altius non haberet.

**HÆC** tamen conclusio hoc argumento refutatur. Hoc est vnũ quodque, quod est prædestinatum esse, at Christus quatenus homo prædestinatus est filius Dei, est igitur quatenus homo filius Dei. Argumentum diluitur concessa maiore propositione, minore vero sic explicata & accepta, ut illi adiungatur particula per gratiam vnionis. Hac siquidem particula adiuncta, consequens etiam illud conceditur. Nam Christus qua homo, est per gratiam vnionis filius Dei.

### Quæstio. XIII.

*Utrum humana Christi natura sit patriæ cultu p̄sequenda?*  
**Q**UONIAM hanc sacratissimam vnionem illud est etiam consecutum: ut Christo summa pietas: & obseruantia debeatur, id quod eide

quodeidem à nobis, imo vero ab omni creatura mentis & intelligentiæ particeps præstandū est. Reliqua est illa quæstio tractanda quæ de adoratione, ac veneratione Christi est. Quocirca illud iam vocatur in quæstionem: an humana Christi natura sit à nobis cultu latriæ prosequenda? Huic quæstionis explicationi multa præponimus in quibus illud est primum, in re cui honor tribuitur duospectari, rem scilicet in quam honor confertur, & causam, qua efficitur vt illi honor tribuatur. Res honorata, est persona, quæ actionem venerationis terminat, ratio vero siue causa honorandi, est illud omne, quo persona aliis excellit. Nam honor exhibitio esse dicitur reuerentiæ propter alicuius excellentiam. Ita fit vt venerationis & honorationis vniuersa causa, posita sit in cuiusque hominis excellentia.

**S**V B I N D E res honorata varie dicitur, aut enim per se honoratur, aut per aliud in se, siue in alio. Per se honoratur, totum subsistens, per aliud vero pars ipsius. Nam cum regias manus exosculamur, aliud nihil quam totum ipsum in parte veneramur. Huc pertinent imago: & nuncius, quemadmodum enim totum in se parte honoratur: ita representatum in se imagine, & mittens in se nuncio, honore afficitur. Etenim partem honorari est aliud nihil quam totum ipsum prout est in parte honorari: & vestem regiam honorari, est nihil aliud quam regiam ipsam personam, prout est sub veste honorari. Adeundem etiam modum imaginem veneramur, prout persona representata est in imagine, & nuncium honore prosequimur, quatenus princeps est in illo.

**E**X quo iam efficitur res huiusmodi, parteis scilicet, vestes, imaginem: & nuncium, partim honorari, partim non honorari, non honorantur quidem per se, honorantur vero secundū aliud in ipsis. Id quod duobus modis accipi potest, vno modo, vt persona honoretur in hisce quatenus habet quodāmodo esse in illis: altero vero modo nō ob id, quia persona habet esse in illis: sed quia per hæc homines ad venerationē personæ excitantur. Interest autē plurimum inter vtrumq; modū. Nam priore modo, externa huiusmodi, venerationē illa quidem terminant, licet non secundū se, sed prout persona est in ipsis: posteriore vero modo, hæc eadem venerationem minime terminant, sed ad venerationem duntaxat inducunt. Dicuntur tamen honorari abusiue, & populariter solum. Horum tamen modorū vter sit verior postea expendemus.

**Q**VOD vero ad causam honoris attinet, notandum est magnopere id quo aliquis excellit, duobus modis eidem conuenire: vno modo per modum for-

mæinhærentis, veluti sapientiam prudentiam, & virtutem: aliter modo per modum actionis, ceu gubernare, creare, docere, &c. Non solum enim excellunt homines sapientia, virtute, potentia, & dignitate, sed inde etiam præcæ-lentes habentur, quia vicerunt, docuerunt, & res administrauerunt. Hæc tamen ipsa, quæ honorandi personam causam afferunt, honore minus proprie afficiuntur: quandoquidem honoratio eius est solum, quod actionem honorationis terminat, ac honorationis actionem nõ terminat nisi persona cui honor tribuitur. Ita fit vt minus firma sit hæc consecutio, honoratur sapientia vt causa honoris, igitur sapientia honoratur. Nam illa adiectio, vt causa honoris, est adiectio diminuens.

**NOTANDVM** postremo vnitatem, vel multitudinem honoris expendi vel secundum causam honoris, vel secundum terminum per se proprium honorationis. Ex quo efficitur vt si in vno atque eodem homine multæ ac variæ honoris causæ reperiãtur, eius honor & vnus sit & multiplex, vnus vnitatem personæ cui per se primo debetur honor, multiplex vero propter varias, quæ in ipso spectantur honorationis & venerationis causas. Id quod intueri licet in homine virtute ac scientia prædito, cui honores deferuntur cum propter virtutis, tum propter scientiæ præstantiam & excellentiam.

**HIS** ita prænotatis, iam nõnullas subiungimus conclusiones, ad Christi, eorumque omnium quæ ad Christi personam pertinent, venerationem pertinentes.

**PRIMA** conclusio. Humana Christi natura, ceu res honorata, est afficienda honore & obseruantia patriæ. Probatio conclusionis. Humanam Christi naturam adorari ceu rem adoratam, est aliud nihil quam Verbum ipsum incarnatum adorari, quemadmodum regiam vestem adorare est aliud nihil quam regem ipsum vestitum adorare: atqui Verbo incarnato debetur adoratio patriæ, humana igitur natura ceu res adorata cultu patriæ prosequenda est.

**SECUNDA** conclusio. Humana Christi natura vt ratio adorandi, non est adoranda adoratione patriæ. Id quod vel ex eo intelligitur quia humana Christi natura est res creata: nulla autem creatura veneratione patriæ prosequenda est. Hinc iã illud perspicitur potest, diuinam Christi personam esse afficiendam cum honore patriæ, tũ etiã dulci patriæ quidem, interuētu diuinitatis, dulci vero, humanæ nature interuētu. Quoniã vero diuinitas Christi est ipsa eius personalitas, humana vero ipsius natura non ite, hinc efficitur vt Christi persona per se quidem sit

fit veneranda cultu patriæ, per aliud vero, hoc est, per humanam ipsius naturam fit afficienda cultu & obseruantia dulciæ: ipsa tamen eius humanitas per aliud, hoc est, interuentu diuinæ personalitatis, cui coniungitur adoratur adoratione patriæ, per se vero adoratione dulciæ, vt tamen ratio adorandi, non vt res adorata.

**TER TIA** conclusio. Diuinitas & humanitas Christi eadem sunt veneratione adorandæ, id vero in hunc modum ostenditur: Quemadmodum iam supra annotauimus in re cui honor tribuitur duo spectantur, & res quæ honore afficitur, & causa siue ratio honoris deferendi: res quæ honore afficitur, est suppositum siue persona, ratio siue causa honoris tribuendi, est illud omne quo persona excellit, hinc iam intelligi potest conclusionis approbatio, nam cum in Christo sit vnica duntaxat hypostasis, efficitur vt vna sit ipsius veneratio ceu rei adoratæ, cum vero multæ in ipso honorationis causæ reperiantur, diuinæ scilicet & humanæ: efficitur vt varia quoque eius sit ex parte causæ & rationis honorandi, veneratio. Ex quo iam illud intelligitur quod si in Christo essent multæ hypostases, adoratio ipsius non esset vna non solum ex parte causæ, verum etiam ex parte termini venerationem terminantis.

**Q V A R T A** conclusio. Imago Christi cultu patriæ veneranda & adoranda est. Pro cuius conclusionis explicatione illud principio notandum est, motum animi in imaginem esse duplicem, aut imaginem vt est res quædam, aut vt est imago siue representatiuum alterius: interest autem plurimum inter hosce duos animi motus: nam motus in imaginem quatenus est res quædam, est diuersus à motu in rem quæ imagine exprimitur atque representatur, motus vero in imaginem prout est imago, est vnus & idem cum motu qui est in rem representatam, quemadmodum docet Aristot. eo quem de memoria & recordatione scripsit libro. Hinc igitur iam constare potest conclusionis probatio, namque Christi imagini tribuitur honor: at non vt res quædam est, quia honor cultus & veneratio, non nisi naturæ ei quæ rationis est particeps debetur: igitur vt imagini: at qui motus animi in imaginem, quatenus est imago, est idem ei, quo animus fertur in rem representatam: res autem effigie Christi representata est Christus: imago igitur Christi eodem est cultu, eodemque honore afficienda, quo ipsemet Christus: at Christo honor patriæ habetur: idem igitur honor est ipsius Christi imagini: & simulacro habendus.

HÆC tamen conclusio varie refutatur. Principio siquidem de fundamento quo eiusdem probatio nititur, dubitatur: tum ex parte motus: tum ex parte imaginis, tum demum ex parte unitatis ipsius motus. Ac quod ad motum attinet, non videtur satis firmum illud fundamentum, & ad rem propositam ostendendam accomodatum. Namque ut vera sit illa sententia in motu facultatis apprehensivæ, eadem quippe cognitione imago, & res quæ imagine exprimitur, cognoscitur, siquidem relata simul intelliguntur, & cognoscuntur, non tamen vera est in motu appetentis facultatis, non enim qui diligit patrem, iam ipsius filium diligit. Iam autem Arist. illam sententiam sub priori sensu protulit, assertio vero nostra de motu loquitur facultatis appetentis: adoratio enim, moralis virtutis est actio, ac proinde ad appetentis facultatem pertinet: ad quem eundem motum fundamentalem illam propositionem transtulimus.

QVOD vero ad imaginem attinet, non videtur esse vere dictum imaginem esse adorandam, quandoquidem imago qua imago est, sit in re, nulla autem relatio realis creata neque itidem rationis religione & observantia latriæ prosequenda est.

POSTREMO id quod dicitur, unum eundemque esse animi motum in imaginem: & in rem imagine representatam, non videtur esse vere dictum. Namque aut sermo est de unitate motus simpliciter, aut de unitate motus secundum quid: si de unitate motus simpliciter, falsa videtur esse propositio, quandoquidem motus in rem secundum se immediate, & in eandem rem mediante sua imagine, non est omnino idem: ille enim in rem tendit, sine medijs interiectis, hic vero medio interposito: iam vero tendere per medium, & sine medio differunt. Sin vero sermo est de unitate motus ex parte, propositio sumpta minus est ad rem concludendam accomodata: Nam ex unitate motus secundum quid, minus recte concluditur unitas specifica adorationis, cum imaginis, tum exemplaris, quæ tamen inde conficitur, quandoquidem effigiem Christi venerandam esse diximus veneratione latriæ, qua eadem Christum ipsum veneramus.

DEINDE eadem assertio nonnullis venit in dubium, ut qui in ea sint opinione & sententia ut dicant, Christi effigiem non esse cultu & observantia latriæ venerandam, id quod hisce argumentis volunt esse persuasum. Latria soli Deo per se debetur, iis vero quæ divinæ personæ coniunguntur per accidens, at imago Christi qua imago est, & est creatura, & externum aliquid ipsi Deo Christo, non igitur aut per se aut per accidens

vener-

venerationem patriæ terminat.

DEINDE si adoratio ac veneratio rei, imagini ipsius tribuenda est, illud omnino necesse est, vt res & imago vnū quiddā sint, & vnius rationis: at sunt diuersa: nam correlatiua, tametsi simul cognoscantur, non sunt tamen vnū & idem, quippe cum esse relatiui in eo cōsistat, vt dā aliud sit affectū.

POSTREMO cum Arist. dicit, eundem esse animi motum in imaginem: & in rem, sic est, ad rem propositam accomodate, accipiendum: vt res cognita, siue representata per imaginē, proposita atq; obiecta imagine colatur: & honoretur, perinde ac si esset secundū se præsens: non tamen quod adoratio, ac veneratio vllō modo ad imaginem terminetur, igitur, &c.

HIS argumentis facile est, protuenda, ac confirmanda nostra sententia, respondere. Quocirca iam omnia diluenda sunt. Ac quod ad improbatōnem, & infirmationem fundamenti attinet: notandum est, imaginis illam distinctionem, in imaginem vt res est, & in imaginem quatenus est imago, duobus modis accipi posse, vno modo vt distingatur imago in imaginem materialiter, & in imaginem formaliter, sitque imago vt res, imago materialiter, veluti aurum, aut lignum: imago vero qua imago, sit imago formaliter, ceu figura, & relatio. Altero modo illa distinctio accipi potest: vt. scilicet imago vt res sit imago prout exercet actum rei, imago vero vt imago, sit eadē imago prout munere & officio imaginis defungitur. Tum autem imago exercet actum rei quando terminat motum vt res, id quod contingit, quando imago terminat motum sua entitate siue formaliter, siue materialiter accipiatur. Tum autē exercet actū imaginis, quando terminat motū vt imago, id quod tum euenire cōsuevit, quādo ratio terminādi motum est exemplar ad quod ducit. Cum igitur duobus modis accipi illa distinctio possit: priori modo videntur aduersarij illam sententiā interpretati, vt qui omnino imagini patriæ honorem & venerationē detraxerint, quando quidē tam imaginis materia, quam forma, & relatio longissime ab sint à Dei natura, qui solus religione, & veneratione patriæ colendus est.

SED hanc interpretationem abhorrere & à veritate & à mente sensuque Arist. hinc intelligitur, quia sub altero membro distinctionis, illa distinctionis interpretatio continetur. Nam imago vt res sub se continet non solum imaginis materiam, verum etiam formam, est siquidem Cæsaris imago res quædam, non solum qua marmorea, aut lignea est, verum etiam quoad deliniamenta, in quibus posita est figura, & relationē eiusdem ad exemplar. Adde, quia motus in imaginem prout est quædam effigies & relatio, non

est idem ei quo in rem tenditur, imo diuersus, id quod ex eo facile perspiciatur, quia sistere animus potest in consideratione, & dilectione figuræ: pulchritudinem scilicet figuræ admirans, cupiensque illam figuram ad se referri tanquam exemplar, cum interim in rem minime feratur, aut cognitione aut dilectione, siue propensione. Est tamen tunc motus in imaginem formaliter, non tamen in rem.

**QVOCIRCA** posterior distinctionis interpretatio & vera est, & ad Arist. mentem ac sensum accomodata. Inde enim sequitur primum vt motus in imaginem quatenus est imago, sit in in ipsam quidem terminatiue, non tamen secundum se, sed secundum aliud in ipsa: in ipsam quidem, quia ipsa est quæ motum terminat, ob id scilicet quia in ipsa est exemplar, quod representat, secundum aliud vero in ipsa: quoniam ratio terminandi motum est exemplar, quod ipsum & est diuersum quiddam ab ipsa imagine, & in ipsa representatiue continetur.

**DEINDE** illud conficitur, motum adorationis, quæ Christi imago colitur, vere ac proprie ad ipsam Christi imaginem terminari, non quidem quatenus res est, hoc est, quatenus exercet actum rei, siue rei quæ est materia: siue rei quæ est forma, sed quatenus est imago, id est, quatenus exercet actum imaginis, interuentu exemplaris, quod veluti intuendum proponit: ac proinde Christus, qui imagine exprimitur, est ratio & causa imaginis ipsius adorandæ: ratio inquam ad adorandum impellens: & adorationem terminans. Ex quo fit postremo vt honor ac veneratio latriæ non tribuatur creaturæ, sed creatori, quandoquidem non tribuitur imagini secundum se, sed per relationem ad exemplar, quod ipsum est ratio adorandi, & adorationem terminans, nempe Christus.

**HINC** iam facile liquere potest aduersariorum argumentorum explicatio. Ac quod ad improbationem fundamenti ex parte motus attinet, dicimus veram esse illam propositionem cum in motu apprehensiuæ facultatis, tum appetentis. Etenim fieri non potest, vt feratur animus in imaginem qua exercet actum imaginis, siue cognoscendo, siue adorando quin terminus cognitionis, & venerationis sit res representata, quandoquidem ipsa est ratio terminandi vtrumque motum.

**AD** secundam refutationem sumptam ex parte imaginis, dicimus, quod cum imago quatenus est imago adoratur, non relatio, aut figura adoratur: & colitur, sed persona quæ imagine representatur, & imagine continetur ceu conditione sub qua adoratur.



AD tertiam vero infirmationem, respondetur sermonem esse de vnitatem motus simpliciter, & specifica. Id quod sic ostenditur. Vnitas motus simpliciter, siue vnitas specifica, sumitur ex termino, in quem per se primum motus tendit, at cum in imaginem quatenus est imago tenditur, in rem representatam per imaginem, quæ est per se primo illius motus terminus, tenditur, relinquatur igitur motum in imaginem, qua exercet actum imaginis esse eundem ei, quo in rem tenditur. Neque obstat differentia penes esse, cum medio, vel sine medio, quonia quod ad terminum attinet, nihil medij intercedat, sed solum quoad conditionem diuersam eiusdem termini. Nam eadem persona siue in se ipsa, siue in sua imagine, formaliter terminat motum: neque illis conditionibus, hoc est, in se ipsa, aut in sua imagine, species, siue specifica ratio termini variatur, ac proinde neque species & vnitas formalis motus.

PORRO ea quæ ab aduersariis ad infirmationem nostre assertionis, sunt allata, haud magni negotij est diluere. Ac primum argumentum diluitur negatione maioris propositionis: Namque adoratio rei alicui tribuitur vel secundum se, vel secundum aliud, id quod bifariam contingit, vel secundum aliud quod est in ipsa re, vel secundum aliud in quo est ipsa res. Priori modo tribuitur adoratio imagini Christi, propter Christum. scilicet qui in ipsa imagine representatiue continetur, id quod est aliud nihil quam Christum verum Deum ac creatorem venerari. Posteriore vero modo Christi humana natura adoratur, ut quæ sit coniuncta Verbo Dei hypostatice. Lapsi sunt igitur aduersarij, quia illud per aliud, siue per accidens, unico tantum modo accepere, ad coniuncta illud solum referentes.

AD secundum respondetur. Imaginem qua imago est, & rem representatam per imaginem esse omnino vnum & idem, quoad rationem formalem terminandi motum. Nam imago qua imago est, est imago actum imaginis exercens: id quod tum accedit quando ratio terminandi motum est exemplar ad quod ducit. Ex quo efficitur ut imago qua imago, & res imagine representata, quoad rationem formalem terminandi motum, sit vnum & idem.

AD tertium respondetur: quod si imago Christi ob id adoratione patriæ veneranda est, quia ad memoriam Christi reuocat duntaxat: & quamlibet rem esse eodem honore prosequendam, siquidem Christi Dei & procreatoris omnium memoriam excitat: consequens est in absurdum, igitur & antecedens. Quocirca sic habendum est omnino, Christi imaginem esse adorandam adoratione patriæ, non quia ecclesia sic instituit, imaginemque saluatoris signum rememoratiuum esse voluit: sed quia imago

Christi est: cui ut sic veneratio patriæ debetur. Alioquin si hominum instituto imaginum veneratio constaret, non esset quod iuste læsæ maiestatis pena afficerentur, qui principum imagines contemptui, & ludibrio haberent: ac læsæ maiestatis crimen incurrunt, qui principum imagines ludibrio habent, ipsorumque statuas deiiciunt, relinquitur imaginum cultum; & veneratio nem non fuisse hominum instituto, lege & consuetudine introductam, sed natura imagini qua imago est, esse aut honorem tribuendum, aut contra iniuriam inferendam.

**QVINTA** conclusio. Non solum crux Christi ea, cui ipse suffixus est, verum etiam species & imago omnis ipsius ex quavis materia fabricata, aut in quacunque materia descripta, cultu & veneratione patriæ est adoranda. Hæc conclusio ex duabus propositionibus conficitur: quarum hæc est prior. Soli creaturæ ei quæ rationis & mētis est particeps, honor perse debetur. Namque honor reuerentiæ delatio est quædam, qua testata efficitur eius præstantia, cui honor tribuitur. Posterior propositio. Creaturæ sensus & rationis experti tribuitur honor & reuerentia per aliud, hoc est, interuentu rationalis naturæ, idque bifariam, vel quia natura mentis compos in re illa representatiue continetur, vel quia res illa creaturæ rationis participi coniungitur. Priore de causa Cæsaris imaginem veneramus, posteriore vero, regis membrum, veluti regias manus, aut vestem deosculamur. Vtroque tamen modo idem qui regi, cum imagini ipsius, tum membro aut vesti, honor tribuitur.

**HINC** iam sequitur tum crucem Christi eam, cui ipse affixus est, tum crucis effigiem quancunque, esse patriæ cultu prosequendam: illam quidem, quoniam & in ipsa Christus ipse extensus, & affixus representatiue continetur, & crux ipsa sanctissima Christi membra contigit, hanc vero quoniam Christum affixum cruci representat, quemadmodum imago crucifixi Christi: id quod velexeo intelligitur, quia ecclesia crucem alloquitur, perinde ac si Christum ipsum affixum cruci alloquatur. Qua allocutione ecclesia testatur Christum Dominum in cruce ipsa vera, vel in ipsius quapiam effigie representatiue contineri.

**ILLVD** etiam hinc intelligitur, non solum crucem, verum etiam omnia quæ Christum quodammodo attigerunt veluti vestes Christi, clauos, coronam, & lanceam esse patriæ veneratione prosequenda. Hoc tamen interest inter crucem, & cetera omnia quæ corpus Christi contigerunt: quoniam Christi crux in quacunque materia adoratione patriæ colenda & honoranda est, cetera omnia non item. Non enim speciem, siue effigiem clauorum, aut lanceæ,  
& id

& id genus cæterorum veneramus. Huius porro discriminis hæc est causa quoniam cætera omnia non perinde Christum representant, atq; crux ipsa domini, quæ signū filij hominis esse traditur in coelo contuendum.

Mat. 24.

RELIQVVM est vt quintam hanc assertionem D. Ioannis Damasceni testimonio & auctoritate confirmemus, de veneratione crucis, ac cæterorum omnium quæ ad Christum pertinent, quarto de fide orthodoxa libro cap. 10. ita differentis. Vere igitur preciosum illud, ac venerandum lignum in quo semetipsum Christus pro nobis in sacrificium obtulit, vt quod sancti corporis & sanguinis attactu sanctificatum sit, iure optimo adorandum est; clauis itidem, lancea, indumenta, sacra ipsius tabernacula, veluti præsepe, spelunca, sepulcrum: mons Golgotha, & Sion arx quedam ecclesiarum, quæq; eius generis sunt reliqua: eodem sunt honore afficienda. Veneramus præterea preciosæ & viuificatricis crucis imaginem & effigiem, ex quauis materia fabricatam: non quod illi materiæ honorem tribuamus, absit enim hæc tanta impietas, sed effigiem ipsam ceu Christi Domini representatricem, obseruantia & pietate prosequimur.

### Quæstio XIII.

*Anne sanctissimæ Matri Christi honor latriæ habendus est?*

QUONIAM Christo Domino sanctissima mater eius multo est coniunctior quam crux ipsius Christi, cruci autem deferendum esse docuimus honorem latriæ, venire in dubium cuius potuit, anne etiam mater Christi sit honore latriæ veneranda? Quocirca pro explicatione quæstionis, duas subiungimus conclusiones. PRIOR conclusio. Mater Christi non est veneranda adoratione latriæ. Huic conclusioni ita fidem facimus. Nulli creaturæ, quæ aliqui secundum se venerabilis est, tribuendus est honor, ac cultus latriæ: dicimus secundum se, vt & creaturas excipiamus eas, quæ mētis & sensus sunt expertes, quibus per se nulla veneratio debetur: & humanā quoque Christinaturam excludamus, cui per se se ceu rei adoratæ latriæ veneratio minime tribuenda est, quemadmodum iam supra exposuimus: At sanctissima Christi mater creatura est, cui per se se veneratio debetur, vt quæ sit creatura mentis compos, quæ sola

cultus, honoris, & venerationis est capax, relinquatur igitur non esse matri Christi honorem patriæ deferendum.

**POSTERIOR** conclusio. Mater Christi dulciæ siue hyperdulciæ cultu & honore veneranda est. Id vero sic ostenditur. Nulli puræ creaturæ rationis participi debetur cultus patriæ, sed dulciæ: at beata virgo est pura creatura rationis particeps, non igitur ipsi adoratio patriæ debetur, sed veneratio dulciæ, cumque creaturis omnibus, mente præditis antecellat, vt quæ sit mater Dei, efficitur vt cæteris eminentius & excellentius sit veneranda: quod genus cultus, & venerationis hyperdulia à Græcis appellatur.

**ARGUMENTVM** porrò illud initio quæstionis positum, negata consecutione dissoluitur. Namque dissimilis in vtroque ratio cernitur. Etenim crux Christi non est per se venerationis capax, ex quo efficitur vt vniuersa ipsius veneratio ad prototypum, scilicet Christum referatur, at virgo beata per se se cultus & venerationis est capax, ac proinde omnis ipsius cultus & veneratio ad ipsam per se primo terminatur, iam autem ad creaturam veneratio patriæ per se primum terminari non potest. Quocirca vt errandi causa omnis prorsus tollatur, ne scilicet motus adorationis sistat in natura rationis particeps secundum se, omnino rationali naturæ, neque vt Dei imagini, neque vt rei, etiã Christo coniunctissimæ honor patriæ vlllo modo habendus ac deferendus est. Quemadmodum enim Christum sola patriæ veneramus, ad illorum errorem profligandum, qui ad Christum ceu ad puram creaturam cõfugiunt, ita etiam beatam virginem (vt sit Christi Dei mater,) solo dulciæ cultu & honore prosequimur: quo error vitetur is, qui potuit hominibus accidere, dum virgini beatæ honorem patriæ per se deferrent. Non enim imperitæ multitudini illud est cognitum, atque perspectum, vt scilicet Christum in beata virgine patriæ colat: ipsam vero virginem Dei param secundum se hyperdulia veneretur, id quod tamen finõ discernat, summo eam errore labi necesse est, ac proinde simpliciter & omnino à patribus proditum est, virginem sacratissimam non esse venerandam adoratione patriæ.

**OBIICI** tamen contra potest. Non est deterioris siue inferioris conditionis res per se veneranda: & secundum aliud: quam si solum esset per aliud veneranda: at beata virgo si solum veneranda foret interuētu Christi, quemadmodum ipsius crux, fuisset afficienda cultu & veneratione patriæ, quemadmodum & crux, imo vero multo magis, vt pote quæ ad Christum magis attineret, igitur & nunc etiam ceu res coniuncta Christo adoratione patriæ veneranda est: per se vero adoratione dulciæ. Maior propositio hinc intelligitur,

quoniam

Tho. 3.  
p. q. 25.  
ar. 3. ad. 3.  
Item ar.  
5. ad. 3.

quoniam esse per se venerabile non imminuit rationem venerabilitatis, quæ  
 admodum neq; per se existere rationem cõmunem entis, sed modum quendã  
 venerabilitatis perfectiorem declarat, quemadmodum per se existere præ-  
 stantiorem essendi modum significat. Argumentum diluitur maioris pro-  
 positionis negatione, ad probationem vero respondetur, quod & si esse per se  
 venerabile nõ distrahat: tollatur rationem venerabilitatis simpliciter, tollit ta-  
 men rationem rei venerabilis secundum aliud: quemadmodum per se existere  
 licet non distrahat rationem entis, distrahit tamen rationem entis in alio, nõ-  
 pe accidentis. Quare cum latria in creatis rebus, iis solum debeat quæ se-  
 cundum aliud venerandæ sunt, illud est consequens, quod si qua creata res sit  
 quæ per se venerabilis sit, non sit per aliud, siue interuentu alterius latriæ ve-  
 neratione colenda. Cum igitur virgo Deipara in rebus sit quæ per se vene-  
 rabilitatem sibi vendicant, efficitur vt nõ sit per aliud, hoc est per Christum,  
 quem materna necessitudine attingit, latriæ honore prosequenda.

AC de admirabili, omnibusque modis inexplicabili Verbi Dei cū huma-  
 na natura coniunctione & vnione: deque iis quæ sacratissimam hanc  
 vnionem admirabiliter sunt consecuta, hæc tradidisse, ac  
 disseruisse in auditorum nostrorum gra-  
 tiam, sufficiat.

Quæstio I.

Venerabilis Pater D. V. de ...

...

QVOd igitur ad primam rationem (scilicet de virginis matris Verbi di-  
 uinitatis, caput actum illud expeditur) et de quibus, tractat  
 virgo lacerantibus ab omni peccati labe diuinitus præseruata: in hac parte  
 tractanda quæstione, vt procedat, vt principio conclusiones indubitate  
 quibus videlicet inter omnes Theologos & scholasticos viros confite-  
 tur, deinde castitatis de quibus tractat Theologus distinctio  
 P. R. I. M. A. igitur conclusio in dubio, omnimodum Theologorum  
 proborum cum Christianis & pietatis cultum cõtinuã conser-  
 uant

PRÆLECTIONVM SIVE ENARRA-  
tionum sacrosanctæ diuini Verbi incar-  
nationis.

LIBER SEXTVS.

DE SACRÆ VIRGINIS PURITATE.



VONIAM SUPERIORIBVS LIBRIS  
ca sumus persecuti: quæ ad explicationem sacratissimæ  
vniõnis attinerent: visum est nobis esse faciendum, quo  
instituta de Verbo incarnato quæstio omnis absolueretur,  
vt superioribus quinque libris, sextum præterea ad-  
iugeremus: quo de virgine matre Verbi disserteremus:  
non quidem omnia virginis ornamenta complectentes, sed insigniora, hoc  
est, ea quæ explicationem requirunt, quæque huic mysterio congruunt, at-  
tingentes.

AC suscepta de virgine matre Verbi disputatio quincupartita est. Est siqui-  
dem nobis agendum de ipsius summa, ac singulari puritate, deinde de eius-  
dem desponsatione, tertio de admirabili Verbi diuini in virgineo utero con-  
ceptu, quarto demum loco de ineffabili maternitate disserendum est. Postre-  
mum caput, explicationem continet genealogiæ Domini saluatoris.

Quæstio .I.

*Vtrum virgo Dei Verbi mater, fuerit ab omni labe peccati  
diuinitus præseruata?*

QVOD igitur ad primum, totius huius de virgine matre Verbi di-  
sputationis, caput attinet: illud exquirendum esse duximus, fuerit ne  
virgo sacratissima ab omni peccati labe diuinitus præseruata? In hac porrò  
tractanda quæstione ita progrediar, vt principio conclusiones indubitatas, de  
quibus videlicet inter omnes Theologos, & orthodoxos viros constat, sta-  
tuam: deinde eas subiiciam, de quibus inter se Theologi dissentiunt.

PRIMA igitur conclusio indubitata, omniumque non Theologorum  
modo: verum etiam Christianæ fidei, & pietatis cultorum cōsensu compro-  
bata,

bara, est huiusmodi. Virgo beata, nulla vnquã actualis peccati labe, est infe-  
 cta. Hanc conclusionẽ ostendimus cum ratione, tum orthodoxorum docto-  
 rum testimonio, & auctoritate. Ac ratione ita ostenditur. Deus eos, quos ex  
 vniuerso hominum cœtu delectos, ac selectos, ad munus aliquod obeundũ,  
 esse voluit, ita præparat: vt ad id muneris obeundum, sint idonei, vnde illud  
 est à Paulo dictum, idoneos nos fecit ministros noui testamenti, beatissima  
 autem virgo fuit ad hoc diuinitus delecta, vt matris Dei munere, & officio  
 fungeretur, fuit igitur diuinitus, huic tanto muneri obeundo, idonea effecta  
 (id quod cœlestis ille nuntius, ad virginem è cœlo missus apertissime decla-  
 rauit, cum dixit, inuenisti enim gratiam apud Deum, ecce concipies in vte-  
 ro.) Non fuisset autẽ virgo beata tanto muneri tuendo, tantæque dignitati su-  
 stinendæ idonea, si peccatum aliquando aliquod admisisset, tum quia futura  
 esset mater Dei, itaque fieret, vt matris ignominia in filium redundaret: tum  
 quia Christo erat coniunctissima, vt pote quem carnis, & sanguinis societate,  
 & cõmunionẽ contingeret, iam autem authore D. Paulo, quæ conuentio  
 Christi ad Belial. Quæ societas lucis ad tenebras? Tum postremo, quia diui-  
 na & increata sapientia, Verbum Dei in excelsis, in ea sibi domicilium, singu-  
 lari quadam ratione, collocauit, non modo in animo ipsius habitans, verum  
 etiam in vtero delitescens: iam vero diuina sapientia in maleuolam, & pecca-  
 to aliquo infectam animam minime intrat, neque habitat in corpore subdi-  
 to peccatis. Quocirca illud omnino fatendum est, & constanter asserendum,  
 beatam virginem, nullum vnquam actuale peccatum suscepisse: non solum  
 ex eorum genere, quæ exitium menti afferunt, sed neque ex eorũ genere etiã,  
 quæ minutiora sunt, & veniam facile promerentur.

H V I C verissimæ conclusioni, patres sanctissimi, diuinorum mysteriorũ  
 interpretes, assentiuntur, quorum testimonia, rei propositæ docendę gratia,  
 si minus omnia, certe illustriora proferemus. Insigne est illud, & omnibus  
 seculis cõmemorandum, D. Augustini, eo quem de natura, & gratia conf-  
 scripsit libro, de virginis puritate testimonium. Nam cum neminem homi-  
 num, etiam eorum, quorum sanctimoniam, & integritatem diuinæ literæ  
 cõmendat: à peccato liberum, purumque fuisse confirmaret, virginem Dei  
 param excepit: ita inquit. Excepta sancta virgine Maria, de qua propter ho-  
 norem Domini, cum de peccatis agitur, nullam prorsus habere volo quæ-  
 stionem. Inde enim scimus quod ei plus gratiæ collatum fuerit, ad vincendũ  
 omni ex parte peccatum: quod concipere, ac parere meruit eum, quem con-  
 stat nullum habuisse peccatum. Aperte significat virginem Mariam, nullo  
 vnquã

Tho: 3.  
 p. q. 27.  
 ar. 4.

2. Cor. 3.

Lue. 2.

2. Cor. 6

Sap. 1.

Aug. de  
 N. et Gra  
 c. 36.

vnquam fuisse peccato, vel in inutissimo obligatam.

Ambrosius  
de vi rg.  
lib. 2.

**DIVVS** Ambrosius eidem non corporis modo, verum etiam mentis perpetuam continentiam tribuit, ita inquit, secundo de virginitate libro. Quid nobilior Deimatre? quid splendidius ea, quã splendor elegit? quid castius ea, quæ corpus sine contagione generavit? Virgo erat non solum corpore, sed etiam mente, quæ nullo doli ambitu, syncerum adulteraret affectum.

Bernardus

**DIVVS** Bernardus hanc mentis perpetuam virginitatem, virgini Deimatri, multis in locis indubitanter concedit. Etenim sermone de assumptione virginis secundo, cuius initium est, Intrauit IESVS in quoddam castellum, sic ait. Virginalem etenim domum intelligi volens spiritus, siluit non incongrue poenitentiam, quæ malum utique comitatur. Absit enim ut proprii quicquam inquinamenti, domus hæc aliquando habuisse dicatur, ut in ea proinde scopa Lazari quæreretur. Deinde paulo post ita subiungit, ut omnino piû est credere, proprium Maria delictum non habuit, & ab innocentissimo corde etiam poenitentia longe fuit.

**IDEM** sanctissimus & illuminatissimus doctor eo in sermone, cuius est initium, Signum magnû apparuit in celo &c. de virginis summa & singulari puritate differens sic ait. Eius omnia tam excellenter irradiata noscuntur: ut nihil in ea, non dico tenebrosum, sed neque obscurum, vel saltem minus lucidum, sed neque tepidum quiddam, aut non feruentissimû liceat suspicari. Nullum igitur actuale peccatum habuit, quod si habuisset, minus in ea aliquid lucidum fuisset.

**HANC** etiam conclusionem Theologi omnes, qui scholastici nominantur, non comprobaerunt modo, verum etiam defendendam: & rationibus confirmandam susceperunt: quemadmodum satis constat ex 3. sent. distin. 3. Omnino igitur sic habendum est, beatam virginem, nullum vnquam actuale peccatum admisisse, id quod cum orthodoxorum omnium animis semper fuit persuasum, tum à sanctis patribus, quemadmodum docuimus, est traditum.

**HVIC** tamen verissimæ conclusioni, vnus Ioannes Chrysostomus videtur aduersari. Etenim explanans illa virginis verba, vinum non habent, posita Ioan. 2. cap. tradit virginem, cum ex aqua vinum à Christo fieri postulauit, humanum aliquid fuisse perpeffam: ut pote quæ vellet gratiam, quæ plurimum apud Christum valebat, ostentare: sibi

que



que gloriam apud homines per tantum filium comparare. Id quod & fratrum <sup>Ioan.</sup> Christi animis irrepisse docet idem Ioannes Chrysoſtomus, cum Christo dixerunt, manifesta te ipsum mundo. Cum igitur gloria sit in peccatis, sequitur beatam virginem non omnino liberam, integramque fuisse à peccato.

D. Thomas sancti Ioannis Chrysoſtomi auctoritatem reueritus, ait ipsum hoc loco modum excessisse, vel certe verba Chrysoſtomi sic putat exponenda, ut dicat, Christum non quidem inanis gloriæ motu in virgine cohibuisse: sed opinionem ei, quæ in animis eorum, qui aderant, potuit excitari, occurrisse: cum dixit. Quid mihi, & tibi est mulier? Nondum venit hora mea, &c.

**SECUNDA** conclusio. Virgo Maria in matris utero est sanctificata. De hac etiam conclusione inter omnes conuenit, nempe cui ratio ipsa vehementissime suffragetur. Namque ut Ioannes Damascenus author est, virgo Maria à nullo insignium & illustrium vincitur, at diuinis literis proditum est, fuisse nonnullos, etiam matrum uteris inclusos, quos Deus sanctificauerit, veluti Hieremiã, & Ioannem Baptistam, igitur id muneris & beneficii fuisse in virginem diuinitus collatum, idque multo excellentius, fatendum est.

Hier. 1.  
Luc. 1.

**ACCEDIT**, quia æquissimum erat, & rationi maxime consentaneum, ut illa quæ utero conceptura, & paritura erat unigenitum à patre, plenum gratiæ, & veritatis, multo aliis illustriora, & insigniora gratiæ ornamenta, & priuilegia acciperet, unde Lucæ primo legimus Angelum eidem virgini dixisse, que gratia plena, at quibusdam sanctis hoc est diuino munere concessum, ut in utero sanctificarentur, quemadmodum docuimus, nihil est igitur dubij, quin id fuerit etiam beatissimæ virgini tributum: sitque proinde sanctificata, priusquàm in lucem ederetur.

Luc. 1.

**HVIC** etiam conclusioni suffragatur sanctorum patrum auctoritas. D. Bernardus in Epistola ad Canonicos Lugdunenses, sic ait. Quod itaque paucis mortalium constat fuisse collatum, fas certe non est suspicari, huic tantæ virgini fuisse negatum, per quam omnis mortalitas emerſit ad vitam. Fuit procul dubio & mater Domini ante sancta quam nata. Neque fallitur omnino sancta ecclesia, sanctum reputans ipsum natiuitatis eius diem: & omnino anno cum exultatione vniuersæ terre, votiuâ celebritate suscipiens. Item sermone de assumptione secundo, sic ait. Quod si originalem à parentibus maculam traxit, sed minus à Hieremia sanctificatam in utero, aut non magis à Ioanne Spiritu sancto repletam credere prohibet pietas Christiana.

Bernar.

D. Illephosus Archiepiscopus Toletanus, eo quem de perpetua virginis integritate scripsit libro, sic ait, Beata virgo Maria nisi in utero matris sanctificata

cata

cata fuisset: minime eius natiuitas colenda esset, sed quia auctoritate sanctorum patrum, digne (vt nouit uestra charitas) veneratur, constat eam ab omni peccato fuisse immunem, per quam non solum Euxæ maledictio soluta est, verum etiam benedictio omnibus condonata.

**TERTIA** conclusio. Beata virgo non est sanctificata ante animationem. De hac etiam conclusione inter omnes Theologos constat. Etenim omnis sanctificatio fit per infusionem gratiæ, nanq; sanctificatio est rationalis creaturæ, vel à peccato quod iam inest emundatio, vel ab eo quod inesse debuit, præseruatio, id quod per infusionem gratiæ perficitur, at creatura ante animationem non est subiectum gratiæ receptiuum, non igitur beata virgo ante animationem sanctificari potuit. Minor ostenditur. Nam subiectum capax gratiæ est anima rationalis: at ante animationem nõ est anima, siquidem anima ipsa sui infusione creatur, igitur ante animationem non est subiectum gratiæ receptiuum.

**PRÆTEREA**, sanctificari supponit esse, igitur quod non est, non sanctificatur: at qui ante animationem virgo non fuit, ante igitur animationem sanctificari non potuit.

**CONFIRMATUR** auctoritate & testimonio D. Bernardi in Epistola ad canonicos Lugdunenses ita dicentis. Non valuit ante sancta esse, quã esse, siquidem non erat, antequam conciperetur, hoc est, in subiectam, & præparatam materiam rationalis anima infunderetur: id quod ad posteriorem hominis conceptionem pertinet. Etenim duplex esse traditur hominis conceptio, vna quæ seminum cõmixtione perficitur, tempore antecedens animationem, cuius iteruëtu formatur embrio. Altera quæ fcetus animatione perficitur, cum scilicet in materiam iam dispositam, ac præparatam animus infunditur. Hæc dici consuevit hominis conceptio, nempe quia tunc primum homo in matris vtero constituatur, vnde & natiuitas in vtero appellatur: iuxta illud Math. i. Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est. Huic succedit natiuitas ex vtero, quæ est infantis in lucem profusio, & editio.

**QVARTA** conclusio. Virgo beata sic est à Deo sanctificata, vt vi huius sanctificationis, sit plenitudinem gratiæ consecuta. Huic etiam conclusioni omnes Theologi assentiuntur: eiq; ita fidem faciunt. Quanto aliquid accedit proprius ad principium in quolibet genere, tanto plus effectum illius participat: & influxum ipsius recipit, at beata virgo maxime, ac proxime accessit ad principium gratiæ: igitur effectum gratiæ, siue effectus gratuitos maxime participauit. Minor ostenditur hoc pacto. Christus est principium gra-

tiæ, per authoritatē quidem, quatenus Deus est, instrumentarie vero, qua homo est, vnde & Ioannis. 1. dicitur, gratia & veritas per Iesum Christū facta est, virgo autē beatissima Christo maxime appropinquavit, vt pote quæ ipsū carnis & sanguinis societate attingeret, ad principium igitur gratiæ proximè accessit.

Ioan. 1.

**HVIC** tamen conclusioni duo videntur obstare, & quod gratiæ plenitudo, sit proprium quiddam Christi, iam autem quæ Christi sunt propria, nulli sunt attribuenda, & quod pleno non possit aliquid addi, at ad virginis gratiā per totam vitam accessio facta est, vt quæ esset viatrix, & in dies magis amādo & colendo Deum proficeret: non videtur igitur initio plenitudinem gratiæ consecuta.

Ioh. 1.

**PRIOR** refutatio conclusionis, distinctione diluitur. Multum siquidem interest inter plenitudinem gratiæ Christi, & plenitudinem gratiæ ipsius virginis. Nam Christo data est gratiæ plenitudo tanta: quæ posset etiam in alios redundare, vt qui futurus esset caput ecclesiæ, è quo membra essent gratiam acceptura. Vnde Ioannis. 2. dictum legimus, de plenitudine eius omnes accepimus. Fuit etiam ille homo **I E S V S** Christus prædestinatus filius Dei, quam eius celsissimam dignitatem decebat tanta gratiæ plenitudo, vt nulla eidem accessio fieri posset. At beata virgo electa est diuinitus, vt esset mater vnigeniti filij Dei, quæ eius dignitas postulauit, vt tantam gratiam assequeretur, quanta in ea requirebatur quæ filium Dei esset castissimis visceribus conceptura, futura sinu, & manibus tractatura.

**POSTERIORI** vero refutationi ita occurrendum putamus: vt dicamus, triplicem fuisse in virgine gratiæ perfectionem. s. disponentem, confirmantem, & consumatā. Prima perfectio gratiæ fuit in virgine ante Verbi diuini conceptionē, idq; à primo sui ortu: qua gratia effecta est idonea maternitati diuinæ. Hæc gratiæ perfectio ad sanctificationē virginis est diuinitus instituta. Secūda gratiæ perfectio fuit in virgine post conceptionē filij Dei, tum siquidem ad ipsius gratiam tanta perfectio accessit, vt eius interuentu in bono confirmaretur. Tertiam gratiæ perfectionē virgo beata est consecuta, cū est ad sempiternā beatitudinē prouecta. Etenim in ipsius glorificatione est eius gratia cōsumata, vt quæ ipsam perficeret fruitione sempiterni boni, & cumulari omnino bono. Huic tantæ gratiæ nulla potuit neq; potest fieri additio: primæ tamen, & secundæ gratiæ perfectioni, potuit.

Ioh. 1.

Ioh. 1.

Ioh. 1.

Ioh. 1.

Ioh. 1.

Ioh. 1.

Ioh. 1.

Ioh. 1.

Ioh. 1.

Ioh. 1.

**QVONIAM** vero ad plenitudinem gratiæ, illæ etiam gratiæ pertinent, quæ dicuntur gratis datæ: quæri hoc loco non immerito potest, an ne beata

Ioh. 1.

virgo has etiam gratias acceperit? Dicimus beatam virginem has etiam gratias accepisse, quamuis non omnium usum habuerit, nusquam enim legimus virginem aut docuisse, id quod ad sapientiam pertinet, aut miracula edidisse, id quod ad gratiam miraculorum attinet: legimus tamen virginem prophetasse, id quod satis constat ex cantico ipsius, Lucæ primo capite. Nō est autem, quod ad doctrinam pertinet, beata virgo vsa dono sapientiæ, quoniam id cum sexu muliebri minime congrueret, sitque præsertim apostolica autoritate interdictum: quemadmodum ex illa apostoli sententia posita. i.

1. Timot.

Timoth. 2. aperte intelligitur, quæ ita habet, docere autem mulieri non permitto. Id vero quod vulgo dici consuevit, virginem scilicet beatam Christi discipulos de rebus ad fidem attinentibus, de conceptu videlicet Christi, de natiuitate, deque Magorum aduentu, & de multis aliis rebus, quæ ipsi non viderunt, instituisse, id vt verum esse potuerit, diuinis tamē literis nō est proditum: quibus tamē proditum est, Spiritū sanctum docuisse apostolos omnē veritatē, deq; iis omnibus eos instituisse, quæ ad fidem pertinebant in quibus erant, Christi conceptio ex Spiritu sancto: & natiuitas ex virgine, quæ eadē etiam in symbolo, ab apostolis, post aduentum & illapsum Spiritus sancti edito, explicata sunt.

VSVM porrò miraculorum, interim dum viueret, non habuit, quoniam Christi doctrinā miraculis eiusdem Christi fuit comprobanda: vnde neque etiam D. Ioanni est diuinitus concessum vt miracula faceret, (etenim Ioan. 10. scriptum legitur, Ioannē signum fecisse nullum) vt. s. omnes Christū suspicerent, illique se se dederent. Cæterum discipulis Christi, tanquam baiulis doctrinæ eiusdem Christi, diuino munere tributum est, vt miracula ederent, quo & euangelicam doctrinā confirmarent, & Christianam fidem hominibus facilius persuaderent.

Ioan. 10.

**QVINTA** conclusio. Beatissima virgo Maria non solum non peccauit vnquam: sed neque peccare etiam potuit. Conclusio hæc quinta quoad vtrāq; sui partem omnibus probata est, sed de causa impeccabilitatis, siue immunitatis à peccato non constat inter omnes. Quocirca variæ sunt nobis iam

Thom. 3.

d. 2. q. 2.

ar. 1. & 3.

item. 3.

p. 9. 27.

ar. 3.

ar. 3.

ar. 3.

ar. 3.

hoc loco doctorum hominum sententiæ exponendæ. D. Thomæ sententiæ his propositionibus explicatur.

**PRIMA** propositio. In priore virginis sanctificatione, ea. s. quæ filij Dei incarnationē antecessit, mansit in virgine fomes secundum essentiam: ita tamen ligatus & impeditus per gratiam sanctificantem, vt neq; ad malum ipsam impelleret: neq; ab honesto & bono retardaret.

**SECUNDA** propositio. Immunitas à peccato in virgine ante conceptionem Verbi ortum habuit ex fomitis religatione: ac præpeditio. Hæc porrò fomitis ligatio proueniebat cum ex abundantia gratiæ, quam in priore illa sanctificatione recepit, quæ & si fomitem non sustulerit, continuit tamen naturalem ipsius impulsus, & repressit vsque adeo, vt nõ modo in actionem vnquam erumperet contrariam gratiæ: sed neque in actionem, quæ præter gratiam esset: tum vel maxime ex diuina prouidētia virginem protegente, seseque ad interiora, & exteriora ipsius infallibiliter & efficacissime extendente.

**TER TIA** propositio. Post filij conceptum, fomes est ipsi virgini ademptus omnino, hoc est, quoad essentiam. Nam cum primo in carne Christi apparuit immunitas à peccato & damnatione: omnino credendum est ex prole eandem immunitatem in matrem redundasse, fomite omnino sublato & adempto. Ita immunitas à peccato in virgine, post filij conceptum, ortū habuit ex fomitis extinctione. Hæc porrò fomitis extinctio sic est intelligenda, vt fuerit beatæ virgini munere diuino concessum: ea esset virium & facultatum animi ipsius affectio & dispositio, vt vires inferiores nunquam mouerentur sine arbitrio rationis, quemadmodum in Christo fuit, quem constat peccati fomitem non habuisse, & in Adamo itidem, vi originalis iustitiæ. Ita fit, vt quoad hunc effectum, gratia posterioris sanctificationis in virgine, vim obtinuerit iustitiæ originalis. Hæc est D. Thomæ, de causa immunitatis à peccato in beata virgine sententia.

D. Bonauenturæ sententia duabus propositionibus continetur, quarum hæc est prior. In priore sanctificatione datum est virgini vt omnia & singula cuiuscunque generis peccata vitaret, gratia ipsa liberum eius arbitrium ad bonum sufficienter impellente. Cum gratia tamen in priore sanctificatione virgini tributa, coniuncta erat flexibilitas liberi arbitrij in malum. Nam tamen si illa gratia liberum virginis arbitrium sufficienter ad bonum incitaret, & à malo retraheret, non tamen erat sufficiens ad tollendam liberi arbitrij in malum vertibilitatem: quam etiam Homo habuit in primo illo statu.

**SECUNDA** propositio. In posteriore sanctificatione virgo beata effecta est omnino impotēs ad peccandū, non quidem liberi arbitrij natura, aut imutata, aut sublata, sed defectu ipsius sublato. Nāq; libera hominis volūtas perse affecta est ad cōtradiçtoria, ad cōtraria vero per accidēs, ex quo fit vt flexibilitas ad malū non tam ad libertatē volūtatis, quam ad defectū ipsius per

Gabr. 3.  
d. 3. q. 1.  
ar. 3.

tineat, qui defectus est virgini ademptus, tum per fomitis repressionem, siue extinctionem, qui ad malum minime incitabat, tum per gratiæ plenitudinem, quæ ad bonum impellebat: tum demum per diuinæ providentiæ perpetuam assistentiam, quæ ipsam ab omni peccato immunem, integram, & liberam perpetuo conseruauit, quemadmodum etiam primum hominem ab iis quæ nocerent omnibus, vindicauit. Hæc nobis sententia probatur. Ita impeccabilitas, & immunitas à peccato in virgine, ortum habuit, ex fomitis restrictione, siue ademptione, ex gratiæ plenitudine: ac demum ex diuina protectione.

**EXISTIT** tamē hoc loco haud vulgaris, & contēnenda dubitatio, quomodo scilicet cum impeccabilitate virginis coniuncta esse potuit facultas ad merendum? Ratio porro dubitandi in eo posita est: quoniam necessario cōfitendum sit beatam virginem aut potuisse peccare: aut non potuisse mereri, id vero sic conficitur. Oblato obiecto virgini beatæ, pro eo tempore quo tenebatur elicere actum circa illud obiectum: aut potuit ipsa virgo non elicere actum circa tale obiectum, aut certe non potuit non elicere, gratia ipsa à peccato omissionis præseruante: si potuit non elicere, potuit igitur peccare, ac proinde non est ei omnis ad peccandum adempta facultas: si vero non potuit non elicere, operatio igitur elicita circa tale obiectum non erat sita in potestate voluntatis, ac proinde non erat meritoria, namque operatio meritoria, est operatio voluntate suscepta. Non videtur igitur posse conuenire, & congruere impotentiam ad peccandum, cum potentia ad merendum.

Gabr. 3.  
d. 3. q. 2.  
ar. 2.

**SUNT** qui hunc nodum ita dissoluendum putent vt dicat, potuisse quidem virginem circa tale obiectum minime elicere actum, non elicendo tamen, in peccatum omissionis minime incurrere. Horum vero sentētia quo fiat planior, nonnullis eā propositionibus explicamus.

**PRIMA** propositio. Beata virgo potuit ab omni actione meritoria supersedere, etiam tunc, cum eam tenebatur elicere. Namque omnis actus elicited à voluntate, est situs in potestate voluntatis: cum voluntas sit libera libertate contradictionis, at gratia in virgine, naturæ vim nō abstulit, sed perfecit potius, & absoluit: omnis igitur operatio voluntatis elicita in virgine erat posita in potestate ipsius voluntatis: ac proinde potuit ab omni actione meritoria supersedere, etiam tunc, cum tenebatur eam suscipere.

**SECUNDA** propositio. Beata virgo non eliciens actum circa tale obiectum

iectum, minime peccaret peccato omissionis. Nam Deus continuo concurrisset, efficiens in virgine operationem circa illud obiectum, qua actionis procreatione fieret, ut beata virgo peccatum omissionis declinaret, ut que haberet operationem debitam circa tale obiectum, licet non à se elicitam, sed à Deo in ipsa causatam.

SI quis contra obiiciat, omittens id ad quod tenetur, peccat: at beata virgo non eliciendo actionem, omittit id ad quod alioqui tenetur, peccatum igitur omnino omissionis admittit. Respondent, Deum potuisse instituere, vel certe sic instituisse, ut beata virgo non obligaretur ad eliciendum actionem meritoriam simpliciter: sed solum ad tendendum in obiectum, siue per actionem à se elicitam: & profectam, siue à Deo in ipsa procreatam. Itaque fieret, ut in peccatum omissionis minime incurreret, quandoquidem per actum in ipsa à Deo causatum tenderet in oblatum sibi, & presentatum obiectum.

TER TIA propositio. Beata virgo hoc pacto tendens in obiectum, minime merebatur. Etenim actio meritoria id postulat & requirit, ut sit effectiue ab eo, cuius alioqui est meritum, atqui illa operatio non est à virgine effectiue sed à Deo, quemadmodum docuimus, non est igitur meritoria. Quamuis igitur beata virgo susceptis multis & variis, iisque sanctissimis actionibus, toto vitæ decursu, Deum sibi demeruit, omisis tamen actionibus meritoriis peccatum in Deum nullum admisit, quandoquidem haberet in se actionem, per quam in debitum finem tenderet: licet non à se profectam, sed ab optimo & maximo Deo procreatam.

CÆ T E R V M hæc explicatio est fictitia. Frustra siquidem ad miraculum confugitur, cum res ipsa, via altera & ratione, potest obtineri. Quo circa longe aliter hunc nodum putamus esse dissoluendum. Respondemus igitur ad argumentum, beatam virginem potuisse non elicere actionem in propositum obiectum, idque sub sensu diuiso, hoc est, prout ratio & natura voluntatis libere libertate contradictionis postulat: non potuisse tamen non elicere, sub sensu composito, id est, prout voluntas virginis suberat gratiæ diuinæ præseruanti, & protegenti, eliciendo tamen merebatur, siquidem diuinitus protecta, & in bono confirmata, voluntarie operabatur, quicquid operabatur. Meritum autem est operatio voluntaria. Ita cum impeccabilitate virginis conuenire potest quam maxime facultas ad merendum. Alioqui si beata virgo, propter confirmationem liberi arbitrij in bono, & ablationem omnis defectus, non mereretur, neque Christus Dominus meruisset, ut qui nullo modo,

non interuentu gratiæ solum, sed vi etiam naturæ discedere ab officio potuerit. At Christus meruit omni sua actione, igitur confirmatio in bono, & impotentia ad peccandum non repugnant potentiæ & facultati ad merendum.

**S E X T A** conclusio. Virgo beata originalis peccati labem minime contraxit, licet potuerit contrahere. Hæc conclusio quoad priorem sui partem non est omnibus probata. Sunt enim qui putent, & constanter asseruerent, beatam virginem non fuisse exemptam à communi lege mortalium, quæ non solum in corpus, verum etiam in animum dominatur.

Quocirca eam, peccati illius communis, quod originale dicitur, labem contraxisse putant: idque cum multis, tum his potissimum rationibus, & argumentis volunt esse persuasum.

**CHRISTVS** est vniuersalis hominum redemptor, igitur beata virgo est in peccato omnium hominum communi concepta. Consecutionis vis in eo tota est posita, quia si beata virgo peccatum originale non contraxisset, non indignisset redemptione per Christum, non enim est opus bene habentibus medico: sed male habentibus, itaque fieret, vt aliquis mortalium subtraheretur redemptioni factæ per Christum, ac proinde Christus non fuisset vniuersalis omnium hominum redemptor: id quod multum detrahit Christi dignitati & excellentiæ.

**P O R R O** antecedens illud, nempe Christum esse vniuersalem omnium hominum redemptorem, diuinæ literæ testantur. Dicitur enim ad Romanos quinto capite, Christus pro omnibus mortuus est. Item, reconciliati sumus per mortem filij eius: at non reconciliatur nisi inimicus: est autem ille solus inimicus qui peccato obligatus tenetur, igitur & beata virgo fuit ipsi Deo per Christum, propter peccatū, reconciliata.

**P R Æ T E R E A** beata virgo fuit ex semine Adami infecto, & cum libidine, ac concupiscentia generata, igitur originale peccatum contraxit, consequentiam confirmat Augustini autoritas, eo quem de nuptiis, & concupiscentia scripsit libro, quo loco ita inquit. Ex hac concupiscentia carnis quæcunque nascitur proles, originali est obligata peccato, nisi in illo renascatur, quem sine ista concupiscentia virgo concepit.

**A D** hæc, non est tantum tribuendum gloriæ ipsius virginis, vt honori filij detrahatur, iuxta illam vatis sententiam, honor regis iudicium diligit, at hoc est proprium ipsius Christi, vt sit sine peccato conceptus, & natus, non est igitur hoc alteri tribuendum.

ADDE,

Tho. 3.  
p. q. 27.  
ar. 2.

Mat. 9.

Rho. 5.

Tho. 3. p.  
q. 27. ad  
4.  
Aug. de  
nuptiis  
li. 1. c. 24.



**ADDE**, quia si beata virgo è vita decessisset ante passionem Christi, intrasset regnum coelorum, vt quæ nullo peccato obstricta teneretur: itaque eueniret vt apertio regni coelestis non fuisset specialis effectus passionis ipsius Christi.

**PRÆTEREA** omnes Theologi, quique res diuinas tractauerunt constanter affirmant, virginem beatam fuisse in matris utero sanctificatam: at nemo sanctificatur nisi ab immunditia peccati, habuit igitur beata virgo peccatum.

**PRÆTEREA**, beata virgo pertulit mortem, cæterasque omnes imbecillitates, & defectibilitates, quæ in cæteris hominibus, qui originale peccatum contraxerunt, cernuntur, habuit igitur originale peccatum. Consecutio hinc intelligitur, quoniam originale peccatum est causa mortis, cæterarumque omnium incommoditatum, & imbecillitatum.

**PRÆTEREA**, beata virgo fuisset maiori à Deo beneficio affecta, si à peccato, quo obligata tenebatur, liberata fuisset, quam si ab eo fuisset præseruata: fatendum est igitur illam aliquando peccato obnoxiam fuisse.

**ADIVNGE** his, quia non omnia, quæ esse per diuinam potentiam poterunt, ornamenta, videntur in virginem conferenda: nam dici etiam posset illam fuisse generatam sine viri concubitu, & fuisse statim ab ortu & conceptu beatam: quæ tamen virgini non tribuuntur, igitur, &c.

**ITEM**, quando lex est aliqua communis instituta, & diuinis literis prodita, nemo est eximendus ab illa lege, nisi exemptio sit diuinis literis expressa, & patefacta, at diuinum extat decretum, diuinis etiam literis consignatum, vt omnis homo, qui virili satu ex Adamo progeneratur, peccatum originale contrahat, à quo eodem decreto beatam virginem fuisse exemptam nullibi sacræ literæ testantur, relinquitur igitur communem cum cæteris legem subiisse.

**POSTREMO**, posita causa sufficiente, ponitur etiam effectus: at carentia originalis iustitiæ cum debito habendi ipsam, vel est ipsum originale peccatum: vel certe sufficiens ipsius causa, relinquitur igitur posita huiusmodi carentia, poni quoque originalem culpam, atqui omnes ab Adamo virili satu propagati nascuntur carentiam habentes originalis iustitiæ cum debito habendi ipsam, nascuntur igitur obligati originali culpa, &c.

HIS argumentis effectum esse volunt, virginem beatam originalis culpæ labem minime euasisse, imo vero contraxisse. Adiungunt præterea ad huius sententiæ confirmationem cum diuinarum literarum: tum sanctorum patrum testimonia. Ac sanctarum literarum hæc suppetunt testimonia. 3. Reg. 8. Non est homo qui non peccet, hoc non intelligitur de actuali solum peccato, hoc siquidem multi euaserunt, vel saltem beata virgo euasit de sententia omnium, de originali igitur est intelligendum.

**Iob. 15** I O B. Nemo mundus a sorde, neque infans cuius est vnus diei tempus super terram. **Rom. 3.** omnes in Adam peccauerunt. Item, c. 5. In omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt. Item, per vnus delictum omnes homines in condemnationem constituti sunt. Item, eramus natura filij iræ, sicut & ceteri.

**Eph. 2.**

**Aug. li. 2**  
cōtra Iu  
uenianū.

**ORTHODOXORVM** porrò patrum testimonia, quæ proferuntur, hæc sunt potissima. Augustinus contra Iuuenianum ita inquit, omnes diuinorum eloquiorum tractatores aduersus nos proferunt omnium hominū peccato originali obnoxiam sententiam, vnde nemo eruitur, nisi quem sine lege peccati repugnante virgo concepit.

**Aug. de**  
ciuit. dei  
li. 13.

**ITEM** alibi. Omnes in illo fuimus, quando vnus omnes corruptit, qui per foeminam lapsus est.

**August.**  
de fide ad  
Petrum.

**IDEM** apertius hoc ipsum affirmat eo, quem de fide ad Petrum conscripsit libro, ita inquit (id quod etiam positum est de consec. dist. 4. cap. firmissime) firmissime tene, & nullatenus dubites omnem hominem, qui per concubitum viri & mulieris concipitur, in peccato originali nasci.

**Ambro.**  
super Lu  
cam,  
**Gregori**  
sup exo.

**AMBROSIVS** super Lucam. Solus de natis ex foemina Dominus Iesus terrenæ contagia corruptelæ non sensit.

**GREGORIVS** super exodum. Omnes in peccatis nati sumus, & ex carnis delectatione concepti culpam originalem nobiscum traximus.

**Bernar.**  
dus.

**ALIQUI** etiam beatam virginem speciatim peccatum originale contraxisse dixerunt: in quibus D. Bernardus in epistola ad Canonicos Lugdunenses hoc ipsum docet apertissime. Vnde ergo, inquit, conceptionis sanctitas? An dicitur sanctificatione præuenta, quatenus iam sancta conciperetur, ac per hoc sanctus fuerit & conceptus: quemadmodum sanctificata iam in utero dicitur, vt sanctus consequeretur & ortus? Sed non valuit ante sancta esse, quam esse. Siquidem non erat antequam conciperetur. Si igitur ante conceptum sui sanctificari minime potuit, quoniam non erat: sed neque in ipso quidem conceptu, propter peccatum quod inerat: restat vt post conceptum

in

in vtero iam existens, sanctificationem accepisse credatur: quæ excluso peccato sanctam fecerit natuitatem: non tamen conceptionem. Hæc Bernardus.

**EXTA** T etiam D. Anselmi, de impuro virginis in matris vtero conceptu, apertum testimonium. Ita enim ait libro secundo eo, qui inscribitur, cur Deus homo. cap. 15. Virgo vnde assumptus est Christus, in iniquitatibus concepta est: & in peccatis concepit eam mater eius: & in originali peccato nata est: quoniam ipsa in Adam peccauit: in quo omnes peccauerunt.

**HANC** sententiam ex scholasticis doctoribus secuti sunt. D. Thomas, & Thomistarum vniuersa fere familia, Bonaventura, Durandus, Henricus à Gandauo. Cæterum inter hosce partim conuenit: partim non conuêit. Cõuenit quidem hætenus: quatenus existimant, & docent, virginem beatam fuisse conceptam in peccato originali, dissident vero inter se de mora durationis, qua in peccato fuit beata virgo. Etenim D. Thomas existimat beatã virginem fuisse in peccato per tempus aliquod, interiectum scilicet inter duo instantia. Nam primo conceptus momento & instanti beata virgo contraxit originalem maculam, secundo deinde instanti purgata est, ex quo efficitur, vt tempore interiecto, peccato fuerit obnoxia. Aliis visum est, beatam virginem primo illo conceptus instanti, quo culpam contraxit, fuisse etiam ab eadem culpa diuinitus liberatam. Ita scilicet vt vnum fuerit instans, & contractionis peccati, & liberationis. Putant enim hi instans temporis diuidi in tria signa, in quorum primo beata virgo peccatum contraxit: in secundo vero gratia sanctificans fuit diuinitus in animam virginis infusa: quæ eadem eodem signo simul mansit cum peccato: in transitu tamen, & secundum esse incompletum. Nam expellens, & expulsum oportet esse simul: gratia auté expultrix est peccati. In tertio porrò signo gratia fuit in virgine secūdam esse permanens, & peccatum omnino expulit. Hæc tamen sententia non est ab intellectu perceptibilis: siquidem omni ex parte implicitã contineat repugnantiam. Nam illud instans temporis, quod tribuitur in signa, aut diuiditur in multa distincta realiter, aut in multa distincta solum ratione, & animi perceptione: si in multa realiter distincta: igitur indiuisibile secundum rem: est diuisibile secundum rem: id quod aperte repugnat: iam autem omnes philosophi per instans temporis intelligunt mensuram durationis re ipsa indiuiduam. Sin vero in multa solo conceptu animi distincta, fit illa instantis diuisio: igitur gratia & culpa sunt simul secundum esse perfectum, pro eadem indiuisibili mensura secundum rem: & proinde etiam pro eodem secundum rem signo: id quod apud aduersarium est impossibile.

Henri.  
quod. li.  
6. q. 13.

SUNT qui putauerint, virginem beatam integro temporis instanti fuisse in peccato, toto vero tempore illi eidem instanti copulato fuisse in gratia. Etenim aiunt filium tam cito matrem à peccato liberasse: quam cito illud fieri potuit, at fieri potuit, ut aliquis per solam instantis morulam sit in peccato: tempore vero toto in sequenti sit in gratia: igitur virgo beata instantis morula fuit in peccato, tempore vero copulato fuit in gratia, itaque effectum est, ut tam cito fuerit liberata, quam cito illud fieri per diuinam omnipotētiam potuit. Porro illud esse possibile confirmant, hoc maxime argumento: quia vi & facultate naturæ effici & obtineri potest: ut aliquid per solam instantis morulam maneat in vna aliqua actuali dispositione. Argumēto est faba sursum mota, cui si in vltimo instanti sui motus, quo attingit terminum, occurrat molaris lapis descendens deorsum: manet illa quidem in termino sui motus per instans solum: alioqui si per tempus maneret: oporteret molarem lapidem quiescere à faba sustentatum: id quod est impossibile.

HÆC tamen opinio vndique se ipsam euertit. Nam cum gratiæ infusio, de illorū etiā sententia, fiat in instanti, iam quaeritur, ane inter instans quo beata virgo fuit in peccato, & instans infusionis gratiæ medium tempus interiacet, necne? Si interiacet: igitur virgo beata nō solum per instans: verum etiam per totum tempus mediū fuit in peccato. Consecutio probatur: quoniam de illorū etiam opinione, & sententiā, peccatū non pellitur, nisi per gratiæ infusionem. Sin vero non intercedit tempus medium, dantur igitur duo instantia immediate hærentia: contra quod docet Arist. 6. Physi. Ad argumentum vero respondetur, fabæ accessum continuari cum recessu eiusdem ab eodem termino, non quidem per se: sed per accidens, hoc est, propter nimiam vim corporis exuperantis, & violentantis. Mouetur enim faba sub hoc euentu, motu lapidis descendentis: qui ipse non fit in instanti, sed in tempore. Exposuimus illorum sententiam, qui putant beatam virginem fuisse in peccato originali conceptam: quæ & si veteribus probata est, certe recentioribus indigna visa est, in quam pedibus irent.

Scot. 3. I O A N N E S igitur Scotus, & ipsius omnes studiosi, & multi alij virginem beatam exemptam fuisse asserunt à communi lege mortalium: ita scilicet ut peccatum originale minime contraxerit: sed pro eodem instanti, quo contrahere potuit, & debuit, fuerit diuinitus præseruata. Ita effectum est ut vnum & idem instans extiterit creationis animæ beatæ virginis: & sanctificationis ipsius. Non fuit igitur beata virgo prius sanctificata, quam esset: neque post quā fuit, sed simul creata, & sanctificata est.

HANC

**HANC** porrò sententiam argumento confirmant sumpto ex sufficient<sup>e</sup> partium enumeratione. Nam si Christus matrem suam minime præserua-  
uit ab originali culpa, eo fuit profecto, quia aut non potuit, aut non decuit il-  
lud fieri, aut certe quia & si decuerit, & possibile illud fuerit, non tamen volu-  
erit illud facere, & præstare matri suæ. At nihil horum dici & affirmari po-  
test. Principio non est asserendum illud factu fuisse impossibile: namque illa  
impossibilitas ortum habuisset necessario aut ex defectu diuinæ virtutis, aut  
ex effectu, aut ex incapacitate subiecti, non ex defectu diuinæ virtutis, siqui-  
dem non est impossibile apud Deum omne verbum: neque itidem ex effe-  
ctu, nam qui valet efficere quod maius est, potest etiam efficere id quod mi-  
nus est ad idem genus pertinens: atqui potuit Deus sumus & præpotens na-  
turam mentis participem, peccati omnis expertem procreare, id quod effe-  
ctum est in Angelis, igitur potuit naturam mentis compotem à peccato,  
quod inesse debuit, præseruare. Illud siquidem multo maius est, quam hoc  
posterius. Neque itidem illa repugnantia ortum habuit ex incapacitate sub-  
iecti, quando quidem virgo beata capax fuerit illius tanti muneris, & gratiæ.  
Quæ enim eò prouecta est vt esset vere, & naturaliter mater Dei, nõne hoc  
beneficio affici potuit, vt sine peccato conciperetur?

**NEQUE** dici potest, illud minime decuisse. Namque diuinam sapientiã  
debet, vt quos alicui muneri destinat: idoneos ad illud obeũdum efficiat: vn-  
de illud est à D. Paulo dictum, idoneos nos fecit ministros noui testamenti,  
at Deus beatam virginem destinatam esse voluit tanto muneri & dignitati,  
vt esset mater Dei: aptissimam igitur effecit tanto muneri: non fuisset autem  
idonea mater Dei: si aliquando fuisset peccato obnoxia: id siquidem dedece-  
bat virginẽ, quæ futura aliquando erat summi Dei mater: namque aliquan-  
do in seruitutem diabolo tradita fuisset: id quod non in matris solum, verum  
etiã in Christi ignominiam redundabat: relinquatur igitur decuisse summã  
Dei sapientiam, vt matrem suam à tantã ignominia, gratia præueniente, li-  
beraret.

**PRÆTEREA** fuit longe decentissimum, vt virgo mater Dei præstan-  
tissimo sanctificationis modo possibilis sanctitatem consequeretur: iam vero  
cum tres sint sanctificationis modi posibles, in vtero scilicet materno, post  
conceptum, id quod diuino munere nonnullis legimus esse concessum, extra  
vterum, cum scilicet homo est iam editus in lucem, id quod quotidie fit in  
ecclesia, diuinæ legi & instituto consentaneæ, & in ipso conceptu, vt scilicet v-  
num & idem sit instans conceptionis, & sanctificationis, id quod nulli adhuc

Gabr. 3.  
d. 3. q. 1.  
ar. 2.  
Diony.  
chart. 3.  
sent. d. 3.  
q. 1.  
Cathari-  
nus in  
tractatu  
de im-  
macula-  
ta virgi-  
nis con-  
ceptiõe  
Luc. 2.

2. Cor. 3.

mortalium, nisi soli Christo est diuinitus tributum: cumque hic sanctificationis modus sit longe omnium præstantissimus: & selectissimus: sequitur virginem matrem Dei fuisse hoc modo præstantissime sanctificatam.

**P O S T R E M O** dici non potest, potuisse quidem Christum matrem hoc modo sanctificare, noluisse tamen: ita enim fieret, ut Christus eam, quam debebat, matri pietatem: & beniuolentia minime præstitisset: ut qui à tanta ignominia, tantoque dedecore potuerit matrem vindicare, non vindicauit tamen.

**A C C E D I T**, quia maiore est honore mater afficienda: quam seruus: at Christus seruis suis, hoc est, mentibus Angelicis huic honorem tribuit, ut immunes, & integri ab omni peccati labe essent: multo igitur magis credendum est Christum id honoris, & beneficij in matrem contulisse. Est igitur omnino illud confitendum, fuisse beatam virginem à macula originalis culpæ præseruatam, neque vllò vnquam tempore peccato obligatam fuisse: sed eo momento, quo originalis hæc labe contrahitur: fuisse diuinitus effectum: ne virgo beata contraheret. Quam eandem sententiam, ut quæ modum sanctificandi explicet diuinæ virtuti possibilem, probabilem esse non abnuunt aduersarij. Sic enim aiunt.

Caiet. 3.

P. q. 27.

ar. 2.

**S I** autem tenetur beatam virginem, non ex vi conceptionis: sed ex gratia singularissima, in ipso instanti infusionis animi infusa ipsi animæ, præseruatam ab originali peccato: quod tunc incurrisset, nisi illa gratia affuisset: nihil contra fidem tenetur: sed specialis modus redimendi ac saluandi à peccato originali Christo attribuitur, respectu suæ matris. Sic enim ipsa beata virgo indiguit redimi, & saluari à peccato per Christum. Quoniam ipsa tunc incurrisset peccatum: nisi munus gratiæ præuenientis non tempore, sed natura affuisset. Et ita puritas eius fuit maxima sub Christo, qui nullo modo indiguit redimi, ut qui ex vi suæ conceptionis fuerit sanctus. Probabilis profecto opinio, nisi sanctorum antiquorum authoritas obstaret. Hæc Caietanus & sensit, & in scriptis reliquit, vel ab ipsa veritate coactus.

**S V P E R E S T**, ut quæ huic sententiæ, quam recentiores Theologi defendendam, & explanandam suscepunt: & pij omnes mirifice amplectuntur: & ecclesia, festo die instituto, comprobauit: & Deus Opti. & Maxi. multis editis miraculis non patefecit modo, verum etiam confirmauit, aduersantur argumenta, diluamus.

**P R I M V M** igitur argumentum diluitur negatione consequentiæ. Namque beata virgo fuit etiam à peccato redempta, non quidem à peccato quod  
infuit

infuit: sed à peccato, quod de lege cõmuni, inesse debuit: id quod est redimere  
 præseruatiue. Hoc modo est accipienda illa sapientis sententiã. Animam illius Pro. 23.  
 ab inferno liberaſti, id est, anima illius ad inferos descendisset: nisi admonuiſ-  
 ses: & à peccato ipsum auocasti. Sic etiam beata virgo in peccatum pro-  
 cul dubio incurriſſet: nisi præseruata diuinitus fuisset. Quod genus redem-  
 ptionis speciale est, tributum illud quidem Angelis, & diuino munere con-  
 cessum virgini. Etenim, auctore diuo Bernardo, Christus Angelos & homi-  
 nes redemit, illos quidem præseruando, hos vero purgãdo. Ac illud redem-  
 ptionis genus, quod in præseruatione à peccato positum est, multo est præ-  
 stantius: quam hoc posterius. Ex quo effectum est, vt beata virgo fuerit excel-  
 lentius redempta, quam cæteri homines: ac maius proinde à Deo beneficiũ  
 acceperit. Etenim maius beneficium est, præseruare à morbo, & à vulnere:  
 quam vulnus inflictum sanare. Fuit etiam beata virgo Deo reconciliata per  
 mortem filij eius: non quia actu aliquando fuerit inimica: sed quia, quantum  
 est ex parte sui, futura fuisset inimica: nisi merito passionis fuisset præseruata.  
 Ad secundum respondetur beatam virginem originale peccatum habuisse,  
 se, non quidem actu & formaliter, sed de possibili, & radicaliter. Etenim de  
 lege cõmuni formaliter peccatum contraxisset, nisi fuisset diuinitus præser-  
 uata. Habebat enim vnde contraheret. Namque in corpore virginis, ante in-  
 fusionem animæ, inerat inclinatio ad malũ, & corruptio seminis infecti pro-  
 fecta ex deprauatione totius naturæ: & radicalis quædam dispositio ad con-  
 trahendum originale peccatum: quod procul dubio contractum fuisset, si ani-  
 ma corpori non purgato coniuncta fuisset. Deus igitur ante infusionem ani-  
 mi purgauit illud corpus: & abstulit ab eo omnem infectionem: itaque cor-  
 pus illud sanctificatum est, & sanctificato corpori est animus infusus. Non  
 tamen hoc sic intelligendum putes: quasi corpus inquinat animum coniũ-  
 ctum: quemadmodum manus sordida inquinat pomum apprehesum, (ete-  
 nim spiritalis, & incorporea substantia, infici non potest ab aliqua corporis  
 qualitate) sed quia decreto diuinę sententię, in vltionem preuaricationis Adę,  
 ipsa animi cum corpore coniunctione, illa labes contrahatur. Est enim diu-  
 nitus decretum, vt omnis anima quæ corpori ex semine Adę, infecto eo  
 quidem, & deprauato, fato coniungitur, maculam illam peccati contrahat.  
 Ita fit, vt corpus infectum, sit causa sine qua non.

S V N T qui putent in semine, ex quo fatum est, & generatum corpus bea-  
 ræ virginis, nullam vnquam fuisse infectionem: sed illud semen fuisse prius pur-  
 gatum, quæ ex eo formaretur corpus virginis.

ALII visum est, fuisse quidem virginem ex semine infecto conceptam; ceterum diuinitus factum esse, vt illius infectio, & deprauatio in virginem minime redundaret. Nam, vt diuinus ait Apostolus, figulus ex eodem luto, vnum vas facit in honorem, & aliud in contumeliam. Hanc sententiam existimat Caietanus esse magis, cum rationi consentaneam, tum cum diuinis literis congruentem. Porro Augustini sententiam paulo post interpretabimur.

AD tertium respondetur, multum interesse inter Christum, & virginem. Nam Christus originale peccatum non habuit neque formaliter, neque radicaliter, vt qui fuerit ex Spiritu sancto, ex purissimis virginis sanguinibus conceptus, at beata virgo, & si non habuerit formaliter, habuit tamen radicaliter. Item Christus, ex visui conceptus, fuit sanctus, beata virgo non item: ex quo illud deinde consequitur, vt Christus non indigerit redemptione præseruatiua, at beata virgo indigerit. Item esse expertem omnis peccati Christo conuenit per naturam: propter vnionem personalem: sed virgini id continet per gratiam. Illud infinitæ excellentiæ est, hoc summæ gratiæ. Nihil ergo detrahatur honori, & excellentiæ Christi, cum tam aperta sint, tamq; insignia inter Christum, & virginem discrimina, & differentia.

AD quartum, negatur cõsecutio. Deus enim decreuit vt nulli ante Christi passionem, & eiusdẽ in cœlum ascensum, ianua cœli pateret: quamuis ab originali peccato liber è vita decessisset. Quocirca fuisse virgini, si ante exhibitam Christi passionem è vitis discessisset, locus aliquis, siue domicilium quietis assignatum: veluti paradusus terrestris.

AD quintum respondetur, fuisse beatam virginem sanctificatam in matris utero, non quidem à peccati immunditia, quæ infuit: sed quæ inesse potuit, nisi diuina gratia præseruans affuisset. Refertur etiam à Theologis consuevit illa virginis sanctificatio ad gratiæ, & cæterorum ornamentorum spiritualium infusionem, quæ facta est primo instante conceptionis; qua gratiæ infusione effectum est, vt beata virgo sanctificata fuerit, non quidem contrarie, hoc est, quia ab esse peccati transferit ad esse iustitiæ, sed negatiue, quia videlicet non sancta existens, effecta est sancta.

AD sextum respondetur, mortem, & interitum, interne quidem, proficisci ex compositione ex contrariis qualitatibus: externe vero, & tâquam ex remouente prohibens, ab ipso peccato. Vnde & si Christus non fuisset occisus, suæ tamen naturæ derelictus, mortem omnino obiisset. Mors igitur in virgine, vt non fuerit sequela peccati, fuit tamen sequela naturæ. Satis est

etiam,



etiam, ut in virgine fuerit peccatum originale radicaliter. Ex quo effectum est, ut & si Christus virgini culpam, & noxam remisit, non abstulit tamen pœnam. Nam & pœnalitatum perpessio valuit ad meritum.

AD septimum respondetur, beatam virginem maius à Deo beneficium accepisse: cum fuit à peccato, in quod potuit incurrere, præservata: quam si ab eodem iam contracto liberata fuisset. Et certe si argumentum valeret, eodem etiam argumento concludi posset, beatam virginem mortali aliquando peccato subiactam. Etenim à mortali peccato liberata, multo magis Deo obligata fuisset: tanquam à maiori periculo, & damno vindicata. Hinc concludere maiorem esse gratiam præservationis à lapsu, quam subleuationis.

AD octavum respõdetur, Deum virgini præstitisse omnia illa, quorum erat capax, cum pro naturæ humanæ, tum status conditione. Ac convenienter naturæ, non erat capax incorruptibilitatis: convenienter vero status, non erat capax diuinæ conspectionis. Iam vero ut virili fatu minime generaretur, quamvis fuerit factu possibile, non tamen decuit ut fieret. Fuit tamen decentissimum, ut sine peccato conciperetur: tum quia perfectissimum redemptorem deceat perfectissimus modus redimendi respectu alicuius personæ, at erga nullum alterum decebat ut Christus vteretur perfectissimo redimendi modo, nisi circa matrem: hoc igitur est usus in matre: tum quia ignominia matris in filium redundasset. Hinc iam intellige contulisse Christum in matre ornamenta omnia decibilia & possibilia.

AD nonum respondetur satis esse, ut exemptio sit deducibilis in bona consequentia ex sanctis literis: at ita habet in proposito. Nam diuinis literis proditum est, atque patefactum, virginem Mariam esse matrem naturalem, veri & naturalis filij Dei, ex eo concluditur firma & optima consequentia, fuisse beatam virginem præservatam ab omni peccato, non actuali modo, verum etiam originali, quemadmodum paulo supra docuimus.

AD extremum argumentum respondetur, quod quemadmodum in baptismo tollitur debitum habendi iustitiã originalem, dato æquivalente aliquo, nempe gratia, quæ æquivalet iustitiæ originali, ita etiam in ipso virginis primo conceptu ablatum est ei diuino munere, & speciali præuilegio, debitum habendi iustitiã originalem, data & infusa

gra-

Scot 2.  
sent. d. 3.  
q. 1.  
art. 1.  
c. 1.

gratia æquivalente iustitię originali, itaq; effectum est, vt peccato originali obligata, in lucem minime prodierit.

**P O R R O** scripturę omnia testimonia, sunt interpretanda, de lege cõmuni, & regulariter, & iuxta ordinem à Deo institutum: secus habet de speciali priuilegio. Quocirca omnia illa testimonia exponenda sunt hac adiunctio-

ne, regulariter, & de cõmuni lege, nisi aliàs ex speciali priuilegio præseruetur.

Alioqui nisi aliqua fiat adiunctio, etiam Christus illa sententia continetur.

Quemadmodum igitur, quo Christus excludatur, adiūgitur, omnis homo purus, omnis homo ex Adamo virili satū generatus: ita etiam & nos addendum censemus, nisi aliàs diuinitus præseruetur: quo virgo sacratissima excludatur. Simili etiam modo illa Christi apud Mathæum sententia, quicquid ligaueris super terram, &c. exponitur, adiungendum est siquidem, clauē non errante. c. literas. de restitutione.

Mar. 16

**A D D E**, quia nota vniuersalis in diuinis literis, non distribuit pro vniuersis, sed pro maiori parte. Ad partem siquidem maximā, non ad vniuersitatē referenda est illa sententia. Exhibat ad Ioannem Hierosolyma, & omnis iudæa,

Math. 3.

& omnis regio circa Iordanem, id est, pars hominum maxima veniebant ad Ioannem. Multi enim erant, qui non venirent. Sub hoc sensu sunt accipiendæ omnes huiusmodi sententię, videbit omnis caro pariter, quod os Domini locutum est. Item. Totus mūdus abit post eum. Item, omnes quę sua

Isai. 4.

Ioan. 11.

Phili. 2.

Psal. 13.

sunt quærunt. Item, omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt. i. pro maiore parte. Similiter cum dicitur, omnes in Adam peccauerunt, non sic omnes illa sententia complectitur, quin aliquis excipiat.

**S A N C T O R V M** vero patrum sententię sunt accipiendę etiam, regulariter, & consentaneę diuinę legi, & instituto, cui tamē legi Deus potētiam suam minime alligauit. Potuit enim Deus speciali priuilegio alicui creaturę gratiam sanctificantem tribuere in ipso conceptu, itaque peccati contractionem præuenire: id quod fuisse virgini speciali priuilegio cõcessum dicimus.

**S P E C I A L I A** porrò sanctorū dicta: quibus speciatim dicitur beatam virginem habuisse originale peccatum, ex pone, radicaliter. Fuit enim in virgine habitas, & radicalis dispositio ad contrahendum peccati maculam, nisi diuina gratia præuenisset. Sub hoc sensu nos dicimur redempti à morte eterna, non quidem in quam actu incurrimus, sed in quam procul dubio incur-

Dist. 19

ca. ego.

rissimus, nisi morte nos sua Christus liberaisset. Vel certe dicendum cū Augustino, sanctorum sententijs, non esse pro canonicis recipiendas: ac proinde licere easdem vel approbare, vel improbare. Quamuis igitur sic visum sit

patribus:

patribus: nunc tamen nostra memoria longe aliter doctis hominibus visum est, estque hæc de immaculata virginis conceptione sententia, nõ doctis modo probata, verum etiam ab ecclesia recepta. Argumento est festus dies conceptionis virginis memoris consecratus, & ab vniuersali ecclesia summo cum gaudio, & incredibili in virginem pietate, si quis alius, celebratus. Est igitur sic habendum, virginem Mariam fuisse sine peccato conceptam, cum præsertim id neque fidei repugnet: neque oppositum euidenter, aut certe efficaciter concludatur. Ac de virginis puritate hætenus.

## DE BEATÆ VIRGINIS DESPONSATIONE.

## Quæstio. II.

*Utrum verum intercesserit inter Iosephum & beatam virginem matrimonium?*

**Q**UONIAM diuinis literis proditum est, virginem illam, quæ diuinum Verbum non mente solum, & animo: verum etiam vtero est complexa, fuisse viro cuidam regio, Iosepho nomine, Dei summi nutu, collocatam: exquirendum secundo loco duximus: verum ne fuerit beatæ virginis cum Iosepho contractum matrimonium? Quæstioni vero locum illud attulit: quoniam seruandæ perpetuæ virginitatis propositum, non videatur, cum matrimonio congruere: quod non solum animorum, verum etiam corporum mutua consociatione, & traditione constat.

**P**RŌ explicatione igitur propositæ quæstionis, nonnullas subiungimus conclusiones.

**P**RIMA conclusio. Decuit vt virgo Maria virginitatem suam Deo, suscepto voto, dicaret. Etenim laudabilior, Deoque & hominibus commendatior est virginitas voto Deo dicata, quam non dicata, quemadmodum & cætera perfectionis opera: at quod laudem maiorem, & commendationem apud Deum: & homines promeretur, est virgini tribuendum: fuit igitur decentissimum vt ipsius virginitas Deo esset, voto perpetuo, consecrata.

**D**E conclusione, deque ipsius fundamento inter omnes constat, de ratione tamen voti à sacra virgine suscepti, dissidentes extant doctorum hominum sententiæ. Versatur enim in controuersis, fuerit ne votum illud virginis

Tho. 3. p.  
q. 27. ar.  
4.

Deut. 7.

Aug. in  
lib. de S.  
virgini-  
tate. c. 4

absolutū: an conditionatum? D. Thomæ visum est, illud votū fuisse à virginitate susceptum, non quidem absolute, sed sub conditione, videlicet si Deo placeret. Ducitur autem D. Thomas hoc argumento, Virginitas erat eo tempore à lege prohibita, à virgine vero sacra votis erat omnibus expetita. Quoniam igitur à lege prohibita erat, non vouit beata virgo simpliciter, & absolute virginitatem: quia tamen concupita erat, susceptum est votum sub conditione. Hæc gesta sunt tempore antecedente desponsationem.

**CÆTERVM** eadem virgo, contracto cum Iosepho, diuino nutu matrimonio, votum virginitatis perpetuo conseruandæ, simul cum Iosepho, emisit. Etenim beata virgo, contracto cum Iosepho coniugio, intellexit Deo placere conseruandæ perpetuæ integritatis propositum: quo effectum est vt de consensu viri, ante Verbi Dei annunciationem virginitatem simpliciter vouerit. Argumento est illa virginis interrogatio. Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Non cognosco inquam, neque actu, neque potentia, propter emissum scilicet & susceptum votum: quemadmodum hoc loco annotauit Augustinus. Etenim expendens hæc virginis verba sic ait. Quod profecto non diceret: nisi Deo virginem se ante vouisset. In eandem sententiam dicitur. 27. quæstio. 2. capi. sufficiat, neque enim quia tum virum non cognoscebat, necesse erat inquiri: quomodo posset filium habere, sed quia nunquam se cognituram proposuerat.

**DE** consensu viri diximus: quoniam coniugata non potest citra viri consensum, continentiam vouere, nempe quia potestatem sui corporis viro tradidit. Porrò sanctissimum Iosephum, virum Mariæ, simul cum virgine, virginitatem vouisse: rationi valde consentaneum est. Decuit enim diuinam circa virginem prouidentiam: vt virgo virginum, virginem quoque comitem, & custodem sui haberet: alioqui non fuisset beata virgo omni gratia cumulata: vt pote cui hæc gratia in coniugio defuisset: quam etiam illa eadem virgo sumo opere optare, & expetere debuisset.

**HÆC** est D. Thomæ de voto beate virginis sententia. Eadem quoque Magistri sententia est. 4. sent. dist. 30. Eadem Hugonis de S. victore. Eadem continetur. 27. quæst. 2. cap. Beata Maria. Ex qua sententia aperte intelligitur, beatam virginem ante desponsationem, non tam virginitatem vouisse, quam expetisse, & seruare statuisse: eamque voluntatem diuino arbitrio commisisse.

**AD** hanc sententiam cōfirmandam suppetunt non vulgares rationes, quarum

rum prima sumitur ex singulari virginis prudentia. Etenim virgo Maria prudentissima erat: igitur totam se Deo, ipsiusque prouidentia, simul ac ad annos discretionis peruenit: comisit: parata ad nubendum, siue ad continendum quemadmodum placere Deo intellexisset.

**SECUNDA** ratio sumitur ex eo, quia cum Iosepho contrahere matrimonium non dubitauit. Nam si ante desponsationem virginitatem Deo perpetuam vouisset, contrahens matrimonium peccasset. Etenim auctore D. Hieronymo, vouentibus non solum nubere: verum etiam velle nubere, damnabile est.

**TER TIA** ratio sumitur ex diuinae legis decreto: quo erat vtrique sexui a continendo interdictum, dicitur enim deuter. 7. Non erit apud te sterilis vtriusque sexus. Item, Exod. 23. Non erit infecunda, neque sterilis in terra tua.

**NEQVE** vero illud, voto virginis ante desponsationem, suffragatur: quia sub conditione, scilicet si Deo ita placeret, aut nisi Deus aliter disponderet, fuerit susceptum: nam quantumuis sit votum absolutum: semper superioris auctoritas intelligitur excepta: quemadmodum traditur, extra de iureiurando cap. venientes. Vnde eiusmodi conditio pro non apposita censetur. Ex quo illud de mum consequitur, vt vouens sub tali conditione, simpliciter voueat.

**ALIIS** visum est, beatam virginem ante desponsationem, non concupuisse modo perpetuo continere, neque solum illud ipsum cum animo suo statuisse, verum etiam Deo, suscepto voto, promississe: voto inquam absoluto, & nullo modo conditionato. Hoc vero ipsum Scotus ex verbis illis beatæ virginis, scilicet. Quomodo fiet istud, &c. vult esse collectum. Namque beata virgo aut vouerat se virum nunquam cognituram: aut non vouerat: si non vouerat, nulloque se voto obstrinxerat: non erat, quod Angelum Dei interrogaret, quo pacto esset promissam prolem conceptura: & paritura. Nam & si tunc à Iosepho minime cognosceretur, certe in posterum cognita (nisi esset sterilis) concipere potuisset. Relinquitur igitur virginem vouisse: ac proinde ex hoc eius voto, interrogationem illam ortum habuisse.

**CÆTERVM** ex hoc scripturae loco, non magis conficitur, beatam virginem vouisse virginitatem ante desponsationem, quam post desponsationem, vnde & aduersarij hinc colligunt beatam virginem post desponsationem vouisse. Minus ergo efficax, minusque firmum argumentum ex eo loco sumitur, ad ostendendum sacram virginem, ante desponsationem, virginitatem Deo simpliciter,

& absolute dicasse.

Henri  
quod. li.  
9. q. 11.

**HENRICVS** in eadem est opinione, & sententia. Putat enim sacram virginem, ante contractum matrimonium, virginitatem simpliciter, & absolute vouisse. In eam porrò sententiam his est argumētis inductus. Quod est præstantius est sacræ virgini tribuendum, at votum ex propria, eaq; absoluta electione procedens, est præstantius, quam votum de consensu alterius emissum, etenim votum quanto liberius, tãto est Deo acceptius, at votum virginitatis non dependens ex consensu viri post contractum matrimoniũ, est liberius, est igitur Deo acceptius, ac proude præstantius: est igitur illud beatæ virgini tribuendum.

**PRÆTEREA** id quod purius est, est ei virgini tribuendum, quam auctore D. Anselmo, de cuius puritate nitere, qua maior sub Deo nequit intelligi: sed multo purius, multoque sanctius est votum virginitatis absolutũ: quam sub quacũque conditione susceptum: est igitur illud sacræ virgini cõcedendum. Minor ex eo intelligitur, quoniam voto absoluto excluditur omnis in carnalem copulã consensus, tam implicitus, quam explicitus, tam absolutus, quam conditionatus: voto vero sub conditione, non item: est igitur illud sanctius, ac purius.

Psal. 44.

**PRÆTEREA** virginitas Mariæ futura erat exemplo & incitamento cæteris, quæ in ecclesia futuræ erant, virginibus: iuxta Davidis vaticinium, adducentur regi virgines post eam: ne igitur putaretur, nullam virginem esse debere: nisi quæ prius cum altero coniugio cõpularetur, credendum est diuina prouidentia factum esse, vt virgo suam Deo, ante contractum matrimonium, virginitatem dicaret: vt in mortali, terrenoque corpore, quemadmodum annotauit Augustinus, coelestis vitæ imitatio, voto suscepto fieret amore eligendi, non præcepto, aut necessitate seruiendi.

**ITA** his rationibus Henricus vult esse persuasum, beatam virginem ante contractum matrimonium, virginitatem simpliciter vouisse. Argumenta vero, quibus aduersarij oppositã sententiam defendunt, singulatim diluit.

**AD** primum igitur respondet, re vera prudentia virginis effectum esse: vt virginitatem coniugio anteferreret: qua eadem prudentia factum est, vt virginitatem simpliciter voueret, interim tamen parata diuinae per omnia obsequi voluntati, eiusdemq; dispositioni obtemperare: id quod etiam ad virginis prudentiam pertinet.

**AD** secundum respondet, eam quæ se voto perpetuæ continentie obstrin-

xit, peccare matrimonium contrahendo: si non habeat pro certo, nunquam se ad actum carnalis copulæ venturam: alioqui in carnalem copulam quodã modo consentiret, ac periculo se se, eandem subeundi, exponeret. Iam autẽ beata virgo pro certo habuit fore, vt nunquam congressum viri subiret: ac proinde propter huiusmodi certitudinem non peccauit matrimonium contrahendo.

**S I C** etiam respondet Scot. de modo tamẽ huiusce certificationis, inter Henricum, & Scotum minime conuenit. Scotus siquidem existimat, fuisse beatam virginem hanc certitudinem ex diuina reuelatione consecutam.

Quemadmodum enim Iosephus fuit diuino oraculo per Angelum instructus, & admonitus ne timeret accipere Mariam coniugem suam, ita etiam beatissima virgo, antequam cum Iosepho connubio iungeretur, ab Angelo, vel certe à Deo inmediate fuit edocta: & admonita, ne dubitaret adsumere Iosephum: vt quem illi Deus daret in custodem, & testem pudoris, quique esset pari voto continentiam seruaturus: illique in multis, ad custodiam virginitatis attinentibus, obsequium diligentissime præstaturus.

**H I N C** colligit Scot. inter virginem, & Iosephum verum intercessisse matrimonium: licet non fuerit per carnalem copulam consumatum: siquidem in matrimonio non est mutua potestatis corporũ traditio, nisi sub cõditione implicita, nempe si debitum exigatur.

**COLLIGIT** etiam Scot. contractum matrimonij nihil offuisse mentali virginis virginitati. Nam illa conditio implicita, nempe si debitum exigatur, non obest vouenti continentiam: nisi cum illa conditio ponitur in effectu. At vbi certum est omnino, illam conditionem non esse ponendam in effectu, contractus matrimonij nihil omnino præiudicat voto continentiam antea suscepto. At hãc certitudinẽ, diuinitus edocta, nacta est beata virgo, igitur, &c.

**H E N R R I C V S** tamẽ aliunde putat virginem edoctam, & de debito, nullo vnquam tempore à coniuge repetendo, certam effectam: nempe ex humana prudentia, diuina tamen gratia adiuta. Existimat enim Henric. beatam virginem lumine rectæ rationis, & humanæ sapientiæ illustratam: ac præterea vi gratiæ diuinæ adiutam, non solum virginitatem cõiugio prætulisse: verum etiam continere perpetuo, voto suscepto, statuisse. Id vero sic vult esse persuasum. Omnino pro canone, & regula habendum est, vt ad id, quod vnica re expleri, & obtineri potest,

non adhibeantur multa, ad id etiam, quod sine miraculo fieri potest, miraculum minime requiratur: quodque fieri potest ex dono naturæ, non tribuatur dono gratiæ: atqui beata virgo Maria solius humanæ sapientiæ vi, cum dono gratiæ coniunctæ, potuit certa effici, quod nunquam, Deo sic providente, congressum viri subiret, igitur ad illud non est miraculum, aut specialis reuelatio requirenda. Minor ostenditur. Namque virgo illa sacratissima per humanam sapientiam potuit intelligere, gratiorem esse Deo mentis, & corporis perpetuam integritatem, quam coniugium: potuit etiam per eandem sapientiam, vi gratiæ adiutam, animadvertere, diuinam providentiam curaturam, ut voluntas hæc eius expleretur, quis enim speravit in Domino, & derelictus est ab eo: Quocirca beata virgo, id quod Deo erat gratius amplexata, insuper spe de diuina bonitate concepta, illud est consecuta, ut & virgo, id quod ei erat in votis permaneret: & ut maledicti legis, foecunda existens, effugeret.

AD tertium respondetur, illa verba legis non esse præceptiua, sed diuinæ benedictionis promissiua. Pollicetur enim Deus illis cuncta felicia, si se coluerint, & in officio permanserint. Hæc porrò illius populi felicitas posita erat in rerum omnium copia, & affluentia, & in proles multitudine, qua Dei populus augebatur.

HÆC est Henrici de voto virginis sententia, quam eandem & nos ipsi comprobamus, ut pote quam existimemus vero esse similiorem, cum propter allatas rationes, tum propter Augustini authoritatem, qui in eadem videtur fuisse opinione, & sententia, quemadmodum ex his eius, quæ iam subiiciam, verbis intelligi potest. Etenim de sancta virginitate disserens, sic ait. Materna propinquitas nihil Mariæ profuisset: nisi felicius Christum corde, quam carne gestasset. Ipsa quoque virginitas eius gratior, & acceptior, quia non eam conceptus Christus viro violaturo, quam conseruaret, præripuit: sed priusquam conciperetur, iam Deo dicatam: de qua nasceretur, elegit. Hoc indicant verba, quæ sibi foetum annuncianti Angelo Maria reddidit. Quomodo, inquit, fiet istud, quoniam virum non cognosco? Quod profecto non diceret: nisi se Deo virginem iam ante vouisset. Sed quia hoc Israelitarum mores adhuc recusabant: desponsata est viro iusto: non violenter ablaturo, sed potius contra violentos custodituro, quod ipsa iam vouerat. Quamquam etiam si hoc solum dixisset, quomodo fiet istud, neque addidisset, quoniam virum non cognosco: non quæsisset utique promissum sibi filium quomodo foemina paritura esset: si concubitura nupsisset.

Aug. in  
lib. de S.  
virgini-  
tate. c. 4.

Porc.



Potērat & iuberi virgo permanere, in qua Dei filius congruente miraculo formam serui acciperet: sed exemplo sanctorum futura virginibus, ne putaretur sola virgo esse debere, quæ prolem etiam sine concubitu concipere meruisset, virginitatem Deo dicauit, cum adhuc quid esset cōceptura nesciret, vt in terreno, mortalique corpore, cœlestis vitæ imitatio, voto fieret, non præcepto, amore eligendi, non necessitate seruiendi. Ita Christus nascendo de virgine, quæ antequam sciret quis de illa fuerat nasciturus, virgo statuerat permanere, virginitatem sanctam approbare maluit, quam imperare. Ac sic etiam in ipsa foemina, in qua formam serui accepit, virginitatem esse liberam voluit. Hæc Augustinus in libro de sanct. Virginitate,

capit. 4. *non. virginis. et. ad. mulierem. cui. dicitur. V. o. d. b. n. o. s. A. M. I. R. A.*  
 EX hac D. Augustini sententia, <sup>tria</sup> quatuor aperte colliguntur. Primum est illud: sacram virginem suam Deo virginitatem deuouisse, sic enim inquit, quod profecto non diceret, nisi se Deo virginem iam ante vouisset. Item paulo post, virginitatem Deo dicauit cum adhuc quid esset conceptura, nesciret. *SECUNDO. A. C. O. N. C. I. P. I. T. U. R. V. I. R. G. I. N. I. T. A. T. E. M. V. I. R. G. I. N. I. T. A. T. E. M.*

SECUNDO colligitur, sacram virginem, cum ante conceptum diuini Verbi, tum ante desponsationem virginitatem vouisse. Sic enim ait Augustinus, sed priusquam conciperetur, iam Deo dicatam, de qua nasceretur, elegit. Hoc indicant verba, quæ sibi foetum annūciantī Angelo, Maria reddidit. Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Quod profecto non diceret, nisi se Deo virginem iam ante vouisset. Vouerat igitur beata virgo ante Verbi conceptum. Vouisse autem ante connubium, illa Augustini verba apertissime demonstrant. Sed quia hoc Israelitarum mores ad huc recusabant, desponsata est viro iusto, non violenter ablaturo, sed potius contra violentos custodituro, quod ipsa iam vouerat. Igitur, de sententia Augustini, beata virgo ante desponsationem, virginitatem, Deo suscepto voto, consecrauerat. *I. B. I. T. I. E.*

TER TIO colligitur, votum virginis fuisse absolutum, non conditionatum. Id vero ex illis Augustini verbis colligitur, non quæsisset vtique promissum sibi filium, quomodo foemina paritura esset: si cōcubitura nupsisset. Expende illa verba, si concubitura nupsisset: illis siquidem verbis insinuatut sacram virginem in copulam carnalem nullo modo consensisse, neque implicite, neque explicite: id quod ad absolutum seruandæ virginitatis propositum pertinet. Nam si sub conditione uouisset, implicite saltem concubitura nupsisset. *cap. 4. in. d. i. c. t. a. t. i. o. n. e. d. e. v. i. r. g. i. n. i. t. a. t. e.*

**CÆTERVM** hanc de voto absoluto beatæ virginis sententiam nôfic veram esse confirmamus, quin putemus oppositam posse probabilitet defendi. Dicitur igitur pro D. Thoma potest, illam conditionem, si Deo placuerit, duobus modis intelligi posse: vno modo iuxta vulgarem, & cõmunem consuetudinem loquentium, ac hoc modo, idem significat, quod si Deus permiserit illud fieri. Id quod Iacobus Dei Apostolus, dicendum, & adiungendum esse præcipit in rebus omnibus, quæ fieri proponuntur. Altero modo intelligi potest illa conditio de beneplacito præcepti, vt sit illius locutionis hæc sententia, si Deus iusserit. Ponuntur ergo tres conclusiones accomodatæ ad sensum, ac doctrinam D. Thomæ.

Iaco. 4.

**PRIMA** conclusio. Votum, siue propositum beatæ virginis, non fuit susceptum sub conditione priori modo sumpta. Probatio. Votum sub illa conditione est votum absolutum, igitur beata virgo non vouit sub tali conditione. Antecedens hinc intelligitur, quoniam illa conditio cõmunissima est, & habetur pro non adiecta.

**SECUNDA** conclusio. Votum beatæ virginis susceptum fuit sub conditione posteriore modo intellecta, statuit enim permanere virgo, si Deo ita placeret, hoc est, nisi Deus aliud, aut inspirando, aut nunciando iuberet. Ad probationem huius cõclusionis valet ratio D. Thomæ, quam in initio huius quæstionis, cum D. Thomæ sententiã explicarem, posuimus.

**TER TIA** conclusio. Beata virgo sic vouens, non consentit in copulã carnalem. Probatio. Conditio subdens oppositum sui propositi diuino præcepto, aufert consensum in oppositum propositi, igitur beata virgo sic vouens nõ consentit vllõ modo in copulam carnalem. Antecedens patet inductione, namque pater consentiens in mortem filij, si Deus iusserit, non consentit in mortem filij, item sanctimonialis virgo consentiens in nuptias, sub hac cõditione, si Deus iusserit, non consentit in nuptias: igitur, &c. Caiet. 3. p. q. 29. art. 1. ad. 1.

**AC** de voto virginis hæc, tam multis differuisse sufficiat: iam ad cætera, quibus, de hac secunda quæstione agere instituimus, explicanda pergamus.

**SECUNDA** conclusio principalis. Decuit vt Christus ex virgine coniugata nasceretur. Hac siquidem ratione diuinitus est, cum matri, tum filio consultum. Ac matri quidem prouisum, ac consultum est, quoniam ita effectũ est, vt virgo illa sanctissima ab infamia, & suspicione admisi stupri vindicaretur, quemadmodum D. Ambrosius annotauit, super Lucam scribens cap. 2. & in diuinæ prolis educatione à coniuge iuuaretur: tegeretur præterea

ab eodem, ac denique rebus omnibus eidem à coniuge opera, & obsequium præstaretur.

**CHRISTO** etiam est hac ratione magnopere cōsultum: tum primo ne à iudeis tanquam illegitimo toro natus repudiaretur, idignusque haberetur, qui audiretur, & pro Messia reciperetur. Tum secundo, ut conceptus & partus virgineus dæmoni occultaretur, Deo præsertim aciem ingenij ipsius quodammodo præstringente, tum postremo ut diuinus ille puer Iosephi labore, & industria aleretur, & cura, ac studio seruarietur. Nāque ut est à sanctissimo Leone dictum, in sermone de Epiphania, puer **I E S V S** quantitate erat paruus, sandi impotens, alienæ opis indigens, & nulla, ab humana infantia generalitate, nota discretus.

**TERTIA** conclusio. Non solum verum fuit virginis cum Iosepho contractum matrimonium, verum etiam perfectum. Probatio prioris particulæ conclusionis. Res quæque vera dicitur, cum propriam, & congruentem naturæ formam assequitur, siue à natura siue ab arte introductam: atqui virginis matrimonium habuit propriam formam, fuit igitur verum matrimonium. Minor ex eo perspicitur, quia vterque consensit in copulam conjugalem, quæ indiuisibili animorum copulatione consistit, in quæque consensus in copulam carnalem potentia duntaxat continetur, idque simpliciter, & absolute, in copulam vero carnalem sub conditione, si ita Deo placeret, beneplacito præcepti. Ex quo effectum est, ut nullum sit mentali Mariæ virginitati, tali consensu, detrimentum allatum, nam, ut supra iam diximus, conditio subiiciens oppositum propositi diuino præcepto, non ponit cōsensum in oppositum propositi. Credendum est tamen, conditionatum hūc in carnalem copulam consensum, non fuisse actum in virgine, ut quæ de carnali copula nullo modo cogitauerit, sed habitu duntaxat, & animi præparatione, id quod satis erat ad mentis, & conscientia rectitudinem. Preces siquidem virgo illa sanctissima ad Deum assiduas pro perseverantia virginitatis fundebat, oppositum vero huius, in sola animi præparatione erat, eaque conditionata. Ad quam quidem animi præparationem referenda sunt omnia, quæ à sanctis doctoribus, de virginis in carnalem copulam consensu conditionato sunt tradita.

**RELIQVA** est posterioris partis conclusionis approbatio, pro cuius probatione, illud annotandum esse duximus, duplicem esse rei cuiusque perfectionem, primam scilicet & secundam. Prima cuiusque rei perfectio in forma eiusdem posita est, ex qua res ipsa speciem consequitur: secunda vero in

Caiet. 3.  
p. q. 29.  
ar. 1.

operatione consistit, quæ ex forma proficiscitur, & cuius interuentu res illa finem attingit. Ita in matrimonio duplex quoque perfectio reperitur, vna quæ in forma, altera quæ in operatione consistit. Forma matrimonij in indiuisibili, & inseparabili quadam animorum coniunctione posita est, qua mutuo seruant fidem ipsi coniuges, iusque petendi, & inuicem reddendi debitum colunt. Operatio verò posita est in prolis procreatione, & educatione, quorū vnum obtinetur corporum congressu, alterū verò mutua opera & obsequio, quæ sibi vicissim præstant coniuges ad prole educandam.

**VIRGINIS** igitur cum Iosepho contractum matrimonium, perfectū fuit, cum priore genere perfectionis, tum posteriore: non tamen quoad omnia, sed quoad aliqua, eaque precipua. Priore quidē, quoniam illud matrimonium habuit propriam formam, vti diximus, posteriore verò, quoniam ibi fuit cohabitatio, mutui obsequij exhibitio, & prolis educatio. Hæc siquidem in illo coniugio admirabiliter, & præstantissime enituerūt. Vnde hoc nomine illud matrimoniū non solum perfectum fuit, verum et præstantissimū, atque perfectissimū. Sola ibi defuit carnis copulatio, cuius interuentu proles generatur, ac proinde illud matrimonium hoc solo nomine non fuit consummatum: simpliciter tamen perfectum fuit, id quod hoc argumento ostenditur.

**ILLVD** coniugium est perfectum in quo omne nuptiarum bonum reperitur: atqui in illo coniugio omne nuptiarum bonum inuentum est, fuit igitur perfectum, minor ostenditur. Namque omne nuptiarum bonum, Augustino teste, libro de Nuptiis, & concupiscentia primo, cap. 12. tomo. 7. tribus maxime continetur, nempe fide, prole, & sacramento: atqui eodem Augustino authore, in illis parentibus hæc tria maxime enituerunt, nempe fides, proles, & sacramentum: prolem enim cognoscimus ipsum Dominum Iesum Christum, fidem, quia nullum adulterium, sacramentum, quia nullū diuortium, solus ibi nuptialis concubitus non fuit, in illo igitur sanctissimo coniugio omne nuptiarum bonum repertum, & inuentum est. Ita beatæ Mariæ virginis cum Iosepho iunctum matrimonium, non solum verum fuit, verum etiam perfectum, perfectione non essentiali modo, sed etiam accidentaria.

**RELIQVVM** est vt argumentum initio positum, quo hæc conclusio refellebatur, diluamus. Dicimus igitur veritati matrimonij, & coniugij, nihil omnino detrahare virginitatem, siquidem veritas & perfectio essentialis matrimonij, posita est in dissolubili animorum copulatione, quæ stare,

& con-

& conuenire cum virginitate vtriusque coniugis potest. Vnde ait Augustinus in libro de consensu Euangelistarum. Non est fas, vt Iosephum ab hoc coniugio Mariæ separandum Euangelista putaret, quod non ex eius concubitu, sed virgo peperit Christum. Hoc enim exemplo magnifice insinuat, conjugatis fidelibus, etiam seruata pari consensu continentia, posse permanere, vocarique coniugium, non permixto corporis sexu.

AD formam igitur argumenti respondendo dicitur, matrimonium, non animorum modo coniunctione, verum etiam potestatis corporum mutua traditione, quæ ad carnalem copulam pertinet, contineri, necesse non quidem secundum animi præparationem, iubente scilicet Deo, aut ita disponente, vel certe viro potente, non tamen necessario secundum actum, siue actualem potestatis corporum traditionem, siue exhibitionem, &c.

## DE CONCEPTV DIVINI VERBI IN

vtero virgineo.

## Quæstio. III.

*Virum beatæ virginis aliquid actiue egerit in conceptu diuini Verbi?*

**P**RO explanatione admirabilis, & ineffabilis diuini Verbi in vtero virgineo conceptus, nonnullas statuimus conclusiones, quarum hæc est prima. Corpus Christi, quod in patribus antiquis non præfuit secundum aliquid signatum, de purissimis virginis sanguinibus, Spiritus sancti opera, puncto temporis: conceptum, & formatum est.

**H**VIUS catholice assertionis primam partem in hunc modum ostendo. Nihil quod fuerit à parentibus beatæ virginis acceptum fuit materia corporis Christi, igitur corpus Christi non præfuit in Adamo, ac cæteris patribus, secundum certam aliquam substantiæ portionem, per manus quasi transfmissam vsque ad virginem beatam, ex qua corpus Christi formaretur. Cōsecutio aperta est, antecedens ostenditur. Materia ex qua corpus Christi formatum est, non fuit caro, aut os beatæ virginis, neque aliquid quod fuerit actu pars corporis ipsius virginis, quemadmodum paulo post ostendemus, at quicquid fuit in virgine à parentibus acceptum, fuit actu pars corporis beatæ virginis, nihil igitur quod fuit in virgine à parentibus acceptum: fuit

mate-

materia corporis Christi.

**A D D E**, quia si huiusmodi portiuncula mundæ, & non infectæ carnis fuisset ab Adamo, per patres ad virginem vsque transmissa, ex qua Christi corpus formaretur, Christus ad Adamum solum pertineret, ad ceteros vero patres, non item: nisi veluti ad deserentes duntaxat, quemadmodum aqua comparatur ad aquæductû. Id vero scripturis sanctis repugnat apertissime, quibus proditum est, Christum esse ex patribus secundum carnem, idque naturali propagatione.

**P O S T R E M O** caro Christi minus valuisset ad prolapsi hominis curationem: ut quæ non de natura lapsa, sed de natura instituta esset fabricata: quæ omnia cum sint in absurdis, cumque à fidei decretis vehementer abhorreant, sequitur sententiã afferentem, Christum fuisse in Adamo secundum certam aliquã carnis portionem, quæ in eodem ab infectione fuit diuinitus vindicata, esse falsam & erroneam.

Mag. 3.  
Sen. d. 3.

**D V O** tamen sunt, quibus hæc sententia videatur posse confirmari, & stabiliri: in quibus illud est prius, quia caro Christi valuit ad medicinam Adamo, iisque omnibus, qui ex Adamo infecto, originem duxerunt, afferendam: at quod infectum, & deprauatum est, non valet ad curationem, videtur igitur omnino esse statuendum, particulam aliquam carnis in Adamo integrã, & ab infectione liberam remansisse, ex qua, ceu ex materia, medicina cunctis hominibus conficeretur.

**P O S T E R I V S** vero est illud, quia si Christus in Adamo non fuit secundum certam aliquam mundæ carnis particulam, caro Christi in Adamo peccato fuit obnoxia: id quod tamen non videtur Christo congruere, non earatione solum, qua omnis peccati deletor est, verum etiam quæ Dei sapientia est, in quam nihil inquinatum cadit, quemadmodum dicitur sap. 7.

**H Æ C** diluuntur facile. Prius argumentum diluitur minoris propositionis explicatione. Namque caro Christi spectari potest duobus modis, vno modo ante assumptionem: altero modo post assumptionem. Priori modo caro Christi erat medicina potentia, & materialiter solum, posteriori modo est medicina actu, & formaliter, qualitate distincta à carne ceterorum hominû, nõ materia. Nam ex eodem materiali principio gigni potest sanum & egrû. Etenim vnus, idemque cibus in eo qui bene valet, in sanam carnem & integram conuertitur, in eo vero qui male habet, ceu in leproso, in carnem morbo lepræ infectam. Ita effectum est, quemadmodum disertissimus annotauit August. 10. super Genesim ad literam, ut eadem caro non Abraham tantum,

sed

sed ipsius primi, terrenique hominis habuerit vulnus præuaricationis, & medicamentum vulneris. Ex ea siquidem materialiter caro Christi formata est: quæ fuit cunctis hominibus medicinæ, & salutis.

**Q**UOD vero ad posterius argumentum attinet, illam consecutionem partim abnuimus, & partim admittimus. Etenim caro Christi spectari potest duobus modis, vno modo quærat materialiter in patribus, altero modo quærat ad Christum, propagatione patrum, deducenda. Priore modo caro Christi obnoxia fuit peccato, nihil enim in patribus liberum fuit ab infectione peccati, nihilque mundum est reliquum, ex quo postea corpus Christi formarentur. Posteriore vero modo caro Christi non fuit obnoxia peccato, quoniã ad Christum munda, non virili satù, sed Spiritus sancti opera, deducenda erat. Simpliciter tamen de Christi carne in patribus vere enunciatù, quod facit obnoxia peccato: quoniam non de Christi carne in se, sed vt in patribus, enunciatù peccatum. Quo maiores Dei filio gratias agere debemus, quæ carnem, quæ erat assumpturus, ex massa infecta propagatam esse voluerit: quam vix purissimam assumpserit.

**C** B I I C I adhuc cõtra potest, si caro Christi vt in patribus obnoxia fuit peccato, sequitur vere dici posse, Christum in Adamo, peccauisse, vt qui in Adamo non solum fuerit originaliter, verum etiam carnem in eo habuerit obnoxiam peccato, quemadmodum cæteri homines, quos omnes D. Paulus cõstanter affirmat in Adamo peccauisse. Negandam putamus consecutionem. Nam & si illud Christo cum cæteris hominibus cõmunesit, quod fuerit in Adamo secundum originem, interest tamen multum inter Christum Dominum, & cæteros homines, quoniam cæteri homines sic in Adamo origine fuere, vt ad illos peccati Adams labes permaneret, vt qui in Adamo erant, non solum secundum corpulentam substantiam, verum etiam secundum seminalem rationem: quia scilicet ex Adamo virili satù, & concupiscentiæ lege propagandi erant. At Christus sic in Adamo fuit, vt ad ipsum nullo modo Adams peccatum perueniret, quando quidem in ipso erat secundum corpulentam substantiam solum, ob id scilicet quia materia corporis Christi trahenda erat per originem ex Adamo, non tamen secundum seminalem rationem, vt qui non virili satù, & concupiscentiæ lege, sed longe diuersa ratione esset ex Adamo originem ducturus.

**I** T A effectum est, vt Christus neque in Adamo peccauerit, neque extra Adamum peccatum originale contraxerit: at cæteri homines, & in Adamo peccauerunt, & extra Adamum, peccati originalis labem susceperunt.

Augu. in  
epistola  
ad Volu-  
sianum.

SECUNDO loco asserimus corpus Christi fuisse ex purissimis virginis sanguinibus formatum. Id vero in hunc modum ostendimus. Conceptus Christi partim fuit naturalis, partim supra legem, & institutum naturæ, id quod summo Dei consilio factum fuisse confirmat Augustinus, ne dum omnia mirabiliter faceret, auferret quod mirabiliter fecit, quatenus opinionem hominibus afferret, non se veram hominis naturam suscepisse. Fuit quidem Christi conceptus naturalis: quatenus foemineo utero includi, eodemq; novem menses gestari, ac demum ex foemina nasci voluit. Supra naturalis vero, quoniam à virgine conceptus, & à virgine fusus, & editus in lucem est. At ad naturalem ordinem & rationem, quod ad foeminam attinet, illud pertinet, ut materiam conceptui, & generationi subministret, ad supernaturalem vero rationem spectat diversitas principij activi (etenim foemina virili satum concipiens, non est virgo, principium autem actiuum naturaliter ad virum pertinet) Christi igitur generatio habuit materiam ex matre similem ei, quæ ceteræ foeminae conceptui, & procreationi sobolis subministrant, principium vero actiuum diversum: atqui de sententia Aristotelis, materia generationi animalium accommodata, est sanguis mulieris, non quicumque, sed perfectius de costis, eoque vi generatrice perductus, ut sit materia apta generationi, relinquatur igitur Christi corpus fuisse ex purissimo virginis sanguine, vi generatrice eiusdem ad ampliorem digestionem perducto, conceptum.

Arist. de  
gen. ani.  
li. 1. c. 19.  
item. 20.

HINC intelligitur, quanto illi fuerint errore lapsi, qui putauerunt sanctissimum Christi corpus ex tribus guttulis, in corde virginis insidentibus, fuisse efformatum. Hac siquidem opinio præterquam quod à sanctorum patrum communi sententia abhorret, tum certe cum diuinis literis pugnat apertissime. Ac sanctorum patrum aperta est sententia, qui docent Christi conceptum fuisse partim naturæ consentaneum, partim vero institutum omne naturæ superasse. Quocirca Ambrosius eo, quem de incarnatione Verbi scripsit libro sic ait. Multa in Christo secundum naturam inuenies, & supra naturam. Secundum conditionem enim naturæ in utero foemineo fuit, sed supra conditionem virgo concepit, & virgo generavit. Ecce audis Christum, fuisse virginis utero, non corde corporaliter conceptum. Diuus etiam Pat. August. in epistola ad Volusianum, sic inquit: si omnipotens Deus hominem ubicumque formatum, non ex materno utero crearet, sed repentinum inferret aspectibus, non ne opinionem confirmaret erroris? Neque hominem verum suscepisse videretur.

Ambro.  
super Lu-  
cam. 33.

August.

SED cur sanctorum patrum sententias proferimus, cum ad hanc opinio-

nem



onem refellendam, suppetant diuinarum literarum apertissima testimonia? Lucæ. 1. dicitur. Ecce concipies in vtero, & paries filium. In vtero Dei filium fore concipiendum prædixit Angelus, non in corde. Alioqui si corde corporaliter foret concipiendus filius Dei, minus ad rem accomodate sanctissima, ac prudentissima virgo interrogasset. Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Siquidem conceptus proles in corde, ratione virili minime perficitur. Iam autem cum interrogando, & causam interrogationis subiungendo, virilis seminis mentionem fecerit, aperte declarauit, se de modo concipiendi eo quæ siuisset, quo virili satu concipi foetus consuevit.

Luc. 1.

MATH. etiam primo ita continetur: antequam conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto. In vtero ait inuentam gestare, non in corde.

Mat. 1.

LVCÆ etiam secundo scribitur, vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore pregnante: atqui prægnans illa sola dicitur, quæ in loco conceptui à natura destinato infantem gestat, relinquitur igitur virginem in corde minime concepisse Dei Verbum corporaliter, sed in vtero. Id quod etiam hac ratione conficitur. Virgo Maria est mater Verbi incarnati: at si corde Dei Verbum corporaliter concepisset, non vere esset illius mater, quemadmodum neque Adamus fuit pater, aut mater Euxæ, tamen si ex particula quadam Adami Eua fuerit fabricata, nullo igitur modo Christus est ex sanguine virginis in corde ipsius existente conceptus.

CVM igitur hæc sententia, patrum sententiis, scripturæ testimoniis, ac demum rationi aduersetur, sequitur illam non solum esse falsam, verum etiam & erroneam: quam eandem cardinalis Caietanus testatur Rhomæ, se præfente, fuisse damnatam. Est igitur verissima sanctorum patrum sententia, quæ docet, ac tradit Christum dominum ex purissimo vteri virginici sanguine fuisse conceptum. Sic enim Damascenus tertio de fide orthodoxa libro, cap. 1. scriptum reliquit. Filius Dei carnem anima rationali præditam, sibi ex purissimis virginis sanguinibus fabricauit.

Caiet. 3.  
p. 9. 31.  
ar. 5.

Damasc.

OBIICIT tamen contra potest, Christus ex purissimo virginis sanguine fuit conceptus, igitur corpus Christi, eadem cum corporibus cæterorum hominum specie minime continetur: siquidem cæterorum hominum corpora ex semine muliebri, & ex sanguine menstruo formantur, corpus autem Christi fuerit ex purissimo sanguine formatum, iam autem semen & menstrum puro sanguini opponuntur.

D. THOMAS negandam omnino putat consequentiam, vt qui in ea sit opinione & sententia vt existimet, hominum corpora neque ex semine mu-

Tho. 3.  
p. 9. 31.  
ar. 5. ad. 3.

liebri,

liebri, neque ex sanguine menstruo, ceu ex materia procreari. Non quidem ex semine muliebri, siquidem imperfectum quiddam sit, & incompletum in genere feminis, ex quo fit, ut non sit materia generationi idonea, vel certe ad eandem minime necessario requiratur. Neque itidem ex sanguine menstruo hominum corpora procreantur, quoniam sanguis menstruus excrementum, & purgamentum quiddam sit purioris sanguinis: iam autem ex eo quod natura repudiat, quodue expellit, foetus minime formatur. Hinc colligit D. Thomas, & quod materia apta generationi, sit sanguis quidam purior reliquo sanguine, vi generatrice ad ampliorem quandam digestionem perductus, & à natura conceptui præparatus, & quod sanctissimum Christi corpus nullo modo fuerit ex semine virgineo formatum, cum propter imperfectionem, & incompletionem illius (id quod est virgini cum cæteris feminis cõmune) tum ob id vel maxime, quia semen quadam cum concupiscentia, & libidinis voluptate resoluitur: iam vero in virgineo cõceptu, nullus cupiditati, & libidinis voluptati relictus est locus.

Caiet. 3.  
P. 1. 3. ar.  
5.

**SUNT** qui existiment, nihil repugnare fidei dicere, proximam corporis Christi materiam fuisse semen virgineum. Nam quemadmodum ad integritatem virginæ puritatis illud pertinet, quod sanguis ille purissimus sit ad locum generationi accomodatum, citra omnem libidinem attractus: ita etiam ad admirabilem Christi conceptum pertinet, quod citra sensum libidinis virgineum sit semen resolutum. Quocirca coelestis ille nuncius virginem instruens de ratione huius admirabilis conceptus, non solum dixit, Spiritus sanctus superueniet in te, sed adiecit etiam, & virtus altissimi obrabit tibi, id est, ab æstu concupiscentiæ, & libidinis proteget. Etenim opus non est umbra, nisi cum est æstus, à quo umbræ interuentu protegimur.

Luc. 1.

**NEQVE** est quod dicatur, huiusmodi feminis concursum non posse stare, & conuenire cum integerrima virginis matris virginitate. Nam & si feminis resolutio naturalis & voluntaria, virginitatem adimat mentis, non tamen supernaturalis, & voluntaria, non quidem in se, sed in sua causa: cuiusmodi fuit virginei feminis resolutio.

Luc. 1.

**PORRO** hunc virginei feminis, ad conceptum diuinæ proles concursum, non fuisse in se voluntarium, ex verbis beatæ virginis collectum volunt. Nā assensum præbens iis, quæ Angelus sibi diuinitus annūciauerat, sic ait, ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum Verbum tuum. Cum ait, ecce ancilla Domini, Deo se totam in obsequium tradidit. Cum vero adiecit, fiat mihi secundum Verbum tuum, assensum præbuit, non quidem feminis concursui,

fui, sed Spiritus sancti superuentui, virtutis altissimi obumbrationi, intermerato filij Dei conceptui, hæc siquidem omnia Angelus eidem exposuerat. Quocirca virginis, ad hæc ipsa explenda assensus, ad conseruationem illibate virginis pertinet, de qua tuenda tantopere sollicita, Angelum interrogauit inquiring, quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Quare Angelica responsione secura effecta de eo, quod tantopere timebat, nempe de sacratissimæ virginis amissione, imo vero spem certam concipiens fore, vt non solum virginitas ipsius diuinitus conseruaretur, verum etiam diuina prole admirabiliter ditaretur, constanter & intrepide respondit, fiat mihi secundum verbum tuum. Qua responsione nullum est mentali ipsius virginis detrimentum allatum: tamen cum seminis concursu sese concepturam esse intellexisset.

**NOBIS** placet hæc Domini Caietani sententia, vt quæ ad Medicorum de materia embryonis sententiam accedat. Etenim Medicorum sententia est tam foemineum, quam masculinum semen in conceptu prolis concurrere, & vtrumque in vnum motum, & in vnus animalis procreationem conspirare, generatricis tamen facultatis plus inesse in semine maris. Cum igitur conceptus diuinæ prolis, non solum miraculosus fuerit, sed etiam naturalis, quemadmodum supra de sententia D. Thomæ diximus, sequitur vt virgo integerrima eam conceptui, & generationi diuinæ prolis materiam ministrauerit, quam cæteræ foeminae conceptui, & procreationi sobolis subministrant, ministrant autem, de sententia Medicorum semen, & sanguinè menstruum, relinquatur igitur hanc fuisse etiam à beata virgine materiam admirabiliter, & purissime subministratam.

**DIVO** igitur Thomæ concedimus semine foemineum esse imperfectum quiddam in genere seminis, non quidem quod ad essentiam & speciem seminis attinet, sed quod ad actuositatem, & efficientiam pertinet, minus siquidem generatricis facultatis inest in semine foemineo. Cui rei illud argumento est, quia foemineo semini non conuenit actiuitas, nisi vt subordinatur semini virili. Vnde ad miraculum virginei conceptus pertinet, quod semen virgineum citra concursum seminis virilis actiuitatem habuerit in corporis Christi formatione.

**AD** illud vero alterum à Thoma dictum de sanguine menstruo, respondemus cum Medicis sanguinem menstruum concurrere ceu materiam ad ge-

neratione: non quidem quoad totam sui substantiã, sed quoad puriorem, & subtiliorem, quam natura separat, & excernit, ac conceptui prolis præparat: & accomodat.

TERTIO loco in conclusione positum est, fuisse Christum Spiritus sancti opera conceptum. Huic sententiæ suffragatur authoritas scripturæ. Dicitur enim Luc. 1. Spiritus sanctus superuenit in te, &c. Item Matthæi. 1.

Luc. 1.  
Matth. 1.

Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Vnde & in symbolo Apostolorum: & in symbolo Nyceno, Christus esse dicitur de Spiritu sancto conceptus. In qua locutione, illa præpositio, de, non denotat habitudinem materiæ, sed habitudinem principij effectiui. Etenim Spiritus sanctus ex purissimo virginis sanguine formauit corpus Christi, efficientiam, & a stuitatem seminis virilis explens, quemadmodum diuus Ioannes Chrysostomus, & diuus Ioannes Damascenus annotauerunt. Ac Ioannes quidem Chrysostomus ita ait. Vnigenito Dei in virginem ingressuro, præcessit Spiritus sanctus, vt præcedente Spiritu sancto in sanctificationem nascatur, scilicet Christus, diuinitate ingrediente pro semine. Damascenus vero libro de fide orthodox. 3. ita ait, obumbravit eidem Dei sapientia, & virtus, veluti diuinum semen. Comparat autem Spiritus sanctus semini, non quidem quoad habitudinem materiæ, quæ in conceptu animalis transmutatur, sed quoad habitudinem causæ effectiue, quæ in semine spectatur. Causa enim effectiua corporis Christi fuit Spiritus sanctus, materia vero ex qua formatum, & effectum illud corpus ab Spiritu sancto est, fuit virgineus sanguis is, qui est natura ad conceptum foetus accomodatus.

Chryso-  
stomus  
super  
Matth.  
ca. 1.  
Damasc.  
lib. 3. c. 1.

NEQVE est tamen quod Spiritus sanctus pater Christi dicatur, tamen si ad Christi generationem a stiuè concurrerit, virilis seminis efficien-  
tiam explens, quoniam ad rationem patris illud requiritur, vt de sua sub-  
stantia, viuente quoque substantiam procreet, eidem similem secundum  
speciem. Id quod non conuenit Spiritu sancto, respectu Christi, neque qua  
Deus, neque qua homo est. Non qua Deus, siquidem Dei filius non est  
ab Spiritu sancto productus, imo vero Spiritus sanctus est à filio productus.  
Neque itidem qua homo est, tum quia nihil substantiæ ipsius Spiritus san-  
cti coaluit in substantiam humanæ naturæ Christi, quemadmodum aliquid  
substantiæ patris transit in substantiã filij, quæ generat, tum quia Christus qua ho-  
mo est, non est similis Spiritu sancto, quod ad essentiã, & speciẽ attinet. Efficiẽtia  
igitur Spiritus sancti in cõceptu Christi, non fuit similis ei, quã pater habet  
in conceptu, & generatione filij, hoc est, interuentu profluuij genitalis, sed

similis

similis ei, quam artifex exercet, in materiam externam, vim suam, & actionem explicans: ac proinde ut possit Spiritus sanctus dici principium effectivum Christi, pater certe nullo modo dici potest.

**O B I I C I** contra potest, natus ex aliquo est filius eius, at Christus ex Spiritu sancto natus est, quemadmodum refert Matth. cap. 1. Quod in ea, inquit, natum est, de Spiritu sancto est, est igitur Christus filius Spiritus sancti. Argumentum diluitur explicatione maioris propositionis, non enim quicquid nascitur ex aliquo, iam filius ipsius est, alioqui vermes, qui ex carnibus nascuntur, dicerentur ipsarum filij, sed quod nascitur ex aliquo, ceu ex efficiente, interuentu feminis, & secundum similitudinem naturæ: sic autem non est Christus natus ex Spiritu sancto, sed natus est ex eo, tanquam ex causa prima effectiua, quomodo etiam Christus à tota est Trinitate generatus.

Matth. 1.

**Q V Æ R A S** cum tota Trinitas effectiue concurrerit in conceptu, & generatione Christi, cur potius dicatur Christus de Spiritu sancto conceptus, & ab Spiritu sancto esse, quam à patre, & filio? Respondemus id speciatim attribui Spiritui sancto, quoniam quæ attribuantur Spiritui sancto, bonitas scilicet, gratia, & charitas, in hoc mysterio, hoc est, in Verbi Dei incarnatione maxime eluxerunt. Bonitas quidem, declarata est, quoniam summa deitatis cõmunicatio in hoc mysterio reperitur, gratia vero, quia nullis meritis, sed diuino solum munere, humana est natura in tantam celsitudinẽ sublatã. Charitas postremo Dei admirabiliter eluxit, quoniam hominem, qui interierat, non ab interitu modo vindicauit, sed misera diaboli tyrãnide oppressum, in libertatem asseruit: & in veterem gradũ restituit. Sic enim Deus dilexit mundum, ut filium suũ vnigenitũ daret, ut omnis qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam æternam.

Ioan. 3.

**Q V A R T O** loco in conclusione positum est, corpus Christi fuisse puncto temporis formatum, & numeris suis omnibus expletum. Pro explicatione particulæ huius postremæ nostræ conclusionis, illud notandum, tria in conceptu prolis in utero reperiri, scilicet localem motum sanguinis menstrui ad locum generationi accomodatũ, ipsam corporis efformationem, postremo eiusdem corporis amplificationem. Ponuntur igitur tres, ad rem propositam explicandam accomodatæ, propositiones, quarum hæc est prima.

**T R A C T I O** sanguinis virginei ad locum generationi accomodatũ, non potuit fieri temporis momento. Probatio. Motus localis corporis

Tho. 3.  
p. 9. 33.  
ar. 1.

non potest momento temporis expleri, ut pote cuius partes successiue subintrent locum, at qui tractio illa sanguinis virginei ad locum generationi, & conceptui accomodatum, fuit localis corporis motus, igitur instanti temporis non potuit expleri.

**SECUNDA** propositio. Amplificatio corporis Christi, etiam in utero virgineo, fuit successiua: tum quia augmentatio non fit citra localem motum, etenim aucta corporis quantitate, consequitur necessario maioris loci occupatio, ex quo fit, ut in omni corporis amplificatione, motus localis virtualis per modum cuiusdam sequelae, interueniat. Tum quia illa corporis augmentatio, vi & facultate animae iam in corpore formato actiones suas obeuntis, perficitur, iam autem anima tempore operatur, non instante.

**TERCIA** propositio. Formatio corporis Christi temporis momento perfecta est. Huius porro catholicae veritatis ratio sumitur ex perfectione virtutis ipsius actiui principij, nempe Spiritus sancti, nam quanto agens est maioris virtutis, tanto potest citius materiam praeparare formae conceptui, ex quo fit, ut agens infinita virtute praeditum, possit temporis momento materiam praeparare, at qui Spiritus sanctus, à quo Christi corpus formatum est, est efficiens infinita virtute praeditum, temporis igitur momento materiam praeparauit formae conceptui.

**ADDE**, quia si formatio corporis Christi fuisset successiua, haec propositio non esset vera, filius Dei est conceptus in utero virgineo: consequens repugnat fidei, igitur & antecedens. Sequela colligitur ex duabus propositionibus, quarum haec est prior, Decuit ut filius Dei formatum corpus assumeret, id siquidem cum dignitate, & excellentia tantae personae congruebat, posterior haec est. Conceptio in utero virgineo attribuitur filio Dei, interuentu assumptionis, hinc iam illud sequitur, quod si formatio corporis Christi fuisset successiua, tota conceptio non posset attribui filio Dei, ac proinde haec propositio esset falsa, filius Dei conceptus est de Spiritu sancto. Simul ac igitur proxima corporis Christi materia ad locum generationis delata est, corpus ipsius non formatum modo est, verum etiam assumptum.

**Damasc.** Simul enim ut Ioannes annotauit Damascenus, caro illa sanctissima & caro  
**lib. 3. c. 1.** fuit, & Verbi Dei caro.

**ALIOQVI** si carnis conceptio Verbi Dei assumptione tempore antecessisset, altera aliquando hypostasim, praeter Verbi hypostasim habuisset, quae aut mansit post assumptionem, aut per assumptionem sublata est, si mansit:  
igitur

igitur in incarnatione non est facta unio in persona, id quod repugnat rationi incarnationis, si vero sublata est, id minime congruebat cum Verbi Dei incarnati instituto, cui propositum erat perdita, & collapsam naturam reficere, non integram destruere.

**E O D E M** igitur temporis momento, quo sanctissimum Christi corpus formatum est, fuit à Verbo assumptum, eodem etiam momento, rationali anima perfectum, quippe cum anima mediū congruētiae fuerit ad corporis assumptionem, quemadmodū libro. 3. docuimus.

**EXISTUNT** tamen hoc loco duæ dubitatiunculæ, quarum prior ad formationem corporis Christi, posterior vero ad ipsius animationem pertinet.

Ac de formatione corporis Christi dubitatur, siquidem Augustinus oppositum eius, quod tertiā cōclusionē diximus, sensisse videatur, in libro. 83. quæstionum, quo loco ita ait. Non absurde. 46. annis dicitur fabricatum esse templum, quod corpus eius figurabat, ut quot anni fuerunt in fabricatione templi, tot dies fuerint in corporis dominici perfectione. Formatio igitur & fabricatio corporis Christi, tempore perfecta est, non tēporis instante.

August.

**ANIMATIONI** porro, pro eodem temporis momento, illud aduersatur, quoniam forma quæque naturalis certam in materia, in qua recipitur, quantitatem postulat: at corpus Christi primo illo conceptus momento nō habuit tantam magnitudinē, quā tam habent cæterorum hominū corpora, quando rationalem animam concipiunt, alioqui facta in utero virgineo ad corpus Christi accessione, vel citius fuisset natus ipse Christus, quam à natura institutum & comparatum est, vel certe maiori fuisset corporis mole, quā cæteri infantes.

**HARVM** quæstionum facilis est explicatio. Prior igitur quæstio explicatur adhibita distinctione. Namque perfectio corporis humani in utero foemineo duplex est, vna essentialis, altera quantitativa. Perfectio essentialis posita est in membrorū omnium, quæ in humano corpore requiruntur, delineatione, procreatione, & distinctione. Perfectio vero quātitatiua in corporis iā efformati debito incremento consistit. Dicimus igitur formationē corporis Christi fuisse pūcto temporis perfectam, quoad perfectionē essentialē, habuit enim Christus simul ac cōceptus est omnia mēbra, eaq; inter se distincta: nō tamē perfectū est illud corpus statim quātitatiue, ut. s. ea esset magnitudine, quā cæterorū hominū corpora quadraginta dierū spacio assequuntur, sed adhæc totidem diebus peruenit. Ac sub hoc sensu accipiendū est id quod est ab Augustino dictum, fuisse. s. corpus Christi tot diebus perfectum, quot

annis templum Domini est extractum. Illa siquidem perfectio, non est ad essentialem humani corporis perfectionem referenda, sed ad quantitativam: quam corpus Christi tot diebus est affectum, quot diebus eandem cæterorum hominum corpora assequuntur. Ita inter Christum, & cæteros homines, quod ad perfectionem quantitativam attinet, nihil interest omnino, siquidem in corpore Christi perficiendo, quemadmodum in cæterorum hominum corporibus perficiendis quadraginta & sex dies positi sunt, at quod ad formationem attinet, multum interest: quandoquidè corpus Christi, quoad omnia sua membra, subito formatum est cæterorum vero hominum corpora, quoad membra omnia, quadraginta dierum spacio formantur.

**Q**UOD vero ad posteriorem quæstionem attinet, dæmus quamque formam, debitam in materia quantitatem requirere, cæterum hæc quantitas habet latitudinem, siquidem & in maiori, & in minori quantitate spectatur. Nam proceriorum hominum corpora, maiorem in prima sui animatione quantitatem habent, exiguorum vero minorem. Etenim corporis cuiusque in ipsa animatione quantitas, quadam proportione accomodatur ad eam quantitatem, ad quam illud ipsum corpus per augmentum est perventurum. Quocirca quantitas corporis Christi, quam habuit pro eo tempore, quo in corpora cæterorum hominum anima infunditur, accomodata est ad quantitatem illam corporis, ad quam postea per augmentum peruenit, quæ ipsa fuit decentissima. Minorem tamen habuit, simul ac conceptus est, non tamen adeo fuit exigua, ut in ipsa non potuerit animati corporis ratio conservari. Ita prima conclusio, quoad omnes sui partes, tractata, & explicata est: reliquum est, ut secundam, qua propositæ ad excutiendum quæstionis explicatio continetur, subiungamus.

**S**ECONDÆ conclusio. Beata virgo active aliquid egit in conceptu divini Verbi. Id vero ostenditur cum ratione, tum auctoritate. Ac ratione quidem in hunc modum ostenditur. Mater active concurrit in concipiendo foetu, igitur & virgo Deipara, active concurrit in concipiendo divino foetu. Consecutio hinc liquet, quia, quod ad matrem attinet, conceptus Christi fuit naturalis. Cum igitur cæteræ matres in concipiendis foetibus active concurrant, sequitur igitur & beatam virginem active concurrissè in concipienda divina prole.

**P**ORRO antecedens illud, nempe matrè active concurrere in concipiendo, & procreando foetu, multis argumentis ostèditur. Principio ita licet argumentari. Formas eiusdem speciei consequuntur potentie eiusdem rationis,

at mas



at mas & foemina sunt eiusdem speciei, potentias igitur naturaleis habent eiusdem rationis, cum igitur in procreatione foetus forma maris vim habeat actiuam, sequitur vt eandem quoq; habeat forma ipsius foeminae.

**PRÆTEREA**, vis vegetatrix est actiua, vt est apud Aristotelem. 2. de anima libro, igitur eadem vis in foemina est actiua, alioqui, si in foemina esset passiuua, & in viro actiua, non essent illæ duæ facultates eiusdem in vteru procreationis.

**ITEM**, proles interdum assimilatur matri, at omnis assimilatio est à causa effectiua, cui est propositum assimilare sibi passum, igitur mater aliquid agit in conceptu prolis.

**ITEM**, in generatione vniuoca forma inducens formam in materiã præparatam, & forma inducta, sunt eiusdem rationis, sed generatio animalis est vniuoca, forma igitur inducens, & inducta sunt eiusdem rationis, at in generatione, & procreatione foetus, non est alia forma substantialis cum forma inducta, nisi forma matris, nam pater nihil facit aliud, quam semen in vas muliebre conuicere, in quo inest vis actiua ad procreationem prolis, igitur forma substantialis foeminae concurrat actiue, alioqui generatio non esset vniuoca.

**POSTREMO** si mater non aliter concurreret ad generationem prolis, quam vas, aut locus conueniens, de cuius aliquo ceu materia generaretur proles, non tribueretur plus aliquid matri in generatione animalis, quam terræ in generatione mineræ, si de aliquo ei generatur minera, ac proinde eiusmodi terra dici posset mater mineræ, imo vero & homo esset mater vermis in eo generati; loco conuenienti, ex humore aliquo putrefacto. Si uero aduersarius occurrat inquiring, vermem genitum non esse eiusdem speciei, id facile diluitur obiiciendo eidem asinam, quæ est mater muli, & tamen eadem cum mulo speciei minime continetur. His itaque argumentis effectum esse voluit Scotus matrem in concipiendo foetu actiue concurrere, quem eundem sequitur Gabriel. 3. sentent. dist. 4. quæstio. 1. In eadem opinione & sententia sunt etiam Medici, quorum doctrinam Scotus est amplexatus.

Scot. 2.  
sen. d. 4.  
q. 1.

**OSTENDIMVS** rationibus & argumentis virginem beatam aliquid egisse in conceptu Verbi, superest vt hoc ipsum auctoritate confirmemus: est aut ea D. Ioannis Damasceni tertio de fide orthodoxa libro capit. 1.

Quo loco ita ait. Post sacrae virginis assensum, Spiritus sanctus, iuxta Verbum Domini quod dixerat Angelus, continuo in ipsam superuenit,

Damasc.

purgans ipsam, vinctque susceptiuam Dei Verbi tribuens, simul & generatiuam. Hæc Damascenus. Iam si beata virgo esset solum principium passiuum, non erat, cur Damascenus facultati receptori, adiunxisset etiam generatricem: igitur de sententia Damasceni virgo illa sanctissima non passiuo modo in conceptu diuinæ proles se habuit, verum etiam actiue.

Tho. 3. p.  
q. 33. ar.  
4.  
Thom.  
Arg 3. d.  
4. q. v.  
sic. ar. 2.

**SUNT** tamen qui contra sentiant his rationibus persuasi. Principium actiuum generationis dicitur ratio seminalis, at Christus, Augustino auctore. 10. super Genesim ad literam, non secundum rationem aliquam feminalem humanam, sed ex sola corporali materia, diuina quadam conceptionis, & formationis ratione, conceptus est, beata igitur virgo nihil actiue operata est in conceptu Christi, nam si aliquid effecisset, secundum rationem feminalem illud effecisset.

Ari. 1. de  
genera-  
nima, ca.  
19. & 20.

**PRÆTEREA** virtus finita agit in tempore, non in instanti, at corpus Christi momento temporis est in virgineo utero efformatum, igitur virtus generatrix virginis nihil egit in cōceptione, & formatione corporis Christi.

**TERTIO** ita argumentantur. Distinctio sexus est à natura instituta propter diuersam operationem ad generationem requisitam, etenim vnum quodque est propter suam operationem, vt docet Arist. 1. de cœlo, at distinctio operationis in generatione attenditur secundum diuersitatem agentis, & patientis, distinctio igitur sexuum ad diuersitatem pertinet actiui & passiuui, ac proinde tota virtus actiua est in mare, in foemina vero passiuua.

**ACCEDIT** ad confirmationem Aristotelis autoritas, qui vim maris existetem in semine, artificis, materiam vero à foemina suppeditatam, ligno, ex quo artifex scamnum fabricatur comparatam esse voluit. Cum igitur beata virgo non acceperit à Deo vt esset Pater Christi, sed mater: sequitur vt nihil egerit omnino in ipsa Verbi Dei conceptione sed conceptui solum materiam subministrauerit. Tempore tamen eo, quod admirabilem illam conceptionem antecessit, aliquid est actiue operata, præparando scilicet materiã, vt esset apta conceptui.

**NOS** priorem sententiam amplectimur, reliqua est argumentorum, quibus ea sententia refelli videtur, explicatio. Ad primum igitur argumentum respondetur negatione maioris propositionis. Namque ratio seminalis constat ex virtute seminis cum virilis, tum foeminei cōmistorum. Vnde illud dicitur concipi secundum rationem seminalem, ad cuius generationem concurrat virtus seminis tam paterni, quam materni: sic autem non est conceptum, ac formatum corpus Christi, ac proinde quamuis vis actiua generatrici

cis beatæ virginis, ad ipsius corporis conceptionem, & formationem, concurrerit, non tamen Christus dicitur conceptus secundum rationem seminalem, quia abfuit vis feminis virilis cum materia à virgine ministrata copulati, quam ratio quoq; seminalis, uti diximus, requirit.

AD secundum respondetur, virtutem finitam posse actionem explere temporis momento, cum subordinatur virtuti actiue infinitæ. Iam autem in conceptu & formatione corporis Christi, virtus actiua finita beatæ virginis, subordinata est virtuti actiue infinitæ Spiritus sancti, qui vim virilis seminis eo in conceptu præstitit.

AD tertium respondetur negata minore propositione, si vniuersaliter accipiatur, ut scilicet omnis diuersitas operationis in generatione attendatur secundum rationem actiui, & passiui, id siquidè ut verum sit, quoad per se primam operationem, quæ in ratione immisionis, & receptionis consistit, ad quam distinctio sexus est à natura instituta, non tamen verum est vniuersaliter, & quoad omnem in generatione concurrentem maris, & foeminae operationem. Nã, quod ad formationem, & procreationem foetus attinet, neque solum pater actiue, neque solum mater passiue concurrunt, sed abo vtroque modo, actiue scilicet & passiue concurrunt. Etenim pars seminis paterni, materialiter concurrunt ad generationem, & in mēbra, quæ dici consueuerunt spermatica, coalescit. Dicitur tamē actiue cōcurrere, quia generatricis facultatis plus inest in semine paterno, quam in semine materno. Mater etiam concurrunt actiue, in vnam & eandem cum mare actionē conspirans, dicitur tamen passiue concurrere, quia principaliter passiue concurrunt, quam actiue, utpote cuius vis actiua subordinetur actiue maris facultati. Hinc sequitur primam rationem distinguendi inter marē & foeminā, in ratione actiui & passiui cōsistere, ad quæ eandē est per se primo sexuum diuersitas à natura comparata, & instituta.

AD confirmationem in Aristotelis auctoritate positam, dupliciter respōdemus, vno modo, quod Aristoteles in ea fuerit opinione, & sententia, quā tamen Medici non comprobauerunt, imo vero improbauerunt, altero modo, marem artificis, foeminam vero ligno comparari, quoniam generatricis, & formatricis facultatis plus inest in semine maris, passiue vero facultatis multo plus in semine, & sanguine foemineo, Ita aduersaria est opinio, & sententia profligata.

SI cui tamen plausibilior, & probabilior ea sententia videatur, quæ totam vim agendi in generatione mari, quemadmodum totam vim patiendi foeminae, vult esse attributam, aduersariae opinionis fundamenta diluat hoc pa-

cto. Negatur igitur illud antecedens, scilicet foeminam actiue in generatione concurrere. Ad primum, pro eiusdem probatione, argumentum responde- tur, vires consequentes formam tum in mare, tum in foemina esse eiusdem rationis in se, esse tamen diuersarum rationum per relationem ad opera di- uersa. Damus igitur aduersariis generatricem facultatem in foemina esse a- ctiuam, quemadmodum & in mare: diuersa tamen ratione, nam vis genera- trix maris est actiua generationis, facultas vero generatrix foeminae est effe- ctiva, non quidem generationis, sed materiae proximae, ex qua generatur em- brio, quam praeparauit vt esset apta conceptui: in quam deinde praeparatam vis generatrix ipsius maris actionem suam explicat.

AD secundum, quid sit respondendum, iam ex iis, quae nunc diximus, fa- cile intelligitur.

AD tertium etiam, ex eodem fundamento, iam patet responsio. Nam & mater est causa effectiua filij, sin minus respectu generationis, certe respectu materiae, quam subministrat generationi, & genito, ac proinde filius assimi- latur matri.

AD quartum respondetur formam quoque viri agere in conceptu, & pro- creatione prolis, agere autem interuentu seminis, quod veluti instrumentum defert vim agentis ad passum. Concurrit autem vis semen infundentis in se- miniae, non vt coniuncta, sed vt separata, ex quo fit, vt extincto etiam gignē- te, animal gignatur ex semine ab ipso in vterum coniecto.

AD quintum respondetur, authores illius sententiae, & opinionis non dice- re, matrem habere se in generatione, ceu vas & locum, id siquidem vim pas- siuam omnino, & receptiuam declarat, (neque enim mater, aut omnino co- currit actiue ad generationem, aut pure passiuē & receptiuē) sed dicere, matrē esse quidem principium effectiuum respectu materiae, ex qua formatur em- brio: esse vero passiuū respectu generationis ipsius, atq; conceptionis.

AD argumentum vero sumptum ex Damasceni autoritate respondetur, Damascenū ob id facultati receptrici, generatricem adiunxisse, vt duo virgi- nis praeuilegia, eaque admirabilia, & singularia declararet. Etenim diuino mu- nere & concessu virgo sacratissima, & vtero Dei filium concepit, & virgo in conceptu permansit. Vtrumque mirabile, & singulare. Nam quod ad po- sterius attinet, virgo manens virgo: nullo modo potest naturaliter concipe- re, quoniam concipere non potest sine virili semine, quod si adest, iam non virgo concipit. Quia igitur beatæ virgini tributum est, vt non solum Ver- bum Dei vtero conciperet, verum etiam vt virgo permanens posset conci- pere,

pere, & generare, ideo ad hec duo miracula declaranda Damascenus, potentia susceptivæ Verbi dei, adiecit etiã potentiam generatiuã, eamque, vti diximus, passivam. Ita, & secunda conclusio, & quæstio ad explicandum proposita, tractata est.

**TERTIA** conclusio. Castissimus virginis conceptus, partim naturalis fuit, partim miraculosus, simpliciter tamen supernaturalis fuit. Primam conclusionis partem sic ostendo. Virgo beata naturaliter cooperata est ad corporis Christi formationem, igitur conceptus ille virgineus fuit naturalis. Antecedens vero hinc intelligitur, quoniam beata virgo cum materiam ministravit illic conceptui, non celestem, sed naturalem, quam cætera femina subministrant, tum active concurrat, ut generatrice ipsius per Spiritum sanctum, vim paterni seminis explentem, actuata. Quemadmodum enim is qui cæcus aliquando fuit, per vim videndi miraculo restitutam, naturaliter videt, ita etiam beata virgo facultate gignendi sibi supernaturaliter ab Spiritu sancto tributa, operata est naturaliter ad generationem divini foetus, neque minus, immo vero perfectius, quam si illam ad gignendum vim, ex actuazione virilis feminis commisti, fuisset consecuta.

**SECUNDA** vero conclusionis particula ex eo intelligitur, quoniam naturalis Mariæ ad gignendum facultas, fuit ad actum traducta, non ab actu naturali, & à natura præscripto, cuiusmodi est vis activa patris, sed ab actu supernaturali, nempe ab Spiritu sancto. Fuit etiam conceptus virgineus miraculosus, quoniam corpus Christi subito formatum, distinctum, & omnibus suis membris instructum, est, id quod naturæ opificio, in generatione cæterorum hominum, non convenit. Accessit ad miraculum, quia beata virgo tantum sola materiæ illi conceptui suppeditavit, quantum quævis mater alia viro admista, suppeditare consuevit, quemadmodum D. Bonaventura annotavit.

**POSTREMÆ** conclusionis particula ita fidem facimus. Vnum quod que iudicatur potius, & expenditur secundum formam, & ipsū agens, quam secundum materiam, & ipsum patiens, at actiū principale in conceptu Verbi fuit naturale, & supernaturaliter operans, igitur conceptus virgineus fuit simpliciter miraculosus, & supernaturalis. Ac de castissimo, & admirabili virginis conceptu hac tenus.

Bon. 3. se  
d. 4.

Tho. 3. p.  
q. 33. ar.  
4.

DE MATERNITATE MARIÆ ET  
filiatione Christi.

## Qvæstio. III.

*Virum virgo Maria sit vere & realiter mater Dei?*

**Q**VONIAM conceptus & generationis maternitas est consequens, virgo autem beata Dei Verbum castissimis visceribus concepit, conceptum vero & humana carne indutum peperit, iam quæritur, anne Maria vere & realiter sit mater Dei? Dubitationi locum attulit ille terminus Deus, aut enim accipitur essentialiter, aut personaliter, siue notionaliter: utrovis modo accipiatur, illa locutio falsam videtur sententiam continere: non videtur igitur esse dicendum beatam virginem esse matrem Dei. Minor ostenditur, quoad priorem partem, namque ille terminus Deus, essentialiter sumptus accipitur pro habente deitatem, at habens deitatem est pater, filius, & Spiritus sanctus, igitur si virgo Maria est mater Dei, est mater totius Trinitatis. Id quod aperte falsum est. Sin vero accipitur notionaliter, hoc est, pro habente deitatem sub proprietate relativa, accipitur pro supposito Verbi incarnati, at sub hoc sensu illa etiam propositio est falsa. Id vero in hunc modum ostenditur. Filiatio denominat suppositum, non naturam, at suppositum Verbi non est genitum à virgine, quia fuit ab æternitate ex patre genitum, nullum autem æternum subire potest temporariam generationem, igitur Verbum non est filius virginis, ac proinde neque virgo mater est Verbi Dei.

**P**R O explanatione igitur propositæ quæstionis nonnullas subiungimus conclusiones.

**P**R I M A conclusio. Virgo Maria est vera, ac naturalis mater Christi. Probatio. In ratione veræ, & naturalis maternitatis quatuor requiruntur in quibus illud est primum, ut scilicet foemina materiam subministret proli generandæ: secundum, ut actiue concurrat ad generationem prolis, tertium, ut foetum & prolem genitam utero contineat, & conseruet, quartum, ut prole utero comprehensam ad certum vsque tempus, nutriat, foueat, & augeat: hæc quatuor præstitit beata virgo ipsi Christo, quemadmodum ex superiore quæstione constat, relinquatur igitur beatam virginem esse veram, ac naturalem matrem Christi.

**HÆC** conclusio veritatem fidei catholicæ continet, ut pote quam diuinæ literæ confirmant, quæ virgini maternitatem tribuant respectu Christi. Dicitur enim Matth. 1. Cum esset desponsata mater IESU Maria, &c. Item. 2. Accipe puerum, & matrem eius, &c. Item, Luc. 2. Et peperit filium suum primogenitum. Item, Ioann. 19. stabat iuxta crucem IESU mater eius.

Mat. 1.  
Math. 2.  
Luc. 2.  
Ioan. 19.

**NEQUE** est, quod nobis obiiciatur diui Ioannis Damasceni sententia, posita tertio de fide orthodoxa libro, quæ huic verissimæ conclusioni videtur aduersari. Ea autem est huiusmodi. Christotocō, id est, Christi param, siue Christi matrem, nequaquam sanctam virginem appellamus. Id siquidem est à Damasceno dictum, quemadmodum ex eodem contextu aperte intelligitur, cum ad Nestorij perfidiam reuincendam, tum insaniam confutandam, qui ne virginem Dei matrem appellaret, Christotocō, id est, Christi genitricem appellandam censuit, excogitato in virginis contumeliam vocabulo.

Damas.  
li. 3. cr. 12.

**SECUNDA** conclusio. Maternitatis ratio perfectius conuenit beatæ virgini respectu Christi, quam cuiuslibet alteri matri respectu filij, quem genuit, tum primo quia Christus de sola virginis substantia genitus, est sola enim beata virgo materiam suppeditauit illi conceptui, cæteri autem filij non de sola matrum substantia generantur, sed de paterna quoque substantia, quæ ad generationem etiam materialiter concurret, tum secundo, quia virtus naturalis virginis perfectius operata est in formatione, & absolute corpore Christi, ut pote subordinata virtuti actiuæ supernaturali & infinitæ ipsius Spiritus sancti quam virtus naturalis cæterarum matrum, ut quæ subordinetur virtuti actiuæ naturali, & finitæ ipsorum marium. Perfectius autem operata est, quoniam momento temporis vis generatrix beatæ virginis, omnes actiones expleuit quæ in conceptu prolis, & generatione reperiuntur. Scilicet formationem, organizationem, & animationem, &c. Tum tertio, quia beata virgo est mater Christi non solum naturalis, quemadmodum quæque mater respectu filij, verum etiam miraculosa: id quod ex tertia superioris questionis cōclusionione facile potest intelligi, &c.

**TER TIA** conclusio. Beata virgo est vere & realiter mater Dei. Probatio. Maria est vere & realiter mater eius, quem vere & realiter genuit, sed vere & realiter genuit filium Dei, non quidem quoad diuinam naturam, sed quoad naturam assumptam: igitur vere & realiter est mater Dei.

**PRÆTEREA**, concipi & nasci personæ attribuitur, & hypostasi, idque interuentu eius naturæ sub qua nascitur, & concipitur, atqui in ipso instanti

Tho. 3. p.  
q. 35. ar.  
4.

concep

conceptionis, fuit humana natura assumpta à diuina persona, vere igitur dicitur Deum esse conceptum, & natum de virgine: at eo aliqua foemina dicitur alicuius mater, quia ipsum vere concepit, & genuit, relinquitur igitur beatam virginem vere dici matrem Dei.

M. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100. Luc. 1.

**CONFIRMATUR** conclusio testimonio scripturae. Dicitur enim Luc. 1. Quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei, igitur beata virgo est mater filij Dei, ac proinde est mater Dei. Praeterea diuinæ scripturae testantur beatam virginem esse matrem IESU Christi, quemadmodum ostendimus prima conclusione, at eadem scripturae testantur Christum esse verum Deum, vt patet. 1. Ioann. ultimo, item, ad Rhom. 9. Sequitur igitur necessario, de sententia scripturarum, beatam virginem esse matrem Dei.

**CONFIRMATUR** etiam capitum à Cirillo traditorum auctoritate, quæ Ephesina Synodus comprobauit, in quibus anathemate obligatus is, qui Christum verum Deum non confitetur, ac proinde & Dei genitricem, ipsam sanctam virginem.

**VALEAT** ergo impiissimus Nestorius, valeat sacrilegus Fotinus, qui hunc honorem beatæ virgini, Christi genitrici, detraxerunt, ille quidem, quia virginis filium non putauit esse Deum hypostatice, hic vero, quia summo errore captus existimauit prius fuisse illum hominem conceptum, & natum, quam esset filius Dei. Vtriusque enim erroris, & suspicionis illud est consequens beatam virginem non esse matrem Dei.

**SUPEREST** vt argumentum in initio positum, quod causam dubitandi attulit, diluamus. Dicimus ea in propositione, illum terminum, Deus, siue, Dei, accipi notionaliter, hoc est, pro habente deitatem sub proprietate relativa, nempe filij Dei. Namque ille terminus Deus, restringitur, & determinatur per illud nomē, mater, quo efficitur, vt accipiatur pro persona filij Dei, quemadmodum cum dicitur, Deus genitus. Ad argumentum vero huic veritati aduersarium respondetur negatione minoris propositionis: probationi vero occurrimus, Christum fuisse genitum ab æternitate quoad diuinam naturam, quam accepit à patre, fuisse genitum in tempore ex virgine, quoad naturam assumptam.

**OBICI** contrapotest, quod gignitur in tempore recipit esse simpliciter post non esse, at diuinum Verbum non recipit esse simpliciter post non esse, quia nequaquam nunc est, & immediate añ hoc non fuit, sed semper & omnino fuit, igitur temporariam generationem subire nullo modo potuit. Principio respondemus: non esse eam generationis naturam, vt quod generatur

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.

acc-



accipiat esse post non esse, sed ut accipiat esse ab aliquo, esse inquam substantiale, quod est esse simpliciter, alioqui filius dei non esset ab æternitate genitus. Concedimus tamen id quod generatur in tempore accipere esse post non esse, non sic quidem ut nunc sit simpliciter, cū antea simpliciter & omnino non fuerit, sed quia accipiat aliquod esse substantiale, quod prius non habuit, interim non curando an præexiterit, aut accipiens, aut receptum. Verbum igitur diuinum temporaliter genitum est, quia acquisiuit non quidem esse simpliciter post non esse simpliciter, sed quia acquisiuit aliquod esse substantiale, nempe humanum, quod prius non habuit. Ita accepit esse simpliciter, nempe humanum, post non esse tale simpliciter.

**QÆRASA** vtrum hæc propositio sit vera, Maria est mater Deitatis? Dicimus esse verā secundum prædicationem identicam, siquidem Deus & deitas sunt idem secundum rem, est tamen falsa prædicatione formali, quoniam maternitas & filiatio solum respiciant suppositū: quod ipsum suppositum importatur nomine concreto, non itidem abstracto: ac proinde hæc simpliciter est concedenda, Maria est mater dei, non tamen hæc, Maria est mater deitatis.

**QVARTA** conclusio. In Christo Dei, & hominis filio vnica solū filiatio reperitur. Probatio subiectum filiationis est suppositum, sed suppositū filij Dei est æternum, igitur filiatio non potest esse aliquid in Christo, nisi quæ sit in supposito æterno, at omnis relatio adueniens Deo ex tempore, non ponit in ipso aliquid secundum rem, sed rationem duntaxat adiungit, igitur filiatio qua Christus refertur ad matrē non potest esse relatio realis, sed relatio solum rationis, ac proinde in Christo, Dei & hominis filio, vnica duntaxat filiatio, eaque æterna, reperitur.

**HÆC** tamen conclusio multis argumentis refutatur. Principio ita licet argumentari. In Christo sunt duæ natiuitates, æterna vna, temporalis altera: sunt igitur in Christo duæ filiationes. Cōsecutio probatur, quia relationes multiplicantur ex causa, vel subiecto: cum igitur filiationis causa sit natiuitas, in Christo verò sint duæ natiuitates specie differentes, sequitur in Christo duas quoque esse specie differentes filiationes.

**SECUNDO.** Christus est vere & realiter filius virginis, igitur filiatione reali refertur ad virginem. Cōsecutio probatur, quia nihil dicitur

Tho. 3. p.  
q. 35. ar.  
5.  
Bonauēt  
3. sen. d. 8  
q. 2  
Henri  
quod. li.  
4. q. 3.

Seco. 3. se.  
d. 8. q. 1.

tur

tur tale realiter, denominatione intrinseca, nisi per formam realem in ipso existentem, cum igitur Christus vere & realiter sit filius virginis, sequitur ut dicatur talis filiatione reali in ipso existente, non filiatione æterna, quandoquidem ea patrem respicit solum, igitur temporaria, qua matrè respicit.

**TERTIO.** Christus habet duas operationes, igitur duas filiationes. Cõsecutio inde intelligitur, quia non magis respicit suppositum filiatio, quam operatio, siquidem operatio est suppositi.

**QVARTO.** Si Christus genuisset plures filios, habuisset duos respectus paternitatis ad illos, igitur & duos respectus filiationis habet propter duas natiuitates.

**QVINTO.** Pater æternus duas habet originis actiuæ relationes, ad filiũ scilicet, & Spiritum sanctum, vnius fundamèti interuentu, quod ipsum est, Essentia foecunda, igitur multo magis filius, per duo fundamèta duas. s. naturas, & duas natiuitates, habet duas filiationes reales.

**SEXTO.** Si filiatio est solum suppositi & personæ, aut hoc conuenit ei in quantum relatio, aut quatenus talis relatio, nempe originis relatio, non primum vt satis patet, neque itidem secundum, quandoquidem non magis repugnat vni personæ multitudo talium relationum, quam multitudo originationum fundantium tales relationes, sed Christus habuit duas originationes, igitur & duas filiationes.

**SEPTIMO.** Si filiatio conueniret Christo secundum rationem filiationis æternæ solum, sequeretur hanc propositionem esse falsam, Christus in quantum homo est filius. Sequela probatur, quia quod conuenit Christo præcise secundum rationem personalitatis æternæ, non dicitur de eo qua homo est. Nam ob id hæc propositio falsa est, Christus in quantum homo est persona.

De 3. sc.  
d. 8. q. 3.

**OCTA VO.** Si humana natura à Verbo assumpta dimitteretur à Verbo, illa referretur ad matrè filiatione reali, igitur & modo refertur. Antecedens ex eo intelligitur quia natura dimissa continuo esset persona sine vlla sui mutatione, ac proinde nullum nouũ accidens acquireret.

**NONO.** Non minus repugnat, accidentia absoluta realia sempiterno supposito recens aduenire, quam relationem realem, imo vero multo magis: at supposito Christi æterno accesserunt accidentia absoluta realia, veluti esse quatum, esse albũ, igitur & filiatio realis eidem recens potuit aduenire.

**DECIMO.** Quando causa realiter ad effectum refertur, etiam effectus re ipsa refertur ad causam, quamuis non vice versa, vt patet in creatore, &

creatura, atqui beata virgo, quæ Christum genuit, refertur ad ipsum reali maternitate, igitur & filius, qui est ipsius effectus.

VNDECIMO. Cum producens & productum in eundem, secundum speciem, ordinem incidunt, si vnum re ipsa refertur nempe producens, productum etiam realiter refertur, atqui generans & genitum incidunt in eundem secundum speciem ordinem, igitur si generans re ipsa refertur ad genitum, & genitum quoque ad gignentem referatur necesse est.

HÆC non sunt explicatu difficilia. Ad primum negatur consecutio: quoniam relationes multiplicantur ex causa in eodem, quando subiectum est capax multarum relationum. Veluti cum quis docet multos discipulos, hos quidem grammaticis præceptis instituens, illos vero rethoricis, varias ille quidem acquirit relationes magisterij, siquidem subiectum est capax multarum relationum. At non sic habet in proposito: quando quidem æternum suppositum nõ est capax filiationis temporariæ. Adde, quia tum natiuitas est causa nouæ filiationis, quando natura accepta per originem constituit nouum suppositum, id quod non cõuenit nature humanæ ipsius Christi. Nõ enim suppositum constituit, sed ad præexistens est assumpta.

OBIIICI contra potest. Diuinum suppositum potuit esse subiectum nouæ natiuitatis, igitur & nouæ filiationis. Consecutio hinc patet, quoniam vtrunque est entitas realis de nouo adueniens. Negatur consecutio. Nam natiuitas conuenit supposito interuentu nature: quamuis enim suppositum sit id quod nascitur, id tamen quo mediante nascitur, est natura. Cæterum filiatio per se primo respicit suppositum, ac proinde in Christo sunt duæ natiuitates vnius suppositi interuentu duarum naturarum, vnica tamen filiatio propter vnitatem suppositi.

AD secundum. Negatur consecutio. Ad probationem vero dicitur illud esse verum in absolutis, non tamen in respectiuis, in quibus aliquid dicitur referri realiter, non relatione aliqua reali in ipso existente, sed ob id solum, quia relationem realem alteri terminat. Hoc modo Deus dicitur realiter Dominus creaturæ, non per aliquam relationem realem, quæ in Deo existat, sed quia realem seruitutis relationem terminat. Hoc genus relatorum dicitur transcendens, & numeratur tertio loco ab Arist. 5. Metaphy. sunt enim quedam relata ob id quia ipsa ad alia referantur, quedam vero alia ex eo solum, quia aliorum ad se relationem terminant, vt scibile & scientia, creator & creatura.

AD hoc genus pertinent maternitas Mariæ, & filiatio Christi. Dicitur enim Christus realiter filius beatæ virginis, nõ quia ad matrem referatur relatione

aliqua reali, sed quia relationem realem matris ad se terminat. Vnde Christus est realiter filius terminatiue, non formaliter, sed solum secundum rationem. Nam habitudini virginis matris ad Christum tanquã filium, respondet necessario respectus quidã rationis, per quem Christus formaliter refertur ad matrem, quouẽ Christus dicitur formaliter filius virginis.

AD tertium negatur consecutio. Nam longe aliter operatio respicit suppositum, atquẽ filiatio. Namque filiatio respicit suppositum, vt subiectum immediatum, operatio vero non item, sed mediante natura, & facultate ipsius naturæ. Damus igitur in Christo fuisse duas operationes, propter duas naturas, non tamen duas eidem filiationes cõcedimus, propter vnitatẽ suppositi, quod cum sit eternũ, externæ, & aduẽtitię filiationis nõ est capax.

AD quartum. D. Thomas negaret sequelam, quãdo quidem in patre habẽte. x. filios vnica solum existimet reperiri paternitatem, quæ adæquate respicit illos omnes, inadæquate vero singulos. Ego data sequela, negandam puto consecutionẽ: quando quidem Christus non sit subiectum capax duarum filiationum realium, vt diximus. Imo vero negandã potius putamus sequelam, quemadmodum enim Christus non est capax nouæ filiationis, ita etiam neq; nouæ paternitatis.

AD quintum. Negatur consecutio. Nam filiatio immediate respicit suppositum, quod ipsum in Christo est capax nouæ filiationis.

AD sextum respondetur, filiationem solum cõuenire personæ, quoniam sola persona est subiectum filiationis capax, non itidem natura, aut pars naturæ. Generatio tamen subiectiue est in parte naturæ, nempe in materia, terminatiue vero ad formã pertinet, completiue ad compositũ ipsum.

AD septimum respondetur. Filiationem, & omnia personalia, tam diuinã, quam humana cõuenire Christo secundum rationem personalitatis æternæ, nõ quidem prout illud, secũdum, tenetur reduplicatiue, alioqui ex eo aliquis esset filius, esset hic homo, & esset operãs, quia esset persona æterna, sed quatenus tenetur specificatiue. Christus enim interuẽtu personæ, quæ alioqui est æterna, est hic homo, & filius hominis, & operatur siue humana, siue diuina.

Quocirca neganda est omnino sequela, vt quæ procedat secundum priorẽ sensum, quem tamen exclusimus.

AD octauum, negatur consequentia. Quod vero ad probationem attinet, dicimus eo euentu, naturam humanã subiturã fuisse mutationẽ, vt quæ acquireret nouũ suppositũ per præcedẽtem ex matre generationem, quæ terminata fuisset ad suppositũ humanum, nisi suppositũ diuinum anteuertisset.

**A D** nonum, negatur maior propositio. Etenim suppositum æternum potest recipere accidentia realia absoluta, interuentu naturæ humanæ cui coniungitur, quandoquidem natura humana sit capax illorum accidentiũ, vt in supposito tamen. Cæterum filiationis immediatũ subiectum est suppositũ: quod ipsum cum sit diuinũ & æternũ, non est capax nouæ filiationis.

**A D** decimum respondetur, maiorem esse veram, cum effectus est capax nouæ relationis, iam vero neque humana natura in Christo, cuius interuentu dicitur filius virginis, neque suppositum æternum cui coniungitur, est nouæ filiationis capax.

**A D** vndecimum respondetur similiter, illud esse verum, cum productum est capax nouæ relationis, sic autem minime res habet in proposito, siquidẽ neque natura humana, neque suppositum æternum sit capax nouæ filiationis. Non negamus tamen naturam humanam Christi esse capace[m] multorum aliorum respectuũ realium, veluti multarum similitudinũ, & relationis realis causati ad causam, siquidem hæc accidentia non insunt immediate in supposito, sicut in subiecto.

**Q V I N T A** conclusio. Mariam matrem esse, & virginem, quemadmodũ decuit, ita factu fuit possibile. Porro decuisse Mariam maternis gaudiis exultare, citra integerrimæ virginis amissionem aperte significat conditio & natura eius qui ex ea ortum duxit & originem. Namque is qui ex virgine natus est, Verbum est Dei patris: iam autem Verbum mentale cum corde & mente concipitur, & ex corde profertur, nihil corruptionis menti affert, (dicitur autem Verbum mentale corde concipi, quia virtute intellectus formatum in corde manet, quia vero prolatum & formatũ, à corde distinguitur, dicitur ex corde nasci & procedere) vt igitur intelligeretur corpus illud Christi formatũ, in virgineo vtero, esse corpus Verbi Dei, fuit longẽ decentissimum vt ex intemerato, & incorrupto virginis vtero nasceretur.

**H O C** ipsum etiam cũ fine incarnationi Verbi Dei proposito magnopere congruebat. Etenim Verbũ Dei hoc se cõsilio humanæ carni coniũxit, vt profligatã naturã restitueret, corruptã restauraret, & reficeret, non igitur decuit, vt qui corruptionẽ nostram sublaturus venerat, matri nascẽdo integritatem eriperet. Postremo longẽ fuit decentissimum, vt qui parces honore afficiendos esse censuerit, matrẽ honore minime spoliaret.

**P O S T E R I O R** conclusionis pars in hunc modũ ostẽditur. Illud omne est factu possibile ipsi Deo, quod nihil continet repugnatiæ, at virginẽ parere nihil cõtinet repugnatiæ, fuit igitur factu possibile. Minore ostẽdunt effecta

Ioan. 20. eius generis multa sacriliteris consignata. Etenim Christusianuis clausis  
 Hebr. 4. ad discipulosest ingressus, item clauso sepulcro in lucem excitatus prodiit, cœ-  
 los præterea ad cœleste domicilium ascendens citra ipsorum sessionem, pe-  
 netrauit. Cum igitur hæc facta sint, quæ sunt generis eiusdem, cur non etiam  
 factu fuerit possipile, vt Christus nascendo virginea claustra minime aperi-  
 ret? Nihil igitur continet repugnantix, virginem parere, cum simile aliquid  
 factum fuisse comperiatur. Iam autem simpliciter impossibile, non est  
 modo aliquo in potentia.

Scot. 3.  
 sē. d. 49.

q. 6.

Henri.  
 quodli.

9. q. vlti-  
 ma ad. 1.

PRÆTEREA si illud repugnaret, ea repugnātia inde oriretur, quia duo  
 corpora in eodē adæquato & imediato loco nō possunt esse simul, nō solū na-  
 turaliter, sed neq; per absolutā diuinitatis potētā, at hoc efficere potest vis di-  
 uina vt vnū corpus simul sit cū altero corpore, igitur illud nihil continet re-  
 pugnantix. Minor ostenditur. In iis, quæ inter se affecta sunt ceu prius, & poste-  
 rius, Deus potest cōseruare prius sine posteriore, veluti subiectū sine accidēte,  
 at quātitas & dimēsiō est ratio & causa situs, & distincta quātitas est causa di-  
 stincta situs, tanquā accidētis necessario consequētis, vis igitur diuina potest  
 vnū ab altero seiūgere, & cōseruare prius sine posteriore. Quātitatē sine situ,  
 vt patet in sacramento dominici corporis, sub quo continetur corpus Christi  
 quantum citra locationem, & situationem, ac proinde etiam potest cōserua-  
 re distinctam quantitatem, citra distinctum sitū, sed duæ quantitates erunt  
 in eodē situ, ac proinde duo corpora simul.

Du. 3. sē.  
 d. 44. q. 6

VALEAT ergo Durandus qui ausus est dicere fuisse virginea claustra, ci-  
 tra perruptionē, dilatata: hæc in super minuspiam, minusq; cū admirabilitate  
 virginei partus cōgruentem sententiā, diui Ambrosij auctoritate cōfirmās.

Luc. 2.

Is siquidē exponēs illud Lucæ, quia omne masculinū adaperiēs vuluam, &c.  
 sic ait, qui vuluā sanctificauit alienā, vt propheta nasceretur, hic est, qui ma-  
 tris vuluā aperuit, vt imaculatus exiret. Quæ tamē Ambrosij sententia eidē  
 minime suffragatur, quādo quidem illa apertio non scissionem aliquam, aut  
 fracturam virginei vasis significet, sed egressum, & exitū Christi ex vtero vir-  
 gineo. Ac de beatæ virginis maternitate hæctenus.

## DE GENEALOGIA SALVATORIS.

### Quæstio. V.

*Verum Christus ex Davide originem duxerit?*

RE-

**R**ELIQUA est, eaque postrema, de genealogia saluatoris quaestio: pro cuius explanatione, nonnullas, de more, subiungimus conclusiones.

**PRIMA** conclusio. Christus hominum saluator ex Davide traxit originem.

Huius conclusioni fidem facit auctoritas scripturae. Dicitur enim in Psalmis, iuravit Dominus David veritatem, & non frustrabitur eum, de

fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Item, semel iuravi in sancto meo, si David mentiar, semen eius in aeternum manebit. Item apud Isaiam

ita scriptum legimus. Egredietur virga de radice Iesae, & flos de radice eius ascendet: & requiescet super eum spiritus domini. Ad Rhom. 1. ita dicitur,

qui factus est ei ex semine David secundum carnem. Unde & à turbis eidem est honorifice acclamatum, Osanna filio David.

**HVIC** tamen verissimae & catholicae conclusioni, nonnulla eiusdem scripturae testimonia videntur aduersari. Etenim D. Matth. Christi originem, per

Solomonem ad Davidem refert, at Christus ex Solomone non videtur originem traxisse, igitur neque ex Davide. Minor ostenditur. Si Christus originem suam

Solomoni acceptam referret, eandem referret, aut interuentu Iosephi, aut interuentu Mariae matris ipsius, non interuentu Iosephi, siquidem Iosephus non

fuerit pater Christi, neque interuentu Mariae, siquidem Maria mater Christi cognata esse dicitur Helisabethae, quae ad Aaronem originem suam refert, igitur

Christus ex Solomone originem non traxit, ac proinde neque ex Davide, siquidem ad Davidem, per Solomonem originem suam referat.

**PRÆTEREA**, est sacris literis proditum, Iechonia futurum fuisse sterilem, usque adeo, ut de semine eius nullus foret generandus, qui super solium David esset

coessurus, at Christus in Davidis sede, ac solio coessurus erat quemadmodum dicitur, Isai. 9. & Luc. 1. Christus igitur ex Iechonia minime duxit originem, ac

proinde neque ex Davide, siquidem euangelice historiae scriptor Matth. Christi originem ad Davidem referat per Iechoniam.

**HÆC** facile diluitur. Ad primum respondetur, Christum interuentu Mariae matris ipsius originem ducere ex Davide, id quod irrefragabiliter verum est. Nam cum diuinis literis sit proditum, & Christum ex Davide ducere originem, & matrem ipsius Christi, ut fuerit cum Iosepho conubio coniuncta, non tamen ab eodem fuisse

agnitam, sequitur omnino esse confitendum, Christum interuentu matris, ex Davide originem trahere. Ex quo iam illud subinde consequitur, omnino beatam virginem ex Davide originem ducere. Ceterum qua ratione, & cuius interuentu beata

virgo ad Davidem originem suam referat, quaestio est. D. Ioannes Damascenus quarto de fide orthodoxa libro ca. 14. Mariae originem ad Davidem reuocat,

quarto de fide orthodoxa libro ca. 14. Mariae originem ad Davidem reuocat,

quarto de fide orthodoxa libro ca. 14. Mariae originem ad Davidem reuocat,

interuentu Nathanis filij Dauidis. Sic enim inquit. Ex genere igitur Natha-  
 nis filij Dauidis ortus Leui, genuit Melchi, & Pantera. Panther vero Barpan-  
 thera (ita nominatum) generauit: à quo eodem est Ioachim genitus, qui ipse  
 sacram virginem Dei genitricem ex vxore Anna suscepit. Iosephi vero  
 originem idem Damascenus ad Dauidem reducit interuentu Solomonis,  
 sic inquit. Ex genere Solomonis filij Dauid profectus Matthan vxorem  
 accepit Escham nomine, ex qua suscepit Iacobum. Vita vero functo Mat-  
 thane, Melchi, qui idem erat ex tribu Nathanis, filius quidem Leui, pater ve-  
 ro Panteris, derelictam Matthanis, (matrem Iacobi) vxorem duxit, ex qua  
 eadem genuit Heli. Itaque effectum est, vt Heli, & Iacobus sint vterini fra-  
 tres, Iacob quidem ex genere Solomonis, Heli vero ex genere, ac tribu Na-  
 thanis. Porro Heli ex Nathanis stirpe profectus, diem extremum obiit, nulla  
 suscepta sobole. Quocirca Iacob frater ipsius ex Solomonis genere ortus,  
 derelictam fratris vxorem duxit, & fratri semen, Iosepho genito, excitauit.  
 Est igitur Iosephus, natura quidē, filius Iacob ex genere Solomonis, legis ve-  
 ro praescripto, filius Heli, ex Nathane oriundi.

HAC Damascenus inscriptis reliquit. Ex qua eius sententia colligitur sa-  
 cram virginem, ex Dauide illam quidem originem ducere, non tamen satū  
 Solomonis, sed Nathanis filij ipsius Dauidis. Colligitur subinde Christū ad  
 Dauidem, Nathanis interuentu pertinere, non itidem Solomonis.

CVI tamen sententiæ obstat vehementissime authoritas Euangelij. Nā-  
 que Matheo, propositum est carnalem Christi generationem, & originem  
 exponere, quemadmodum ipse idem initio testatur, inquit, liber generati-  
 onis IESU Christi, at ille generationem Christi carnalem ad Dauidem, per  
 Solomonem, eosque patres qui ex Solomone originem traxerunt, reuocat,  
 necessario igitur confitendum est, Christum ex Solomone originem ducere,  
 non interuentu Iosephi, qui pater Christi natura non fuit, sed opinione homi-  
 num duntaxat, igitur interuentu Mariæ. Maria igitur ex Solomone, inter-  
 uentu illorum patrum, quos Matheus commemorat, est profecta.

OBSTAT etiam illi opinioni & sententiæ, Diui Ambrosij authoritas, qui  
 Christum ex semine Iechoniae profectum esse confirmat: igitur & Maria,  
 cuius interuentu Christus ad Iechoniam refertur. At Iechonias originem  
 ad Dauidem suam refert, interuentu Solomonis, & non Nathanis, igitur &  
 virgo beata eodem quoque modo ad Dauidem pertinet.

THO. 3. p. 2. ar. 3. HIS argumentis victus D. Thomas, omnino existimare esse credendum, be-  
 ratam virginem modo aliquo, ex Solomone originem duxisse, interuentu  
 illorum



illorum patrum, quos Matthæus enumerat. Quia vero ratione beata virgo ex Solomone originem trahat, minime exponit. Quocirca ea nobis iam ratio exponenda, Deo fauente, est. Statuatur igitur hæc conclusio.

**MARIA** virgo ex Davide, interuentu Solomonis, ac cæterorum patrū, quos Matthæus commemorat, originem duxit. Hoc ipsum vero hoc efficacissimo argumento confirmamus. Virgo beata ex Salathiele ducit originem, in quo tanquam in communi radice Iosephus, & virgo conspirant, at Salathiel patrē habuit Iechoniam, qui idem Solomoni reductu originem suam attribuit, igitur & beata virgo à Solomone originem, naturali propagatione, trahit. Reliquum est vt singulas propositiones ostēdamus, eæ siquidem omnem rei explicandæ difficultatē continēt.

Secunda  
conclu.

**MAIOR** propositio in hunc modum ostenditur. Iosephus, & virgo in Zorobabele tanquam in cōmuni vtriusque radice consentiunt, id quod ex serie à Mattheo, & Luca descripta constat apertissime, vterque siquidem Iosephum gradatim, ille quidem descendendo, hic vero ascendendo, ad Zorobabelem perducit, Matthæus quidem interuentu Nathanis, Lucas vero interuentu Mathath, qui ipse à D. Ioanne Damasceno appellatur Melchi, fuitque virginis, eodem Damasceno authore, pro patruus. Virgo igitur Maria, & Iosephus in Zorobabele, ceu in communi radice conspirant, at Zorobabel filius fuit Salathielis, quemadmodum vterque Euangelista testatur, itemque Esdras libr. 1. capit. 3. & secundo capit. 12. & 13. capit. 5. Et Agæus propheta capit. 1. literis prodiderunt, relinquatur igitur Virginem sacram, & Iosephum in Salathiele, ceu in communi trunco conuenire: id quod nobis erat ad ostendendum propositum.

**NEQVE** est quod nobis hoc loco aliquis obiciat, Zorobabelem in Paralip. cap. 3. dici filium non Salathielis, sed filium Phadaia, nam aut Salathiel Polynomius fuit, illaq; nomina obtinuit omnia, quæ c. 10. referuntur, dictus est enim aliquando Salathiel, aliquando Asir, aliqua uero Phadaia, quemadmodum ibidem Glossa ordinaria annotauit, vel certe (id quod Lyra verosimilius esse existimat) Salathiel, & Phadaia fratres fuerunt, filij Iechoniæ, quorum vterque filium suscepit, Zorobabelis nomine appellatum. Porro Matthæus, & Lucas Zorobabelem commemorant, non illum quidē, qui fuit filius Phadaie, sed illum alterum, qui est à Salathiele susceptus, qui templum Domini

1. Para. 3.

restauravit. Id quod. 1. Esdræ cap. 3. memoriæ proditum est, quo loco ita cō-  
tinetur. Surrexit Zorobabel filius Salatiel, & fratres eius, & ædificauerunt  
altare Deo Israel. Iam autem Zorobabel filius Phadaiaë vnicum tantum  
habuit fratrem Semei, quemadmodum constat ex. 1. Paralipomenon  
capit. 3.

**RELIQVA** est minoris propositiōnis approbatio. Sumpsimus enim  
in minore propositiōne, Salatiem, patrem habuisse Iechoniam, cui rei fi-  
dem facit authoritas scripturæ. 1. Paralipo. 3. quo loco Salathiel inter octo Ie-  
chonias filios connumeratur. Neque tamen huic veritati Lucas aduersatur,  
qui Salathielem filium facit, non Iechonias, sed Neri, siquidem Neri pater  
fuerit legalis Salathielis, quemadmodum Iechonias pater naturalis. Iam  
autem Lucæ propositum erat, non tam naturalis, quam Legalis generatio-  
nis seriem describere, siquidem eius Genealogiam enarrabat, qui sanctissi-  
mis erat homines legibus deuincturus. Neque tamen Iechonias fuit frater  
Neri demortui, vt qui non fuerit filius Ioacim, à quo. 1. Paralip. 3. Iechonias  
& Sedecias suscepti, ac geniti esse dicuntur, sed ex eadem fuit stirpe regia ori-  
undus, quamuis non per eandem lineam, cuius semen excitauit Iechonias,  
vt pote ex eadem tribu, & stirpe existens. Semen autem demortui, de lege,  
excitabat, non frater solum, verum etiam propinquus.

**PORRO** Iechoniam ad Solomonem originem suam referre, apertissime  
intelligitur ex. 1. Paralipomenon cap. 3. quo loco series generationis à Solo-  
mone propagatæ, & productæ, in hunc modum describitur. Filius autem  
Salomonis Roboam, cuius Abia filius genuit Asana. De hoc quoque na-  
tus est Iosaphat pater Ioram, qui Ioram genuit Ochosiam, ex quo ortus est  
Ioas. Et huius Amasias filius genuit Azariam. Porro Azariaë filius Ioa-  
than, procreauit Achaz patrem Ezechiaë, de quo natus est Manasses. Sed &  
Manasses genuit Amnon patrem Iosiaë. Flij autem Iosiaë fuerunt, primoge-  
nitus Iohanam, secundus Ioacim, tertius Sedechias, quartus Sellum. De Io-  
acim natus est Iechonias, & Sedecias. Flij Iechoniaë fuerunt Asir, Salathiel, &c.  
Ita Iechonias ex Dauide Solomonis interuentu pro genitus est, idque recto  
ductu, ac serie. Sunt tamen qui Iechoniam ad Dauidem referant per Na-  
thanem Dauidis filium, ob id scilicet quia existiment Ioas non esse filium  
Ochosiaë naturalē, sed adoptiuū. Nā quarto Regum. 11. memoriæ proditum  
est, Athaliam matrem Ochosiæ dominandi cupiditate incensam, semen  
omneregum deleuisse, ac filios regis è medio sustulisse: in quorum numero  
erat etiam Ioas puerum. Quem tamen Iosabeth, siue Iosaba soror Regis

Ochosiaë

Ochofiæ internecioni, quam Athalia exercebat, subtraxit, ac furto sublatum, abscondit. Porro qui putant Ioas esse filium Ochofiæ adoptiuum, filios regis, semenque regium, eos dici asseuerant, qui ex Nathane Dauidis filio profecti, in domo regia versabantur, eo nomine vt si forte regia Solomonis soboles omnino extingueretur, eorum aliquis Iudæ regno succederet. Igitur, de horum sententia, Ioas qui Ochofiæ in regno successit, ex sobole & stirpe erat eorum, quos Nathan filios Dauid procreauerat: dicitur tamen filius Ochofiæ, quoniam ab ipso in filium fuerat adoptatus, & ad hæreditatem regni admissus.

**HÆC** tamen sententia non congruit cum sacris literis: aperte enim dicitur. 1. Paralipomenon cap. 3. Ioas esse ortum ex Ochofia, ex quo, inquit ortus est Iuas, at filius adoptiuus non dicitur ortus à patre adoptiuo, sed adoptatus, non est igitur Ioas, de sententia scripturæ, filius adoptiuus Ochofiæ, sed naturalis.

**PRÆTEREA** 2. Paralipō. ca. 22. sic habet sacra historia. Neque erat ultra spes aliqua, vt de stirpe quis regnaret Ochofiæ, siquidem Athalia mater eius, videns quod moruus esset filius suus, surrexit, & interfecit omnem stirpē regiam domus Ioram. Porro Iosabeth filia regis tulit Ioas filium Ochofiæ, & furata est eum de medio filiorum regis, qui interficiebantur. Ex hoc loco intelligitur Ioas esse filium Ochofiæ. Alioqui Iosabeth defectui stirpis regie, quem tantopere timebat, minime occurrisset, occurrissē autem eam scriptura testatur, Ioas furto sublato, est igitur Ioas de stirpe regia Ioram patre Ochofiæ.

**ACCEDIT** authoritas scripturæ. 4. Reg. 11. & 12. quo loco Ioas dicitur filius Ochofiæ: nullibi tamē in scripturis sanctis memoriæ proditum est, Ioas fuisse per adoptionem ad regni hæreditatem admissum, id quod tamen non fuerat prætereundum.

**POSTREMO**, si Solomonis posteritas in Ochofia fuisset extincta, non erat quod Matthæus Christi carnalem generationem ex Dauide exponens, eam per Solomonem deduceret, vt quæ ad Solomonem nihil attineret, extracta omnino in Ochofia Solomonis posteritate.

**PORRO** ad fundamentum aduersariæ opinionis facile respōdetur. Negandum est enim per semen regium, & filios regis, qui interficiebantur, intelligi filios Nathanis, qui in domo regia versabantur, defectu regie sobolis, regno successuri, sed intelliguntur filij ipsius Ochofiæ Regis Iudæ. Id quod verba sacri contextus expendenti,

facile

facile apparebit. Neque erat, inquit, ultra spes aliqua, ut de stirpe quis regnaret Ochosiæ, siquidem Athalia mater eius, videns quòd mortuus esset filius suus, surrexit, & in terfecit omnem stirpem regiã domus Iorã Regis, filij igitur illierant, qui à Iorã & Ochosiã originem duxerant, quos omnes Athalia interfecit, vnico Ioas excepto, quem Iosabetha vindicauit, vt in ipso regia Ochosiã stirps cõseruaretur. Ita videmur nodum, explicatu difficilem, dissoluisse, ac sacram virginẽ ad Dauidem, Salomonis interuentu, ac cæterorũ Patrum, quos Sanctus Euangelicæ historiæ scriptor Matthæus commemorat, reuocasse.

AD argumenta porro initio quæstionis posita, quibus ostendebatur, virginem sacram ad regiam Dauidis stirpem minime pertinere: ac proinde neque Christum dominum, facile respondetur. Ad primum igitur respondetur, virginem sacram Elisabetham attingere interuentu matris Annæ. Namq; Stolonis, & Emerentianæ filia fuerunt Anna, & Ismeria, Anna nupsit Ioachimo à Nazareth, ex stirpe regia Dauidis, interuentu Solomonis, profecto, à quo suscepta est sacratissima, & gratiæ plenissima virgo Maria. Porro Ismeria Elisabetham peperit, quæ Zachariæ sacerdote summo, connubio coniuncta, Ioannem Baptistam, Domini præcursores, edidit. Ita beata virgo & Elisabetha ex duabus fororibus profectæ, se proximo consanguinitatis gradu contingebant.

AD secundum respondetur, non fuisse Prophetica illa comminatione prædictum, nullos fore, Iechoniæ fatu, in posterum progenerandos, sed non fore posteros ipsius aplius regnatos. Regnum autẽ Christi (Iechoniæ alioqui fatu editi) non aduersatur propheta vaticinio, siquidem Christi regnum non fuerit temporale, neque hæreditaria successione susceptũ, sed à Patre sibi traditum.

Conclu-  
sio. 3.

QVOCIRCA iam tertiam subiungimus conclusionem. Christus rex ille quidem fuit, non tamen successione hæreditaria, sed summi Patris munere, & concessu. Primæ conclusionis particula, omnes propheta testimonium perhibent. Dicitur enim Psal. 2. Ego autẽ cõstitutus sum rex ab eo. etc. item Psal. 44. Eructauit cor meũ verbũ bonũ, dico ego opera mea regi, &c. specietua, & pulchritudine tua, intende prospere, & pcedere regna. Isai. 9. Princeps pacis, multiplicabit eius imperium, & pacis non erit finis. Super solium Dauid, & super Regnum

cuius

eius se debet. Item, Hier. 23. Regnabit rex, & sapiens erit. Item, Daniel. 7. Potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius quod non corrumpetur. Item, Zachar. 9. Iubila filia Hierusalem, ecce rex tuus venit tibi, iustus, & saluator. Hæc omnia confirmat Angelus apud Lucam capit. 1. ita inquit, dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Confirmat & ipse Dominus, qui Pilato se roganti, essetne rex? Respondit, regnum meum non est de hoc mundo. Quibus verbis cū regem se esse aperte confessus est, tum cuiusmodi rex esset, aperuit.

**F V I T** autem Christus rex non Israelitarum solum, verum etiam totius orbis princeps, & monarcha, id quod ex sanctis literis intelligitur. Dicitur enim Psal. 71. Dominabitur à mari vsque ad mare, à flumine vsque ad terminos orbis terrarum. Item Danielis. 7. Dedit ei potestatem, honorem, & regnum, & omnes populi, tribus, & linguæ seruient ei. Item, Apocalypsi. 1. Qui est princeps regum terræ. Appellatur autem Christus speciatim Rex Iudæorum, quoniam promissio benedictionum Iudæis diuinitus facta est, estque Christus, ex Iudæorum sanguine, oriundus. Quocirca eidem Christo, Hierosolymā intranti, publice ab omnibus acclamatum est, benedictus qui venit in nomine Domini, rex Israel.

**N O N** fuisse autem Christum, regiam dignitatem, hæreditaria successione, consecutum, hinc intelligitur, quoniam aut à matre accepisset, aut ab aliquo alio, non à matre, siquidem ad fœminam non perueniebat regni hæreditas, neque legimus beatam virginem, aut parentes ipsius regio vnquam munere, & officio functos fuisse, neque itidem ab aliquo alio accepit, siquidem desierant reges apud Iudæos, iuxta Hieremiæ vaticinium. c. 22. Quo loco inquit Hieronimus, in diebus Ioachim non successit ei rex filius, sicut ipse patri successerat, sed fuit in captiuitate. Et vsque ad Christum, nullus regiam obtinuit dignitatem.

**H V I C** etiam sententiæ suffragantur Christi Domini illa ad Pilatum verba, regnum meum non est de hoc mundo, atqui regnum huius mundi constat, aut iure hæreditario, aut populi electione, regnū igitur Christi non fuit hæreditario iure susceptum:

**E X** hisce etiam Christi verbis facile intelligitur, non fuisse regnum ipsius temporale, sed spirituale, ad saluandos homines, atque adeo ad vitam æternam

nam perducendos institutum. Nam regnum temporale est regnum de hoc mundo, at Christus testatur regnū suū non esse de hoc mundo, non fuit igitur regnum Christi temporale, sed spirituale. Vt tamen Christi regnum nō fuerit temporale, non tamen exclusit temporalia, sed admisit potius, quatenus erant ad finem sibi propositum assequendū accomodata.

Arma-  
chanus  
in, quest.  
Arme c  
15.16.

**NON** sunt igitur audiendi ij, qui ad Christum regiam dignitatem, iure hæreditario, peruenisse confirmāt, cum quia illa vsque ad Christum successio, nullibi diuinis literis tradita ac prodita sit, tum quia illa sententia ad iudæorum errorem videatur proxime accedere, qui putabant Messiam temporaliter, & fastu regio regnaturum.

Psal. 2.

**CVM** igitur Dominus **I E S V S** Christus iure hæreditario regiam dignitatem minime obtinuerit, sequitur vt ipsam Patris munere, & concessu fuerit consecutus. Vnde ipse idem in Psalmis dicit, ego autē constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius. Id quod etiam Angeli illa ad

Luc. 2.

virginem verba confirmant. Et dabit ei Dominus sedem David patris eius. Non dicit Christum Davidis regno successurum, tanquam hæredē, sed regnum Davidis à Deo esse accepturum. Ita Christus summi patris munere regiam est dignitatem consecutus, cui in sempiternum

regnanti cum patre Deo, & Spiritu sancto, sit honor, laus, & gloria, in sempiternas seculorum ætates. Amen. Ac de admirabili Verbi incarnati mysterio, hæc, pro modulo


nostri ingenij, ad Christi, & sanctissimæ Matris ipsius gloriam, & honorē, differuisse sufficiat.




**CONIMBRICAE.**

**Excudebat Ioannes Aluares Typographus Regius.**

**M.D.LXIII. XII Kl. Decembris,**







EEACH  
RIST. DE  
VER. ING  
ENARR.

Sala <sup>R</sup>  
Gab.  
Est.  
Tab. 21  
No 9